19 A e

# COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS XXXIV. PARS I.

LIPSIAE, MDCCXCII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Pr. Elmsly, Edinburgi apud Elph. Balfour, Lugd. Bat. ap. Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi Iunior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Mediolani apud Ios. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Guibert et Orgeas, Florentiae apud Ios. Molini, Holmiae apud M. Swederum, Lisbonnae apud M. Borell et Socios, Lausannae apud I. H. Pott.

Jos: Banks

I.

Giornale per ſeruire alla ſtoria ragionata della medicina di queſto ſecolo. Tom. V. Venez. 1788. pagg. 576. c. indic.

i. e.

Diarium inſeruiens hiſtoriae ratiocinanti*) medicinae huius ſeculi, Tom. V.

Praeter iam recenſita ſcripta hoc tomo continentur:



*) Monuit me Vir Doctiſſimus et Ampliſſimus per literas, vt immutarem verſionem hanc vocis italicae *ragionata*, quippe quae, vti gallica *raiſonné*, denotet potius id, quod *amplius*, *plenius expoſitum ſit*. Quod quidem verum eſſe, quamuis me minime fugiat, tamen etiam illud video atque perſpicio, hanc notionem huc neutiquam facere, ſed potius recte egiſſe Virum Eruditiſſimum, qui de hoc libro ad Lectores retulit Commentariorum, cuiusque cauſam hic ago, dum *ſtoria ragionata* non per *hiſtoriam pleniorem*, ſed per *hiſtor. ratiocinantem* h. e. rationibus, documentis ſuffultam, expoſuit. Haec documenta quid h. l. aliud ſunt, quam excerpta, ex auctorum medicorum libris fide cum ſumma facta? Nos olim vidimus geometriae praecepta paucis plagulis italico ſermone comprehenſa, qui liber vtvt breuiſſimus minimeque plenus, tamen, cum quaelibet propoſitio rationibus confirmata eſſet, titulo gaudebat, et, quantum perſpicimus, recte quidem, *Geometria regionata.*

D. *K.*

p 1. I. *Obſeruationes medico-practicae de cura rabiei, factae in noſocomio maiori Mediolanenſi a* MICH. GERARDINI, *medic. hui. noſoc. et Senavrenſ.* It. Primum de animalibus, morbum hunc hominibus communicantibus, ex quibus feles prae aliis difficilius rabioſae fiant; narratur tunc, duodecim annorum ſpatio, quo illae obſeruationes duce D. PETR. MOSCATI factae
p. 2. ſunt, quinque tantum a lupis morſos in noſocomium, translatos eſſe. In omnibus aegris vulnera ſolitis quidem, ſed variis modis curata, ſeptemdecim vero, qui omnes inter trigeſimum, quadrageſimumque diem obierunt, mercurialia inuncta
p. 8. ſunt. Pilulae mercuriales WERLHOFII, ſpiritus lumbricorum terreſtrium, cuius drachmae duae, alcalique volatile, cuius guttae quadraginta quotidie datae, et quo omnes excretiones valde auctae ſunt,
p. 3. nec non methodus P. DU CHOISEUL in duobus; repetita ſanguinis miſſio ad deliquium vſque, puluis cantharidum, camphora mixtus, ſpecificum Berolinenſe,
p. 4. eiusdem proſcarabaei granum vnum tribus nitri iunctum quotidieque datum, bis quotidie facta
p. 5. 7. in aquam immerſio, acetum largiſſime potum, bella-
p. 8. donna ad normam MÜNCHII in vno; moſchusque in quatuor aegris fruſtra tentatus, omnibusque his vndeuiginti aegris pereundum fuit. Solum opium,
p. 6. cuius primum quatuor, tum duo, denique tria grana
p. 7. exhibita ſunt, et quod in alio aegro, deglutire non valente, in clyſmatibus et emplaſtris collo applicatis adhibitum eſt, ſymptomata leniuit quidem, bibendique potentiam reddidit, mortem tamen non
p. 9. auertit. In tribus a lupo morſis, qui ſoli diſſecti
p. 9-11. ſunt, vngues liuidi, pharynx et larynx inflammati
p. 9. 10. fuerunt; in duobus eorum amygdalae exulceratae
p. 9. 11. vel in gulam prominentes, pericardii cauum ſero carens, cor vel non grumoſo, vel partim fluido, partim

tim putrido albisque polypis mixto ſanguine plenum, ventriculus pallidus et contractus, bilis per omnia inteſtina effuſa, obſcuriorque veſiculam replens, ſplen heparque parua, reperta ſunt. In vno vero p. 9.
glandulae ſaliuales baſisque linguae tumida, gingiuae liuidae: humor flauus viſcidus in ore, trachea, bronchiis, tenaciſſimus, in fila tractilis inter gyros inteſtinorum, qui pariter ac pectoris cauum et peritonaeum nullo fero madebant, pleura hinc inde inflammata, omentumque paruiſſimum; in alio uvula, meſen- p. 10.
terium, ventriculus, qui et aëre plenus, et tenuia inteſtina inflammata, oeſophagusque conſtrictus et pallidus; in tertia genitalia externa, cerebrum, glan- p. 11.
dulae ſaliuales, inprimis parotides, pulmones, (quorum ſiniſter pleurae adhaeſit, dextrum inter et pleuram multum ſeri effuſum fuit,) pylorus, ſplen, qui permagnus, renesque inflammati; menynges liui- p. 10.
dae, ſinus durae matris, et vaſa neruos cerebri circumdantia ſanguine turgida; in pharynge tres inter ſe conuoluti, vnoque extremo ſub epiglottide in laryngem, altero vero in nares poſteriores porrecti vermes tres, alii tres prope pylorum, innumerique p. 11.
in inteſtinis reperti ſunt.

2. PANZANI *hiſtoria ratiocinans morborum, qui anno* 1786. *graſſabantur, inſeruiens cognitioni conſtitutionum epidemicarum. Italic.* Quae tomo quarto incepta, quantum annum 1786. attinet, prima quarta p. 513.
ſequentis tomi parte abſoluetur, in futurum vero ſeorſim, eadem tamen diarii forma, tradetur. Primum de ſolita tempeſtate auctumnali, et de ratione, p. 12. p. 16.
cur auctumno morbi tam frequentes, magis chronici p. 17.
quam vere, genioque oppoſito ſimul occurrant, ve p. 18.
reque epidemici ſint, v. c. hemicrania, ſpaſmi, con- p. 19.
vulſiones, febres intermittentes, haemorrhagiae, dy-

ſenteria, eryſipelas, exanthemata. Tum narratur, auctumnum anni 1786. de more ſuo ita deceſſiſſe, vt
p 20. September, Octobrisque, praematuro frigore inſignis, priores ſeptimanae maxime tamen Nouember, quo aliquantum frigido venti maritimi perpetuo ſpirauerint, humidi fuerint; Septembri et Octobri multifarias, et, inprimis fine Octobris, frequentiſſimas recidiuas, febres intermittentes, ſimul vero leuiores haemoptyſes, eryſipelata, et, quae tamen primis duap. 21. bus Novembris ſeptimanis frequentiſſimae, febres p. 20. remittentes; Octobri praeterea dyſenteriam a Iulio ad finem Decembris vſque epidemicam, diffup. 21. ſam magis, et apoplexiam ſolito frequentiorem; poſterioribus vero Novembris ſeptimanis ophthalmias, catarrhos varios, acutosque pectoris morbos, hyeme ſequente ſolemniores, occurriſſe. His praemiſſis primum diſſeritur de febribus intermittentibus. Vernales, quae intermiſſionis ſigna non tam manifeſta prodant, raroque recidiuae fiant, et de quibus loquendi occaſionem annus proximus ſit oblaturus, in
p. 22. ſeptentrionali hac Italiae regione, inprimis verſus littora maris Adriatici a fine Ianuarii ad Iunium vſque; auctumnales contra, quae rariſſime ſporadicae et accidentales, tumque epidemicae, non autem con-
p. 25. tagioſae, ſint, a Iulio ad Decembrem vſque obſervari; in iis, quae aeſtate exeunte, auctumnoque ineunte occurrant, faciem, inprimis albugineam, icterицio colore tingi, idque non raro periculoſum eſſe, niſi ſudor, qui vomitu vel diarrhoea coniunctus opti-
p. 26. me ſuccedat, cutem iterum emolliat; viginti horarum ſpatium longiſſimum eſſe durationis febrium, aeſtate, praeſertim calida, primum ſtadium vel deeſſe, vel ſecundo commixtum animaduerti; eo magis ſolito ordine febres procedere, quo humidior
p. 27. frigidiorque ſit auctumnus; de poſſibilitate febrium in-

inuerſum ordinem tenentium, iure dubitandum eſſe;
omnes febres intermittentes vti morbum acutum con-
ſiderandum eſſe; quemlibet enim paroxyſmum ſingu- p. 24.
larem eſſe morbum, aegrumque tempore apyrexias
ſanum et modo ad aegritudinem febrilem diſpoſi-
tum; innumera eſſe exempla febrium omni ſeptimana, p. 27.
trimeſtri, vel anno redeuntium; tertianas a fine aeſtatis
ad Octobrem vſque frequentiſſimas eſſe, raro ſine inſigni
anticipatione redire, rarius poſticipari, earumque pau-
ciſſimas certa quadam hora ingredi; qua tamen quotidia- p. 28.
nae, auctumni medio ſolemnes, et quartanae, quae fri-
gore accedente poſticipari, noctuque redire ſoleant, in-
cedant; duplicatarum tertianarum, non autem quo-
tidianarum et quartanarum febrem ſecundariam ſem-
per mitiorem primaria eſſe; febres intermittentes di- p. 30.
vidi poſſe in eas, quae ante copioſas auctumnales plu-
vias accedant, grauiores quidem ſint, febrifugis ta- p. 290.
men, ſi ſtatim et caute adhibeantur, facile, vti ea-
rum recidiuae, curandae, nec diu durent; easque
quae pluuioſa tempeſtate vel poſt eam incedant, le-
viores quidem ſint, facile vero redeant, diutiſſime
durent, magis ad remittentes pertineant, et febrifu-
gis, niſi purgantia excoprotica, et in apyrexia alia
tonica praemiſſa fuerint, difficulter ſuperentur. Fe- p. 50.
bres, quae in hac Iſtriae parte vulgo Iulio incedere,
Auguſto et Septembri frequentiores fieri, Octobri
imminui, Nouembrique ceſſare, et maxime in pagis
graſſari ſoleant, dicto anno, quo aeſtas valde pluuio-
ſa fuerit, iam tribus circiter ſeptimanis ante ſolſti-
tium inceſſiſſe, Septembri grauiſſimas fuiſſe, nec niſi
Ianuario demum ceſſaſſe. Ideo, quod incolae, in-
primis ruricolae, ob aquae dulcis penuriam, pluuia-
tilem colligere debeant, multasque profundas cauer-
nas in varium vſum, v. c. ad ſalis marini productio- p. 51.
nem, pro piſcibus, habeant, immunditiei indulgeant,

terramque ſuam cretaceam, nec inutiles herbas pro-
p. 52. ferentem ſyluis cinctam copioſeque roratam et aeſta-
te nullis frigidis ventis (dum interdiu corus effluuia
maritima afferat, noctu eurus terram roret) agitatam
ſtercore nimio cogant, febrium auctumnalium fontem
in vero miaſmate palutoſo quaerendum eſſe, quo au-
p. 55. geatur principium inflammabile et alcalinum, tono
p. 56. ſolidorum ſenſim humiditate laeſo. A bile ob aeſtiuum
calorem in duodeno et ventriculo accumulata produ-
ci vomitum, cardialgiam, gaſtritidem, diarrhoeam,
choleram, dyſenteriam, ſymptomata, his auctumna-
libus febribus coniuncta. Tria eſſe ſtadia, inquina-
p. 57. tionis, virulentiae, priſtini redeuntis ſtatus (*ripri-*
p. 58. *ſtinamento*). Haemorrhagiam inteſtinalem obeſis ve-
hementiſſima febre affectis contingentem inepte atrae
bilis nomine vocari. Aeſtate calida febres ſaepe ex-
anthemate, quod *eſſere* vocant, coniunctas eſſe: in
vegetiſſimis magis duplicatas tertianas, conſtanter
p. 60. anticipantes occurrere, et quum inter primariae ea-
rum finem, et ſecundariae initium longius interual-
lum, quam inter huius finem ſequentisque princi-
p. 61. pium obſeruetur, neglectas in remittentes continuas
abire. Gracilibus, quum ad ſudores magis diſpoſiti
ſint, vrbanisque, magis competere ſimplices tertia-
nas, languidis et cacochymicis quotidianas duplica-
tas, melancholicis fibraque rigida praeditis quartanas,
p. 62. trimeſtres, ſemeſtres, annuas. Quartanas prioribus
p. 63. duabus ſeptimanis quidem regulares eſſe poſtea vero
p. 64. duplicari vel triplicari. Ante frigoris auctumnalis
acceſſum febrium intermittentium periodos diesque
criticos illis acutarum febrium ſimiles eſſe, tum au-
p. 66. tem chronicorum morborum ordinem tenere, ſaepe
primum aeſtate ſequente ſanari, ſimulque cum iis fe-
bres remittentes, diarrhoeas, gaſtrodynias graſſari.
p. 68. Morbos inflammatorios oriri a cauſa inquinante in

prin-

principio inflammabili praeponderante, huic inquinato accedente mephitico chronicos. In cura febrium ad vim cauſae inquinantis infringendam morboſamque ad febres diſpoſitionem tollendam totum eſſe intendendum animum. In ſtadio igitur inquinationis roborandi ſpaſmosque tollendi gratia calore, non autem ſicco, ſemicupiis, pediluuiis, vaporibus, lenibus frictionibus, infuſis theaeformibus, non adeo aromaticis, potu calido ſubacido, iuſculis tenuibus, et ſi nauſea, vomitus, cardialgia ſpaſmiue vrgeant, opiatis, non autem emeticis, vtendum eſſe. Haec enim noxia, horrore febrili data, duobus aegris letifera, rariſſime, ſi certa adſint ſaburrae inteſtinalis ſigna, quam tamen ſaepe ipſa natura expellat, in tertio tantum ſtadio, et aegro iam ſudanti propinanda eſſe, ſolam vero nauſeam mouendi gratia in eodem ſtadio data non raro aliquid ad imminuendam febrem facere, eorum tamen effectum ſemper ſex horis ante futurum paroxyſmum ceſſare debere. In ſtadio virulentiae ita, vt in morbis inflammatoriis, agendum, venae ſectionem ſaepe non diu differendam eſſe. Ob eam enim in femina viuida neglectam ſecundo ſtadio tertiae tertianae periodi incipiente coma letale obortum eſſe. Suadere et id haemorrhagias criticas. Impurae materiae per inteſtina excretionem clysmatibus quidem, non autem purgantibus adiuuari poſſe. Haec enim facile vomitum ciere, tempore apyrexiae vtilia quidem, ſemel tamen tantum adhibenda, nec niſi vrgente neceſſitate, et quidem tertio die poſt, repetenda eſſe. Salia media ob alcali ſuum ſaepe cauſam morbi augere, ea igitur, magisque acidula, refrigerandi tantum cauſa, et materia iam ad criſin diſpoſita ac ſoluta, propinanda, acida mineralia vero evitanda eſſe. In tertio ſeu critico ſtadio nimiam humorum, inprimis ſudoris, profu-

p. 149. p. 151 p. 152. p. 200. p. 201. p. 153. p. 154. p. 155. p. 202. p. 203. p. 195. p. 196.

ſionem aëre et balneis frigidis, frictionibus roborantibus, ſpirituoſis, aromaticis, tonicis, vino, prohibendam eſſe. In ſanguine in ſtadio virulentiae febrium recentium, maxime tertianarum miſſo, et in am-
p. 197. plo vaſe tres quatuorue per horas aëri libero expoſito per cruorem transſudare ſerum pellucidum, colore bili hepaticae cum cyſtica nondum mixtae, odore ſudori et vrinae febrili non diſſimile. In ſanguine vero in ſtadio virulentiae recidiuarum, auctumnalium,
p. 198. vel hyemalium febrium miſſo cruorem ſero aquoſo lacteo viridiuſculo innatare, vel plane phlogiſticum eſſe. Colorem autem illum flauidum nec a bile admixta, nec a quadam phlogiſtica viſcerum perturbatione, ſed a principio inflammabili humores, inprimis lymphaticos, ſaturante dependere. Sanguinem etiam e vena miſſum aëre, cui exponatur, in arterioſum quaſi tranſmutari, in recentibus vero febribus nullam permanentem pati mutationem, eas igitur facile curandas eſſe. Quum vero diſpoſitio ad
p. 241. febres in eo forte ſit, quod alcali phlogiſto combinatum in mephiticum tendat, ad eam tollendam inflammabili aucto alcali in phoſphorum volatilem tranſmutandum
p. 244. eſſe. Mineralia quidem multum inflammabile tenere, vix autem digerenda, magisque adſtringentia quam tonica eſſe; animalia in diutioribus tantum in-
p. 245. teruallis, cauteque adhibenda, herbas et fructus recentes ſucculentos facile fermenteſcentes magis alcali euoluere, et licet in paroxyſmo vtilia, apyrexiae tempore tamen noxia eſſe, conuenire potius vegeta-
p. 246. bilia difficulter fermenteſcentia. Varia indigena re-
p. 247. media, ſapore et qualitate cortici Peruuiano analoga,
p. 248. v. c. corticem hippocaſtani, ſalicis, fraxini, gallam, radicem arnicae montanae, vere febrifuga eſſe, ſi
p. 250. modo neceſſaria, et quidem ſaltem vnciarum trium quantitate, exeunte tertio ſtadio paroxyſmi primi

ſimpli-

ſimplicis tertianae febris ea cautione dentur, vt eorum vſus ſex horis ante alterum paroxyſmum abſolutus ſit. In duplicata vero tertiana non niſi exeunte ſecundario paroxyſmo danda eſſe. Paroxyſmorum ſen- p. 251.
ſim decreſcentium ſeptimum iam febris finem eſſe. Febrem tempore apyrexiae ſimplicis tertianae acceden- p. 252.
tem ſalutarem eſſe. Duplicatas tertianas interdum tam p 253.
graues fieri, vt antiphlogiſticis, leniterque laxantibus mitiores reddi debeant. Cortice Chinae ingruente paroxyſmo dato febrem ita praecipitari, vt optima remedia mortem vix auertere valeant, iuuenem- p. 254.
que ideo ſexto iam die obiiſſe. Obſtructionibus an- p. 290.
ſam praebere ea amara vegetabilia, quae vel narcoticam vel ſtypticam facultatem habeant. Erraſſe, indeque peccaſſe medicos, qui duplicatas tertianas primae huius anni epidemiae in Iſtria Veneta tam fre- p. 292.
quentes pro remittentibus, et putridis, endemiis- p. 294.
que morbis habuerint. Febrifuga optime in ſubtiliſſi- p. 295.
mo puluere dari; eiusque tres drachmas per dimidiam horam cum duabus tribusue vnciis vini digeſtas omni ſexta apyrexiae hora in quartanis, easque ſimulante p. 296.
hemicrania propinandas eſſe. In quotidianis vero, quippe quae nullam euidentem apyrexiam habeant, lentis ſimiliores ſaepeque ſporadicae ſint, omni qui- p. 297.
dem anni aetate, rariſſime tamen, quod et hoc anno compertum, in epidemia intermittentium obſerventur, non igitur ad intermittentes, ſed potius ad ſympathicos vel ſymptomaticos morbos referendae ſint, febrifuga inutilia eſſe. Apoplexiam morbum p. 401.
eſſe in variis prouinciae locis toto Octobri ſolito fre- p. 402.
quentiorem, ad epidemicos morbos ſtricto ſenſu referri non poſſe, variis non ſatis aptis nominibus appellari, nec rite definiri; apoplecticum enim eſſe p. 403.
eum, qui vel ſubito, vel per ſat celeres gradus actiua paſſiuaque functiones animae exercendi potentia

aut

aut plane aut ex parte priuatur; vitalibus actionibus
ita ſatis integris, vt totus aegri ſtatus ſomno plus
p. 408. minusue profundo ſimilis videatur. Veteres apople-
p. 404. xiam fortem a debili recte diſtinxiſſe, ſanguineam
enim iam primo die letalem, et plerumque non vl-
p. 405. tra quatuor dies durantem; ſeroſam, quam octo, de-
cem, vigintiue horarum ſpatio hemiplegia, paraple-
gia, pareſis excipiat; ſpaſticam conuulſiuam in hypo-
chondriacis, hyſtericis, arthriticis contingentem, quam
quinto die bis letalem animaduerterit; carum ſeu a-
p. 406. poplexiam minorem otioſis ſomnoque deditis ſolem-
nem, eosque ſtupidos reddentem, diuerſos tantum
eſſe vnius eiusdemque morbi gradus, ad quem coma
ſomnolentum et vigil, lethargusque, quum ſemper
febrem coniunctam habeant, metaſtaſesque arthri-
p. 440. tidis, lochiorum vel lactis referri non debeant. Ab-
vndantiam quorumcunque humorum; idioſyncra-
ſiam adipoſae, quae cum muſculorum robore coniuncta
ſanguineum, eorum cum laxitate combinata phlegmati-
cum temperamentum conſtituat; peruerſam confor-
mationem, collo v. c. ſat breui, thoraci amplo inſi-
dente, vel capite inprimis occiput verſus magno;
p. 441. ſenilem aetatem quinquageſimo anno, nunquam ante
quadrageſimum incipientem; haereditatem; vti
cauſas organicas praeordinantes a praediſponentibus
remotisue, v. c. calore nimio, ebrietate, voracitate,
affectibus animi, abuſu veneris, nimio literarum
ſtudio, quippe quae ſaepe non noceant, vel alios
p. 444. morbos gignant, probe diſtinguendas eſſe. Inuolu-
cra cerebri tumida et rubentia; interdum liuida, vaſa
piae matris velut varicoſa, ventriculos vel anguſtos,
vel ſanguine, et inter menynges et in ipſam cerebri
ſubſtantiam effuſo, plenos, plexum choroideum
tumidum et inflammatum vel collapſum et vacuum
animaduerti in iis, qui ſubito apoplectici, in iis ve-

ro,

ro, qui per gradus tantum hoc morbo affecti, inuo-
lucra pallida, flauida, macerata, cerebrum quasi soli- p. 445.
to minus, in eo plexuque choroideo varicoso varias
hydatides, ventriculosque vario sero plenos. Haec
causam morbi constituentia ab accidentalibus, nem-
pe toto cerebro r. edullisque ad tertiam vsque verte-
bram in summa apoplexia laesis (in lentiori enim ce-
rebellum medullasque illaesas videri) differre. In
subitanea apoplexia ob pulmonum vasa lacerata pul-
mones, pleuram, superioremque diaphragmatis par-
tem inflammatam apparere, atrumque sanguinem
per os naresque effluere; sine laesione cerebri nul-
lam vero apoplexiam esse. Hanc non plane impro- p. 481.
viso inuadere, sed variis hic recensitis phaenomenis,
inter quae grauis capitis dolor cephaleae non dissi- p. 482.
milis, saepe vomitu coniunctus, Australi humidissi-
ma constitutione solemnis, Octobrique huius anni
multum humido frequentissimus, inprimis notatu
dignus, praenuntiari, tum autem apta remedia sae-
pe negligi. Arteriarum elasticitatem sensim immi- p. 484.
nutam, plethoram vasorum maiorum inde ortam, ce-
rebrum ob maiorem venarum eius, perceptionibus p. 532.
mentis sensim factam, compressionem iners reddi-
tum, disponere ad syncopen, quae sanguine per in- p. 533.
signe temporis spatium stagnante, vel phlogistico
progrediente letalis fiat, noua vero in centralibus, inpri-
mis cerebri, arteriis enata circulatione, oborta apo-
plexiam, et quidem solito more anno sexagesimo et
post hunc pariat; hanc vero Octobri ob inopiam aë-
ris vitalis venosumque sanguinem eo non dephlogi-
sticatum tam frequentem fuisse. Propriam apople- p. 534.
xiae originem in cerebro ob arterioso sanguinis ad il-
lud auctum impulsum, venosique impeditum reflu-
xum compresso quaerendam esse. Pallente adhuc p. 536.
aegro, pulsuque et respiratione quasi oppressis stimu-
lantia

lantia, his vero reuiuiſcentibus et facie igitur colore
obducta ſtatim largiſſimam venaeſectionem in bra-
p. 538. chio eſſe inſtituendam, lentoreque in venis rema-
nente repetendam, non autem emetica et epiſpaſti-
ca applicanda. Apoplexiam enim inflammatoriis
morbis, in quibus repetita venaeſectio etiam neceſſa-
p. 539. ria, ſimilem eſſe, ſoloque lentiori in cerebri venis
motu ab iis differre. Quum vero ſaepe non pletho-
p. 542. ra, ſed principium viuificans modum excedens, va-
ria mala pariat, non mirum eſſe, quod haemorrha-
giae, vel et ſudores ſpontanei in ſuperandis his ma-
lis venaeſectione praeſtent.

3. *Tolerantia philoſophica morborum, obſerua-*
p. 47. *tiones medicae practicae* IOS. PASTAE *c.* 23. *epiſt. inedit.*
*Cl.* ANT. COCCHII *max. part. ad idem argumentum*
*pertin. Bergam.* 1787. 9. *Italic.* Prudenter cunctari
p. 207. medicos docet, 1. in morbis ſponte ſanabilibus, iis
nempe, qui ab aetate, vitae genere, climate pen-
dent, endemiis, variis acutis et chronicis v. c. vario-
lis, morbis obſtetriciis et chirurgicis, in conuulſio-
p. 208. nibus, in quibus inprimis muſicam, corporis exer-
p. 207. citium, animique tranquillitatem internis reſoluen-
tibus et roborantibus, quae inutilia ſint, praefert; 2. in
p. 209. morbis ſalutaribus, cutaneis haemorrhoidibus, hae-
morrhagiis, diarrhoeis, vomitu, gonorrhoea, fluore
albo, podagra; 3. in morbis inſanabilibus, haereditariis,
qui a partium internarum liberorum cum iisdem paren-
tum ſimilitudine pendeant, congenitis, organicis (ni-
mis ſubtiliter diſtinctis: in ſingulari capite vero, quo-
modo aegrorum deſideriis, licet ſaepe ineptis, ſatis-
p. 210. facere debeant medici, eleganter demonſtrat Cl. Au-
p. 211. ctor, dicta ſua COCCHII epiſtolis corroborans.

4. MATTH. SALVADORI, *medic. Tyrol. vicar. di*
p. 48. *Mori, libri tres de morbo phthiſico. Trident.* 1787. 4.
*Italic. recenſ. a Ranzano.* Ipſe Cl. Auctor ſecundo
iam

iam gradu phthiſicus, perque tres annos recentiorum medendi methodo fruſtra vſus, inſtituto ſymptomatum morbique progreſſus examine cognouit, phthiſin non eſſe morbum topicum, vel exulcerationem pulmonum, ſed morbum ſyſtematis lymphatici, eiusque glandularum. Incremento enim hominum absoluto canales ſubtiliſſimos arterioſos dilatari, gigni inde diatheſin phlogiſticam, et obſtructionem glandularum, inprimis meſenterii et pulmonum, ceſſante vero illa diatheſi, partium debilitatem, auctasque ſe- et excretiones, veramque igitur atoniam. Quibus diſtincte expoſitis venaeſectionis, diaetae lacteae, (adultis neutiquam conuenientis) tenuisque, ſopientium, euacuantium, expectorantium, conſolidantium, adſtringentium, balſamicorum, (ſemper acrium) ſuffimigiorum inutilitatem et damna perſpicue docet; quid HIPPOCRATES variis locis, huiusque methodum inutilem quidem non declarantibus, attamen relinquentibus recentioribus non aſſentientes SYDENHAMVS et BENNETVS de cura phthiſeos praeceperunt, ſedulo comparat; et exemplis duorum phthiſicorum vſu ciborum ruſticorum ſanatorum (quorum alter acum, quam ante nouem menſes inſpirauerat, iterum exſcreauit); ſacerdotis phthiſici cum ligna in ſyluis caedentibus edendo et viuendo; iuuenisque thermarum Aponenſium colluviem ardentiſſimam pectori admouendo, indeque tumorem fluctuantem vehementiſſimosque ſudores proliciendo, a morbo ſuo liberatorum, in ſua ſententia confirmatus praecipit, vt omni diaeta et medicamentis intermiſſis omni mane, poſt prandium, et veſpera, non autem diebus humidis, frigidis, ventoſisue, per loca elatiora celerrime et vſque dum largiſſime ſudent, ambulent, tum igni ſe admouendo ſudores per totum corpus vlterius proliciant, poſtea ſeſe exuant, denſiſſimisque, ſiccisſimis et calidiſſimis veſtibus

p. 307. p. 308. p. 310. p. 311 p. 313. p. 314. p. 316. p. 317. p. 319. p. 324. p. 325. p. 326.

ſtibus iterum induant, parumque ab igne remoti largiter edant, vinumque bibant; non autem ſudantes ne ſudor reſorbeatur, lectum petant phthiſici aegri.
p. 327. Cuius methodi vtilitatem, (ſudores illos motu productos a pernicioſis illis phthiſicorum, morbosque
p. 328. qui a virium inopia, qualis phthiſis, ab iis, qui a virium abundantia, probe diſtinguens,) ſuo ipſius, aliusque phthiſici exemplo comprobat, eamque por-
p. 329. ro praedicat libro II. in morbis phthiſi affinibus, nempe tuſſi ſicca, in qua aegro loco vulnus infligi iu-
p. 330. bet vel aduſtione, vel ſetaceo, vel cauterio; phthiſi pituitoſa, cui atoniae pulmonum nomen competat; haemoptyſi, tuberculis, vomica, empyemate, atrophia, diſpoſitione phthiſica, variisque febribus chronicis, in quibus praecipue ſucculenti maturique fru-
p. 331. ctus valde proficui: Libro III. in morbis, quorum diuturna duratio, ſucceſſiuaeue mutationes phthiſin
p. 332. producere ſoleant, v. c. catarrho vel febrili, vel apyretico diutius durante; peripneumonia, in qua ſtertore accedente emetica adhibenda; rheumatiſmo, ſcarifatione vel epiſpaſticis in loco affecto curando;
p. 333. podagra, cuius incremento durationique inertia faveat; morbis epidemicis, exercitio corporis fungentes et robuſtos rarius affligentibus, in quibus acida mineralia, vere cauſtica, noceant; morbo venereo, cutaneis, affectibus animi.

p. 80. 5. PORTALII, *membr. acad. etc. Obſeruationes de phthiſi congenita. Pariſ.* 1784. *Gallic. recenſ. a* PANZANO. Variis ex rationibus experientiaeque docu-
p. 85. mentis contagium phthiſeos negatur; VALSLAVAM
p. 87. et MORGAGNIVM illud non aſſeruiſſe, BENNET-VMque haereditaria phthiſi, non autem contagio phthiſicorum cadauerum, quae innumera SANTORINIUS ſine
p. 102. noxa diſſecuerit, correptum fuiſſe, a PANZANO contenditur; phthiſin *accidentalem* praegreſſo catarrho, peripneumonia, alioque morbo oriundam, vereque glan-

glandulas bronchiales afficientem, a *congenita*, ita fre- p. 91.
quenti, vt aegrorum phthiſicorum curae PORTALII
demandatorum plures, quam duae tertiae, phthiſicis
parentibus nati fuerint, glandulasque lymphaticas cum p. 105.
pulmonales, (quas lymphae ex corpore reſorptae atte- p. 107.
nuandae et in animalem ſubſtantiam vertendae inſeruire
PANZANIUS opinatur), tum totius corporis, laedente
diſtinguendam eſſe; in hac glutinoſum e glandulis p. 109.
quaſi exſudare, fibrasque telae celluloſae congluti-
nare, ſummam inter eandem et ſcrophuloſum ma- p. 112.
lum analogiam ex vtriusque ſede, ſtructura corpo- p. 114.
rum, voce clangoſa iuniorum, aliquantum rauca
adultorum, colore cutis et oculorum, ingenii acu-
mine, diſpoſitione ad ſudores, obſtructiones et in-
flammationes, ſanguine miſſo, vti in pleuritide et pe-
ripneumonia, cruſta inflammatoria obducto, emol-
litione muſculorum, oſſium, immo dentium, vt re-
bus vtrique aegrorum generi competentibus; eoque
quod ſcrophuloſorum parentes phthiſici, phthiſico-
rum ſcrophuloſi fuerint, luculenter patere; ſcrophu- p. 115.
las a quarto ad decimum vſque annum, phthiſin vero
a decimo quinto anno quidem ſeſe euoluere, nullum
tamen certum eſſe tempus, nonnullos enim parenti- p. 91.
bus adhuc viuentibus in cunis, alios quadrageſimo,
immo octogeſimo demum anno phthiſi congenita
obire; in ſcrophulis chronicam, in phthiſi acutam p. 117.
magis inflammationem forte eſſe ſtatuendam doce- p. 118.
tur; lac et potus incraſſantes prohibentur, periodi-
caeque et moderatae ſanguinis miſſiones, cauteria in p. 119
brachio lateris affecti, balnea quotidiana, aperitiua
humectantibus et refrigerantibus iuncta, ſucci cicho- p. 120
rei, naſturtii, beccabungae primum ſoli, tum terra
foliata tartari mixti, larga doſis pulueris polygalae,
poſtea antimonialia, aquae minerales cum mercuriali-
bus, et obſtructionibus ſolutis equitatio vel nauiga-
tio in hac vix ſanabili phthiſi commendantur.

p. 92. 6. HALLE *diſquiſitio naturae et effectuum mephitis locorum communium vel latrinarum a fac. med. et ſoc. reg. med. Pariſ. public. iuſſu gubern. Pariſ.* 1785. *Gallic.* Quum partes animalium mortuorum, vege-
p. 39. tabilia putrida, et inprimis aqua lixiuii in latrinas Gallicas iniiciantur, has prae iis aliarum regionum easdem purgantibus duos inferre morbos. In primo *plomb* dicto, a vaporibus nullo ſingulari odore praeditis producto, ſi primitiuus, reſpirationem ex improuiſo tolli, ventrem tumefieri, ſanguinolentam ſpumam ex ore exire, vomitumque et diarrhoe-
p. 94. am ſalutarem eſſe, ſin autem ſecundarius, venenum iam humoribus commixtum eſſe, ventriculum intumeſcere, aegrum ridere vel dormire. In altero morbo qui *mitte* audit, a vaporibus acribus rodentibus orto, oculos inprimis vel ſubito, vel lente, inflammari, ſaepe coecitatem ſequi. His morbis medendi et praecauendi recta docetur methodus, IANINI antimephiticum vero acetoſum et noxium declaratur, inprimisque larua ROZIERII longo tubo ex diſtante altiorique loco puriorem aërem afferente inſtructa
p. 95. commendatur, et hos morbos in Italia incognitos eſſe praedicatur.

7. *Tract. de podagra, in quo examinatur et ſtabilitur cauſa primitiua cum podagrae, tum calculi veſicae renumue, et facilis methodus ambobus his malis praeueniendi et medendi* 1786. *Lond.* 8. *Angl.* Cauſam eſſe terram calcaream, hanc in inteſtinis et ventriculo ſemper praeſentem ab acido in ſal neutrum mutatam humoribus commiſceri, horum vero alcali volatili, aëre fixo ſeu gas acido carbonico ſaturato, ita mutari, vt aci-
p. 96. dum alcali, terra vero gas illi ſe vniat. In cibo et potu igitur, quid terram calcaream contineat, et omne acidum euitandum, alcalinisque mala curanda eſſe. Nullae tamen additae ſunt obſeruationes.

8. *De-*

8. *Delectus opuſc.* medic. *antehac in Germaniae diuerſ. acad. editor. quae in audit. commodum collegit etc. not. hinc inde aucta pecudi curauit* IO PETR. FRANK. *D. fac. med. per Inſubr. Auſtr. et noſoc. Ticin. direct. Med. clin. in r. at. Ticin. Prof. p. o. Vol. 4. Ticin.* 1787. 8. Continet FRANKII Oratt. de venaeſectionis apud puerperas abuſu, et de chirurgo medicis auxiliis indigente. IO. WELTI diſſ. de exanthematum fonte abdominali. I. PETR. WEIDMANN de necroſi oſſium annot. CAR. CASP. SIEBOLD de morbis inteſtini recti. A. FR. WALTHER de obeſis et voracibus etc. et LVD. CHR. ALTHOF de febre petechiali obſſ.

9. *Methodus nomenclaturae chymicae propoſita a* MORVEAU, LAVOISIERIO, BERTHOLETO et FOURCROY *Pariſ.* 1787. 8. Iam exeunte anno 1782. MORVEAU tentamen fecit ſalia neutra aptius et ita denominandi, vt ſtatim eorum natura intelligatur, eumque BERGMANNVS, vt omnes ſubſtantias chemicas ita denominet, ante obitum ſuum commonuit. Tr. I. LAVOISIERIVS de rationibus et vtilitate ſubſtantias illas, ex quibus eae, quarum compoſitio nondum nota, omiſſae fuerunt, ita denominandi; Tr. II. MORVEAU de claue principiorum huius denominationis; Tr. III. FOURCROY de eo, quod ad tabulam nomenclaturae melius intelligendam faciat. Lexici prioris prima columna nomina iam nota, ſiquidem exiſtant, altera nouiter recepta, cum Gallica tum Latina, barbara ſaepe quidem, perſpicue tamen naturam rerum denotantia, interdum modo aliorum auctorum ſententiis contraria (v. c. oxygenum et hydrogenum, nomina illud vitalis, hoc inflammabilis aëris baſi, attributa); in poſteriori lexico inverſo ordine conſpicienda, tradit. Scire vero oportet, acida naturali oxygeni doſi vnita in *icum*, et ſalia neutra ex iis aliisque ſubſtantiis ſimplicibus compo-

p. 121

p. 122.

p. 123.

p. 124.

p. 126.

p. 129.

ſita in *itum;* acida autem minori doſi oxygeni coniuncta in *oſum*, et ſalia neutra ex iis, aliisque ſimplicibus ſubſtantiis conflata in *atum* terminari; addi vero vocem *oxygenatum*, ſi vel acida, vel ſalia, neutra maiorem oxygeni doſin contineant; vocari ſalia neu-
p. 130. tra *acidula* acido, *ſupraſaturata* ſubſtantia ſimplici ſuperiori; metalla oxygeno coniuncta, eo tamen nondum acida facta, vel diſſoluta nominari *oxides*, iam calcium metallicarum nomine notas, aliaque ſimplici ſubſtantia adiuncta huius nomen addi, v. c. *oxis zinciſulphurati;* radicalia acida cum alia ſimplici ſubſtantia coniuncta huius nomine adiecto in *vrum* terminari, v. c. *phoſphurum ferri*: Tabulae ſunt ſex columnae. In 1. ſubſtantiae ſimplices, vel nondum certo decompoſitae, quinquaginta et quinque, quatuor vero ſimplices, lux,
p. 131. caloricum, oxygenum, hydrogenum; viginti et ſex radicalia acida, nitricum, carbonicum, ſulphuricum, et phoſphoricum, muriaticum, boracicum, fluoricum, ſuccinicum, aceticum, tartaricum, pyrotartaricum, oxalicum, gallicum, citricum, malicum, benzoicum, pyrolignicum, pyromucicum, camphoricum, lacticum, ſaccolacticum, formicum, Pruſſicum, ſebacicum, lithicum, bombicumque, quorum priora quatuor etiam ſine oxygeni coniunctione aci-
p. 134. da fiant; ſeptemdecim metalla, relatis etiam ad ea molybdaeno, Scheelio, mangneſio; arſenicique, mangneſii, cobalti et antimonii nominibus regulis horum metallorum, qui tamen vera ſint metalla,
p. 135. attributis; quinque terrae, ſilex, alumen, barytes, calx, magneſia; tria alcalina, cinis clauellatus, ſoda, ammoniacale. In 2. ſimplices ſubſtantiae calorico in
p 136. gas mutatae, oxygenum, hydrogenum, oxoticum, et ammoniale, idem ac aër vitalis, inflammabilis metallicus, phlogiſticatus, alcalinus; Primum vero gas luce potius obortum, gasque carbonicum, vel aërem inflammabilem oleoſum immerito excluſum eſſe.

In

In 3. ſimplices ſubſtantiae, quae oxygeno vniri ſe patiuntur, nec tamem in gas mutantur. Nempe a) aqua ex vnione hydrogeni cum oxygeno orta, b) viginti et ſex radicalia acida, quorum ex plurimis acida tantum in *icum*, ex tartarico, pyrotartarico, pyroligneo et pyromucico ſola acida in *oſum* ſe terminantia; ex ſulphurico, phoſphorico et acetico acida vtriusque termini; ex muriatico praeter id in *icum* etiam *oxygenatum;* ex nitrico tandem acida in *icum* et *oſum*, baſisque gas nitroſi oriantur; c) oxides metallorum, ex quibus arſenicum, molybdaenum et Sheelium, forte et antimonium, ſtannum et ferrum vere acida fiant in *icum* terminanda, et quae a colore et vitrificatione diuerſa nomina accipiant, velut oxis manganeſiae alba, atra, vitrea; antimonii alba ſiue acido nitroſo, ſiue acido muriatico ſublimatico comparata, et vitrea; oxis zinci, et zinci ſublimati, e. ſ. p. In 4. ex ſubſtantiis tertiae columnae et calorico enata gas, nitroſum, ſexque acida gas, nitroſum, carbonicum, ſulphuroſum, muriaticum, muriaticum oxygenatum et fluoricum; nec non oxides metallicae ſimplicioribus ſubſtantiis coniunctae, v. c. arſenici ſulphurata, flaua et rubra; arſenicalis cineris clauellati, quae idem ac hepar arſenici, e. ſ. p. In 5. ſalia neutra ex acidis tertiae, et terris, alcalinis, metallisue primae columnae enata, v. c. ſulphatum et ſulphitum cineris clauellati, i. e. acidum ſulphuricum et ſulphuroſum cum eiusdem cineris alcali; phoſphatum ſupraſaturatum ſodae, et oxalatum acidulum cineris clauellati, i. e. acidum phoſphoricum et oxalicum, illud cinere clauellato, hoc acido ſuperante. In 6. acida radicalia cum aliis ſimplicioribus ſubſtantiis coniuncta, v. c. carbonicum cum ferro, quod dicitur carburum ferri, et quae adhuc aliam v. gr. metallicam ſubſtantiam adiunctam habeant, vti ſulphurum alcalinum arſenici; porro aëres hepatici et phoſphorici ſub nomine

p. 137

p. 138.

p. 139.

mine gas hydrogeni ſulphurati et phoſphorati, lega-
ta et amalgamata metallorum. In appendice ſub-
ſtantiae ex diuerſis quidem animalibus vegetabilibus-
que corporibus extractae, ſibi tamen ſimiles, ſcil. mu-
coſum, gluten, ſaccharum, amylum, oleum fixum
et volatile, aroma, reſina, extractiuum, extractum
p. 140. reſinoſum, et reſina extractiua, (in illo extractiuum,
in hac reſina ſuperior eſt,) fecula, ſpiritus vini, ſeu
alcohol, (nomen omnibus tincturis, v. c. guaiaci
datum, acidique in eo ſoluti et dulcificati nomine
addito, velut alcoholnitricum, Pruſſicum et muria-
ticum, idem ac ſpiritus nitri dulcis, tinctura nucis
gallae, acidum marinum dulcificatum;) aetheres ex
ſpiritu vini cum quodam acido formati, v. c. ſulphu-
ricus, muriaticus, aceticus, tandem compoſita ex
ſimplicibus ſubſtantiis et oleis, quae ſi ex oleis fixis,
ſapones, ſin autem ex volatilibus ſaponuli audiunt.

p. 269. 10. *Meditationes de noua nomenclatura chemica et praeſertim de termino, calorico. Italic.* Repetit. Cl. AGLIETTI ſententiam ſuam de aſſumenda illa no-
menclatura ſine neceſſitate auctorum eius opiniones
ſimul amplectendi, miraturque, BEAUMIVM, CA-
DETUM, D'ARCETUM et SAGIUM, quibus iudi-
cium de ea ab academia ſcientiarum commiſſum
fuerat, aliter ſenſiſſe. Nomina oxygenum, hy-
p. 274. drogenum, caloricum, (quod nomina phlogiſti,
quo BERLINGHIERIVS *), et phlogiſtici, quo
BVCCI **) elementum ſui generis ab igne et
principio inflammabili diuerſum, non combuſtibile,
nec

*) LEOP. VACC. BERLINGHIERI *examen theoriae caloris Cel. Angli* CRAWFORDI *c. nonnull. nouis coniect. de ead. mater. Piſae* 1787.

**) BVCCI *Prof. Fauent. Obſſ. de phlogiſto, et diuerſis ſpeciebus aëris Parau.*

nec per ſe flammam producens, intelligant, quodque omnes alias hucuſque receptas denominationes et diſtinctiones ſuperet et complectatur) azotum, (quo gas phlogiſticum, gasque alcaligenum BERTHOLLETI ſimul denotetur) et carbone (a LAVOISIERIO ab illo Gallorum *charbon* diſtinctum) in ſpecie defendit; conſultiſſimumque eſſe retur, vt omnia acidorum principia radicalia nominibus propriis ad non- dum decompoſita referantur, niſi acida, vt ſimpliciora, baſesque acidificabiles, vt ex acido, alioque principio compoſitas conſiderare aliis magis placuerit. Demonſtrat etiam, BERLINGHIERVM ex eo, quod in thermometro in atmoſphaera per ſcintillam electricam phlogiſticata ſuſpenſo nulla mutatio producta fuerit, aërem purum nil caloris continere, opinionemque CRAWFORDI ideo fundamento ſuo deſtitui iudicantem, falli, aëris enim phlogiſticationem per ſcintillam electricam, ſi vnquam fiat, ita lente fieri, vt nulla inſignis mutatio in thermometro oriri queat. Optime de calorico diſſerere Anglum, D. HIGGINSIVM *); auctores nomenclaturae, lucem adhuc diſtinguentes et tantum ſimplicium numerum aſſumentes magna circumſpectione egiſſe, ROZIERII vel potius MONGEZII et LA METHERIE in diario phyſico factas obiectiones nullas eſſe; neminem enim per quinque annos primum MORVEAUI tentamen impugnaſſe; neceſſe eſſe, vt diuerſa diuerſis temporibus ſolemnia nomina memoria teneant eruditi; ipſa ſcientiarum nomina barbara eſſe, nec hoc euitari poſſe, niſi plures adhuc ſubſtantiae fuerint decompoſitae, elementaresque detectae. Nouum WEBSTERI **) ten-

p. 338. p. 339. p. 271. p. 279. p. 280. p. 339. p. 340. p. 341.

 tamen

* *Exper. et obſſ. de aëribus, materia ignis, lucis, reductione metallorum, combuſtione etc.* 1788.

**) *in comment. med. Edinb. per ann.* 1787.

tamen idem docere, in quo ſalia neutra *acidata* alcalina, terrae metalla; phlogiſto accedente, *phlogiſto acidata*; acido abundante, *ſuperacidata;* minori eius copia, *ſubacidata;* eorum praecipitata, *deacidata* nominentur, indeque nomina occurrant; ſuper-
p. 342. ſub-de-vitriolatum, nitromuriatum (i. e. aqua regia), caeruſilatum, (vel acidum azzuri Berolinenſis) cretatum (h. e. acidum carbonicum) etc. in quo porro ex acido et alcohol parata, quae aetheres audiunt, acidocol vt vitriocol e. ſ. p. ſpiritus dulcificati *acida vel alcalina coliſata*, eſſentiae *olea coliſata*, tincturae *coliſata* vel *aqua coliſata*, gummireſinae *de aqua coliſata*, extracta reſinoſa *decoliſata*, gummoſa *ſubſtantiae deaquatae*, compoſita ex ſulphure *ſulphurata*, aër hepaticus, *ſulphocalinus*, deliqueſcens *aqueſcens*, efflureſcens *deaqueſcens*, decrepitans *ſubaquatum*, deflagrans *deaëroſcens*, attractio vel affinitas chemica *vneſcentia* appellentur, pluresque tam barbarae denominationes obueniant.

p. 141. 11. *Expoſitio effectuum oſcillandi in cura phthiſis pulmonalis et febris hecticae a* IAC. CARMICH. SMYTH. *ſoc. reg. et med. reg. magn. Britann. Lond.* 1787. 8. *angl.* Nauigationis in phthiſicis vtilitatem nec ab aëre marino illis magis noxio, nec ab effluuiis picis,
p. 142. nec a vomitu, tuſſim et expectorationem magis excitantibus, ſed a ſola corporis ſine eiusdem muſculorum actione facta e loco motione, qua calor, pul-
p. 143. ſusque celeritas imminuantur, dependere; idem facere oſcillationem in pluribus quam quatuordecim aegris quotidie bis per dimidiam horam feliciter tentatam, qua ſaepe centum et triginta pulſus per minutum temporis ad ſeptuaginta vſque reducti fuerint.

p. 144. 12. THOM. WITHERS *med. noſoc. Yorc. Tr. de aſthmate* 1786. *Lond.* 8. *angl.* FLOYERVM et CVLLENVM ſequitur. Bis quotidie ſcrupulum florum zinci dedit.

Quid

Quod his tribuit, forte mutatae atmoſphaerae et opiatis ſimul adhibitis tribuendum eſt.

13 et 14. GVIL. LEWIS *nouum diſpenſatorium, Ed. V. reuiſ. et correcta, Lond. idem Edinburgenſe continens elem. pharmac. oper. med. huius facult. Edinb.* 1786. 8. *angl.* Recentius detectis aucta ſunt.

15. D. DENMANI *tentamen de haemorrhagiis vteri a grauiditate vel partu pendentibus, Lond.* 1786. 8. *angl.* Hic tantum de partu complicato 1. haemorrhagia ſola, 2) conuulſionibus, 3) partu plurium quam vnius infantis, 4) funiculo vmbilicali infantem praegrediente.

16) *Vaſorum lacteorum atque lymphaticorum anatomicophyſiologica deſcriptio faſcic. I. edid.* P. CHR. FR. WERNER et CHR. GOTTH. FELLER. *c. tabb. IV. Lipſ.* 1784. 4. Continet animaduerſiones de ortu lacteorum vaſorum et curſu per meſenterium, externis characteribus, quibus a venis diſtingui poſſint, eorumque et glandularum meſentericarum vtilitate. In quibus contenditur, tunicas vaſorum lacteorum, quum ea valuulis praedita, et hydatides eorum pro veris tumoribus lymphaticis habendae ſint, magis robuſtas illis venarum eſſe; glandulas neruis non carere; eis ſecundi ordinis, quum plurima vaſa recipiant, primariarum nomen magis competere; reſorptionem chyli ex inteſtinis contractione fibrarum tunicae muſculoſae inteſtinorum valde etiam adiuuari; in infantibus, praeſertim iis, qui vtero materno adhuc ineluſi ſint, largam olei glutinisue copiam ex meconio reſorberi, iisque ob vis muſcularis inertiam plures eſſe et ampliores glandulas, vaſorumque diſtributiones. Diſſeritur tum de cadaueribus, in quibus, modoque et cautione, qua et in his vaſa detegenda ſint. Fuſius denique et aptius quidem quam a RVDBECKIO, BARTHOLINO, SCHMIEDELIOque, non adeo tamen, vti adiecta MASCANGNI monita docent,

p. 156. p. 161. p. 162. p. 163. p. 164. p. 166. p. 167.

p. 168. rite et exacte, vasa lymphatica superficialia hepatis; a lacteis minori valuularum non exacte claudentium, solitariarumque numero, qui in truncis adhuc minor, quam in ramis, differentia, describuntur, iconibusque illustrantur. Ex profundis vero ea tantum Auctoribus innotuerunt, quae cum superficialibus anastomoses
p. 175. faciunt. Cadauerum sex - vel septennium rhachiticorum, in quibus glandulae et vasa mesaraica obstructa, heparque permagnum vmbilicum attigit, sectione nutritio eiusmodi aegrorum per illa hepatica vasa luculenter apparuit.

p. 176. 17. I. B. PALLETTA, *Phil. et med. D. et nosoc. mal. Mediol. chir. ord. aduersaria chirurgica prima* 4. *Mediol.* Obseruationibus confirmat claudicationis causas cum non adeo frequentes, tum frequentissimas, posterioresque potissimum examinat.
d. 178. Affert exemplum apparentis luxationis femoris ab abscessu telam cellulosam musculorum occupante, et a scrophulosa causa enato. Docet, deesse signa certa, num tumores inter laminas ligamenti teretis, vel in acetabulo reperti a laesa HAVERSII glandula, vel pinguedine aut alia substantia acetabulum infarciente
p. 180. vel alio vitio ligamentorum oborti fuerint, causam claudicationis iuniorum epiphyseos a diaphysi remotionem esse non posse, quum illarum nexus in tenerioribus sat firmus sit, in senioribus potius humorum dyscrasia perturbetur; signa duo pathognomonica luxationis fracturaeue, inflexionem genu, eiusque et apicis pedis exteriora versus contorsionem, in aegro,
p. 181. cui colli femoris substantia corrosa fuerit, et in alio iam sex abhinc annis claudicante defuisse, hancque differentiam forte ab aetate, temperamento, sexu fracturaeque varia directione dependere; incertum esse, an claudicationem per se producant ligamenti teretis de-
p. 182. structio vel absentia, illud enim in robusto defuisse,

qui

qui non claudicauerit; ſubſtantiam femoris poſt neglectas vel male curatas contuſiones, vel et, vti duo docuerint exempla, a metaſtaſi varioloſa laedi, indeque os abbreuiari. Refert, iconibusque illuſtrat duo exempla claudicationis connatae, non autem prius, quam firmo pede ambulare queant infantes, animaduertendae. In primo cauum acetabuli ouale capitis loco recepit tuber ouale, deorſum roſtri obtuſi ad inſtar elongatum, corporique femoris ita immediate inhaerens, vt eius apex in eadem linea cum trochanteris fere vndecim lineas ſupra eum prominentis baſi collocatus fuerit; in altero puellae bimeſtris plurium articulationum vitiis affectae femoris collo vere carentis caput repraeſentauit, tuber in ſuperficie conquaſſatum ſub trochantere, cuius baſi immediate adhaeſit, quaſi reconditum, atque ligamento non triangulari, robuſto, a toto iſchiadici caui margine fibris ſenſim conicis factis in planam tuberis illius ſeu capitis faciem producto firmatum, exoſtoſi ſcilicet ex ilei oſſe orta cotyloideam cauitatem obliterante. In congenita illa claudicatione, quae ſequiori ſexui ſolemnior ſit, quam potiori, et, capite tum non vltra trochanterem prominente, a nimia etiam obliquitate transuerſaue colli directione, laeſa capitis figura, oſſis ſacri tum in aegro latere tuber oblongum et valde compreſſum habentis ab innominato remotione oriri queat, femoris os non tantum ſolito breuius, et ſigna non tam manifeſta, vt in luxatione fracturaque oſſis, animaduerti, aegros tota planta pedis inſiſtere, eorum femora macie et crura debilitate non affici, et genitalia feminea ſolito magis non incauata eſſe; contendit Cl. Auctor, plura aduerſaria promittens.

p. 183. p. 184. p. 185. p. 188. p. 185. p. 186. p. 188 p. 187.

18. THOM. FOWLERI *med. noſol. gen. Comit. Hertfort. hiſt. med. de effectibus nicotianae vt diuretici in cura hydropum ſeu dyſuriae, c. nonnull. obſſ. de vſu clysmatum nicotianae in cura colicae. Anglic.* Laudatur p. 188.

tur in his morbis infuſum ex foliorum ſiccorum vncia vna, ebullientisque aquae libra vna per horam vnam in balneo Mariae digeſtum, cum duabus ſpiritus vini rectificati vnciis commixtum, cuius ſexaginta vel centum guttae adultis non ieiunis, ſed duabus horis ante prandium, veſpera ante cubandum in vehiculo quodam, in clyſmate vero vncia propinari debeat.

19. PETR. SOGRAFFI *P. P. in vniu. Patav. cur-*
p. 189 *ſus elementaris artis obſtetriciae, diuiſus in lectiones Tom. I. Patav.* 1788. 8. *Italic.* Deſcribit ceracea et argillacea, in camera obſtetricia Patauienſi contenta, exemplaria, vteri et partium partui inſeruientium fabricam, mutationesque, quas in grauiditate experiantur, et varios foetus ſitus et conſtitutiones a primo eius ortu ad expulſionem vſque occurrentes illuſtrantia; traditque anatomen partium partui inſeruientium,
p. 190. earum vſum, differentiam in partibus foetus vix nati oriundam, et de grauiditate, partu, puerperio, cura neonati exponit. Contra BAVDELOCQVIVM foetus natibus procedentis exitum oſſium foetus mobilitate potius adiuuari, et, quum foetus etiam matre
p. 191. iam mortua expellantur, fibrarum vteri irritabilitatem, vltimo grauiditatis tempore nimia vteri extenſione excitatam, primariam expulſionis foetus cauſam eſſe aſſerit, in quo ab AGLIETTO refellitur. Tomus II. de partibus non naturalibus aget.

20. *Inſtitutiones pathologiae medicinalis* HIER. DAV. GAVBII *Ed. II. Italic. iuxta tert. Leidenſ. ab auctore nou. cur. recognit. et auct.* 8. *T.* 2. *Venet. apud Petr. Paſquali* 1787. Indicaſſe ſufficiat.

p. 221. 21. *Epiſtola Cel. Dn. D. F. A. ad* D. FRANC. AGLIETTVM *continens epitomen egregii opuſculi Hiſpanici de febribus putridis malignis contagioſis* *). *Man-*

*) IOS. MISDEVALL. *relation de las epidemias de calenturas putridias y malignas de Catalunna y principalmente en Larida Madrit* 1786. 4.

*Mantuae d.* 26. *Maii* 1788. *Italic.* Opuſculum hoc in VI. capita diſtributum. I. deſcriptio iſtarum febrium in Catalonia ab anno 1764. ad illum 1783. vſque graſſantium, plerumque letalium. p. 222. II. deſcriptio epidemiae anni 1783. et locorum Arragoniae et Cataloniae, in quibus ante MISDEVALLII aduentum tantas ſtrages dederat. p. 223. III. eiusdem ſymptomatum non in omnibus aegris aequalium deſcriptio; p. 224. in nonnullis enim febris vehementior, nonoque die lethargus, quo apparente, ſi magna vi morbus impugnatus fuerit, coctio et criſis ſaepe ſalutaris producta ſit; in aliis febris mitior et exanthemata, plerisque exitioſa. IV. Cauſae et prognoſis eiusdem epidemiae. p. 225. V. Cura. Damnat epiſpaſtica, quae infernalia vocat, et p. 227. venaeſectionem, quam moderatam et ad ſummum ſemel repetendam initio morbi, ſi ſtaſis inflammatoria, vera plethora, ſolitarumque ſanguinis excretionum ſuppreſſio obueniant, tantum concedit, commendat vero emetica ſtibiata per epicraſin cum diluentibus p. 227. propinanda, et viribus valde fractis magna doſi cum cortice Peruuiano commiſcenda. VI. Prophylaxis in p. 229. hiſce epidemiis. Epiſtolae auctor, ſuam ipſius methodum exponens, opuſculum hoc, cuius auctor a p. 230. rege praemiis ornatus fuerit, valde laudat; AGLIETTI vero TARGIONI relata de ſalute humana, acta academiae reg. medicae Pariſinae, BALDINGERI theſaurum diſſertationum rariorum, et inprimis BANAVI obſervationes Pariſiis 1786. tertia vice editas et auctas alle- p. 232. p. 233. gat, et cum Hiſpanico opuſculo comparari iubet.

22. SPALLANZANI *epiſtola apologetica vt reſponſio ad* IO. HVNTERI *obſſ. de digeſtione ad* LEOP. CALDANVM *Mediol.* 1788. *Italic.* Contra HVNTERVM phyſicos et chemicos nimis contemnentem, in- p. 234. timam gallinarum membranam vere cartilagineam; p. 236. experimenta ſecundum MVSSCHENBROECKII et HALLERI praecepta inſtituta eſſe; lapillos in ventriculis auium repertos digeſtionem adiuuare quidem, non tamen

men ad eam neceſſarios eſſe, nec vtilitatis conſcientia, ſed ſolo caſu ab auibus deglutiri; ad vim ſucci gaſtrici antiſepticam, antea nondum cognitam, comprobandam, non vnicum illud, ab HVNTERO ſufficiens habitum, a SPALLANZANO primum inſtitutum, ſed plura experimenta neceſſaria fuiſſe; ſucci gaſtrici virtutem ventriculum indiuidui ſui poſt mortem digerendi, quam HVNTERVS ſolus demonſtraſſe gloriatur, ſe nec diſquirere voluiſſe, nec habere, quo comprobare queat, de ea tamen obſervationibus HVNTERI confirmata non dubitare affirmat SPALLANZANI.

p. 238 23. ANDR. DVSSAUSOY *chir. gener. in Hotel Dieu Lugdun. Diſſ. et obſſ. de gangraena noſotomiorum, et mediis eam praeueniendi et ſuperandi Geneu.* 1787. *in* 8. *pl.* 93. *Gallic.* Praeſeruandi gratia emetica et purgantia cum victu vegetabili, linteorumque carptorum omni quatriduo tantum mutandorum decocto aquoſo vinoſoue plantarum, aromaticarum vel lixiuio alcalino, vel ſolutione hepatis ſulphuris omni duodecim horarum ſpatio perficienda perfuſio; medendi cauſa vlcerum lotio cum ſpiritu terebinthinae et plenario puluere chinae vel alius amari repletio omni viginti quatuor horarum ſpatio repetenda commendantur, internoque vſui corticis Peruuiani neruos irritantis febremque augentis acida praeferuntur.

24. IOH. HVNTERI *obſſ. de nonnullis partibus*
p. 239. *oeconomiae animalis Lond.* 1787. 4. *Anglic.* 1. de ſitu teſticulorum in foetu, et via, quam in deſcenſu in ſcrotum teneant. 2. de veſiculis ſeminalibus. De earum vſu in retinendo ſemine non perſuaſus, potius eas habet pro ſingularibus glandulis ſingularem humorem ſecernentibus. 3. de digeſtione. 4. de ſecretione in ingluuie columbarum ad nutriendos foetus. Tunicas ingluuiei primum ſubtiles membranoſas, dum ouis incubant columbae, mammarum ad inſtar intumeſcere, et tum, cum pulli prodeunt, interne rugoſas

goſas complexumque glandularum videri, et reddere liquorem lacti coagulato ſimilem, quem primis quatuor diebus ſolum, tum ad nonum vſque diem vna cum conſueto, antea tamen in parentum ingluuie p. 240.
macerato alimento accipiant pulli. Nono die elapſo pullos parentum more ſe alere, horumque ingluuiem naturalem iterum fieri. Ingluuies iconibus aeneis illuſtratur. 5. de colore pigmenti oculorum in diverſis animalibus. Varietatem hanc reſpondere varietati coloris iridis, eaque, quibus iris alba, minori luce diſtinctius iis videre, quibus nigra. 6. de nervis olfactoriis, cum tabb. aen.

25. D. SEBAST. MIGLIAVACCA *prof. chirurg. Clarienſ. obſſ. de rupturis incompletis in chorda magna. Italic.* Bienni ſpatio tres eiusmodi aegros Clari ab Au- p. 254.
ctore fuiſſe ſanatos; in duobus viris ſolam quandam p. 256.
tendinis gemellorum partem ruptam; in femina ſo- p. 265.
lum ſolaris tendinem illaeſum viſum eſſe, pro quo tamen p. 263.
quum vagina tendinis Achillis antrorſum adipe plena facile haberi queat, chirurgum in diagnoſi cautum eſſe debere; certiſſima rupturae incompletae ſigna p. 256.
vtique eſſe dolorem pede modice flexo obortum, et potentiam pedem in eundo ante alterum ferendi; p. 257.
priori aegro copioſum ſanguinem miſſum, oleum, non ſpiritum, lumbricorum inunctum, (emollientia enim inprimis contra GOVLARDVM defenduntur) et, faſcia PETITI pedem non ſatis extendente, aliam im- p. 258.
poſitam eſſe, qua oblongi lintei extrema rite firmata, ſuperius parti femoris inferiori affixum, et tota ruptura vna cum crure exacte inuoluta fuerit, et quae pedis extenſioni, crurisque flexioni in ſanandis incompletis rupturis neceſſariae omni ex parte ſatisfecerit. Cuius tantum, ſi relaxata, omni tri- vel quatriduo re- p. 259.
nouatae loco, in alteris duobus aegris duas applica- p. 264.
tas eſſe, quarum vna duabus tenellis circumuolutio- 266.
bus dorſum plantamque pedis, et femoris inferiorem

partem

partem ſimulque robuſtum oblongum linteum, altera faſcia figuram numeri arabici 8 referente in loco ruptu-
p. 259. rae firmatum, comprehenderit. In iisdem duobus ae-
p. 261. gris, non vti in priori, in quo inde tendinis abbreviatio, indeque noua ruptura oborta fuerit, ruptarum partium extrema ſe inuicem tranſcendiſſe, ſed
p. 264. ſibi vix vicina reddita, conglutinationem tamen in vno aegro trium ſeptimanarum, in altera quadraginta dierum ſpatio feliciter factam fuiſſe. Nec in iisdem gaſtrocnemios fuiſſe compreſſos, compreſſione
p. 266. enim in tertio aegro licet tentata limbos ruptos non
p. 261. exacte ſe inuicem attigiſſe, eandemque priori aegro multa incommoda attuliſſe. Tantum eam prodeſſe,
p. 263. ſi inflammatio, ſumma ruptas partes ſibi vniendi difficultas, et irregularis muſculorum ad ruptam partem pertinentium contractio, quae tamen conſtanti
p. 268. inflexione genu impediri queat, obueniant. Cauа-
p. 267. turam, a PETITO rupturae incompletae propriam habitam, in vno tantum aegro remanſiſſe; ſuperſtitem vaginae integritatem a PETITO aſſumtam nondum certo demonſtratam, nec ad calli modificationem ne-
p. 268. ceſſariam eſſe; in ſolitis caſibus quidem quinque ſeptimanas ad perfectam curationem non ſufficere, tendinum enim conglutinationem pariter ac calli in oſſibus fractis formationem quietem requirere, abſolui tamen poſſe curam minori etiam ſpatio; nondum extare obſeruationes de vna tantum tendinis gemellorum parte rupta.

p. 284. 26. *De quibusdam grauidarum varicibus aut.* SAM. GODOFR. CRVSIVS *M. C. Lipſiae* 1787. 4. In iis, quae ab atonia, externe applicat acetum aqua congelata mixtum, et diſtincte de hoc malo loquitur.

p. 285. 27. *De vena portarum, porta bonorum, diſſ. inaug.* CHR. EM. FR. HOLTZTAVERI *praeſ.* PETR. EM. HARTMANN *Franc.* 1786. Vtilitatem huius venae in reſorptione et diſtributione humorum imi ventris,

et

et in ſpecie in ſanguinis materni ad vaſa foetus transmiſſione demonſtrat.

28. IO. ANDR. MVRRAY *opuſcula ad medicinam et rem naturalem ſpectantia. Vol. II. Gotting.* 1786. 8. Continet, 1. de aſcaride lumbricoide LINN. vermium inteſtinalium vulgatiſſimo, 2. de limitanda laude libror. med. pract. vſui populari deſtinatorum, 3. de catechu, 4. de dulcium natura et viribus, 5. ſpinae bifidae ex mala oſſium conformatione initia, 6. de medendi tineae capitis ratione *), 7) de tempore exhibendi emetica in febribus maxime opportuno, 8) vindiciae nominum triuialium ſtirpibus a LINNAEO impertitorum, 9. praeſtet vno medico, an pluribus iunctim vti, 10. de vermibus in lepra obuiis iuncta leproſi hiſtoria, 11. de lumbricorum ſetis, 12. de materia arthritica ad verenda aberrante **), 13. ſucci aloës amari initia. Plura de his in futurum ***). p. 286.

29. *Delectus opuſc. med. antehac in Germaniae diuerſ. acad. editor. in auditor. commodum collect. et c. not. hinc inde auct. recudi curauit* IO. PETR. FRANCK. *D. fac. med p. Inſubr. Auſtr. et noſoc. Ticin. director med. clin. in r. acad. Ticin. prof. p. etc. Vol. V. Ticin.* 1788. Continentur 1. NOLTE de febre puerperarum, 2. DANILEVSKY de magiſtratu medico feliciſſimo, 3. HAASE de abſceſſu hepatis, 4. SCHOENMEZEL de muſculis pſoa et iliacis ſuppuratis, 5. et 8. FRANCK. obſſ. quaedam medico-chirurgicae et diſcurſ. acad. de rhachitide acuta et adultorum, 6. WALTHER de ſcarificatione occipitis morb. capit. auxilio, 7. GOTTEL de febris lentae neruoſae natura, 9. ARNEMANN de aphthis.

30. *Bre-*

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XIIII. p. 591. ſeqq.
**) ibid. p. 505. ſqq.
***) recenſ. Vol. I. ibid. p. 89. ſq.

p. 287. 30. *Breuis inſtructio de cura morborum venereorum in rure lecta in publico conſeſſu ſoc. reg. med. Pariſ. d.* 12. *Sept.* 1786; *et breui poſt iuſſu gubern. public. Gallic.* Auctores ſunt LASSONE et DE HORNE.

p. 299. 31. *Morbus hyſtericus grauibus nec conſuetis ſymptomatibus coniunctus, deſcript. a D.* MATTH. ZACCHIROLI. *Italic.* Illuſtris puella, vigeſimo aetatis anno amore modum valde excedente perculſa, fe-
p. 300. bre pleuritica correpta fuit. Duae ſanguinis miſſiones primo die inſtitutae ſymptomata leniuerunt (cruſta ſanguinis miſſi ſeparata copioſiſſima bilis apparuit, quod maiori quam anni ſpatio in omnibus quocunque morbo affectis aegris animaduertit Auctor, hyeme anni 1788. multas contagioſas quidem, non autem exitioſas, gaſtricas malignas febres obſeruans). Repetita ideo eſt venaeſectio in pede. Qua vix peracta aegra per duas horas pulſu et reſpiratione caruit, ſponte tum reuiuiſcens, per totum corpus miſere conuulſa fuit, tunc per tres iterum horas cum plenaria pulſuum abolitione facieque Hippocratica animo licta, ſequentibus diebus vehementibus quidem conuulſionibus afflicta, tandem tamen curata fuit. Duobus vero menſibus poſt affecta fuit (an diaetae errorum, affectusue animi, aliusue cauſae gratia, neſcit Auctor) conuulſionibus vehementiſſimis, tam multifariis, vt daemoniacis ſimilis aegra Auctori videretur, nulli corporis parti parcentibus, coniunctis cum alienatione mentis, linguae ad epiglotti-
p. 301. dem vſque retractione, agrypnia primum per decem, poſtea, quum per duo dormiuerit, per duodetriginta dies, lucis, aëris, omnisque fluidi tanta impatientia, vt qualicunque corporis parte apice digiti ſaliua vel aqua leuiſſime humidi attacta (non autem, quod mirum, venae ſectione pedis) vehementiſſimae conuulſiones ſtatim excitarentur, abſtinentiaque a cibo et potu plenaria per vndecim, aliaque vice per nouem dies

dies (toto etiam Auguſto nil niſi ſemel vnicum cochleare Cyprii, aliaque vice communis vini parvulum hauſtum aſſumſit.). Semel etiam nuda ex lecto egreſſa in camera in modum rotae ſe vertit, et vi in lectum repoſita vltra horam conglomerata permanſit. Quibus per plures menſes aegram angentibus ea mox ex improuiſio ita ſana nec emaciata e lecto ſurrexit, quaſi nullo vnquam malo affecta fuiſſet, et breui poſt matrimonio cum viro, cuius amo- p. 302.
re tam forti capta fuerat, inito felix et ſana adhuc viuit. Ex medicamentis adhibitis boli ex galbano, aſa foetida et caſtoreo cum ſyrupo artemiſiae ad SYDENHAMI modum parati in paroxyſmo leuamen forte attulerunt. In alia, quae die decimo quarto febris gaſtricae, qui in his febribus vltimus eſſe ſolebat, tetano indeque per maius quam quatuor dierum ſpatium conuulſionibus afflicta fuit, moſchus larga doſi exhibitus multum profuit, nec humorum putredinem auxit.

32. DAIGNAN, *med. ord. reg., deſcriptio varieta-* p. 342.
*tum vitae humanae et commodorum vel incommodorum omnis conſtitutionis et temperamenti cum nonnullis graviſſimis monitis ad parentes de ſalute liberorum, qui puberes facti. Pariſ.* 1786. 2. *Vol.* 8. *Gallic.* Quum
Vol. I. cauſas debilitatis humanae hodie frequentio- p. 345.
ris; vtilitatem, quam machinae humanae perturba- p. 346.
tiones, inprimis eae, quae a natiuitate ad pubertatis vſque annos obveniant, corporibus afferant; va- p. 348.
rietatem temperamentorum affectuumque animi ap. 352.
varia corporum qualitate pendentem, eorumque
commoda ac incommoda expoſuerit; in eodem p. 354.
et Vol. II. recte monet, non omnes aegritudines medicamentis, ſed potius recto rerum, quae non ſtatim naturales vulgo audiunt, vſu, ſedulaque ad temperamenta conſuetudinesque aegrorum attentione tractandas, liberos ad ROVSSEAVI mo- p. 356.
dum

dum maxime educandos; morborumque curam ſolis
p. 358. viribus naturae frequentiſſime committendam, ſimpliciſſimaque medendi ratione ſemper vtendum eſſe; ſimul contendens, quod, licet ab HIPPOCRATIS temporibus medicina nulla, chirurgia multa ceperit incrementa, haec tamen illa non ſuperior cenſenda ſit; idque omne obſeruationibus confirmat, ex
p. 359. quibus illa de Gallo in Arabiae deſertis peſte teterrimis ſymptomatibus coniuncta afflicto, ſponte tamen bubonibus ſuppurantibus carbunculisque ſphacelosis factis profunda vlcera relinquentibus ſola vi
p. 360. naturae, (diu enim ſoli expoſitus noctu in angulum obtectum repoſitus, per viginti dies nil niſi aquam aſſumſerat,) ſanato notatu digniſſima eſt *). Statu-
p. 362. ens, omni ſeptem annorum ſpatio humanum corpus mutari, numerumque ſeptenarium interuallis inter edendi tempora conſuetis, diebus, quos homo ieiunus manere queat, menſique quo foetus viuus in lucem prodire poſſit, adaequatum cenſens, vitam humanam in quindecim ſequentes epochas diuidit, iisque pro annorum varietate animique in iis indole varia nomina tribuit, et mentis ac corporis humani in iis
p. 364. qualitates deſcribit. Tabularum vitalitatis adiecta-
p. 365. rum prima hasce epochas attinet; in modo vero, quo probabilitatem vivendi ſeptima epocha finita imminui docet, hypotheſin potius, quam obſeruationes ſequi videtur. Probabilitas vivendi tab. II. quoad clima, temperamenta ex cutis natura illuſtranda, ſtru-
p. 366. cturam, ſtaturam, oculos et dentes; III. quoad menſes annique aetates; IV. quoad ſexum variasque hominum conditiones, nec non varias deſtruentes cauſas, in viginti et quatuor claſſes redactas, demonſtratur.

33. ANDR.

*) legenda eſt in *Saggi filoſofici ſopra i coſtumi degli animali foreſtieri* p. 218.

33. ANDR. GEO. MVRRAY *Gotting. comm. de redintegratione partium C. A. nexu ſuo ſolutarum vel amiſſarum* 1787. 4. *mai. c. figg.* Sunt XXIV. experimenta in canibus, cuniculis et pullis facta, partes quoad formam, non quoad ſubſtantiam, redintegrari, et in vulneribus partium mollium regeneratam partem non niſi textum celluloſum plus minusue durum eſſe, demonſtrantia, praemio ornata, propediem fuſius recenſenda. p. 383

34. D. RAMELII *dubia de meteorologia ad medicinam applicata, Aqu. Sext. in Prouinc.* 1787. 12. *Gallic.* Ob exiguum vſum, quem in legibus influxus aëris in C. H. determinandis obſeruationes meteorologicae hucuſque habuerunt, nimis praecipitanter, morbos influxui aëris attribuendos, aliis cauſis accenſet.

35. *Quaenam ſit natura, cauſa, cura, et modus, quantum fieri queat, praeueniendi morbum inter ruſticos territorii Bellunenſis vulgarem ſub carbonis nomine cognitum; orat. habita a* D. ANT. GVALANDRIS, *protomed. vrb. Belluni in publico conuentu acad. degli animaſtici huius vrbis. Italic.* Carbonis vtique eſſe varias ſpecies; in hac Bellunenſi pruritu praegreſſo in cute naſci maculam rubram in centro punctum liuidum habentem, pro morſuque inſecti plerumque habitam, liuore increſcente cutem parum vel non attolli, potiusque primum puncto, tum macula nigra facta fieri compactam duriſſimam, vere inſenſilem; ſaepe in macula conſpici phlogoſin ibi permanentem, vel et veſiculas ichore plenas; febrem ſemper accedere; carbone neglecto ſeu male curato ſuppoſitas partes pariter duras et inſenſiles fieri, malumque celerrime propagari cum proſtratione virium, ſudore frigido, pulſu celeri et paruo, difficultate reſpirandi, deliriis, ſpaſmis, animi deliquiis, ſyncope tandem lethali. Carbonem hunc Bellunenſem igitur eſſe gangraenam eſſen- p. 385. p. 386. p. 387. p. 389.

p. 390. eſſentialem ſiccam, in qua venenum acre ſtimulans a ſimplici mortificante materia diſtinguendum vim
p. 392. ſolidorum primum excitet; haec vero poſtea veneno forte in cute et celluloſa acre ſuum deponente ſuppoſitasque partes penetrando malignam mortificantem virtutem tantum retinente celerrime iterum imminuatur. Eundem carbonem ad loca remota per metaſtaſin deferri poſſe, vti in aegro carbone genae dextrae, colli, partisque thoracis affecto, euenerit, ſubito enim eum, omni ſanitatis recuperandae
p. 393. ſpe iam effulgente, de dolore inteſtinorum conqueſtum obiiſſe; in eiusque ventre vaſa meſenterica lacerata, et tenuia inteſtina gangraenoſa reperta fuiſſe. In incauto cum pecoribus, vel morbo inflammato-
p. 395. rio gangraenoſo, vel aliis chronicis ſeu non chronicis morbis aegrotantibus, vel etiam longo itinere defatigatis, commercio, eorum cura, carnisque eorum abuſu cauſſam huius carbonis quaerendam eſſe, quonam vero modo morboſa aegrorum animalium
p. 398. materia contagioſa fiat, curque interdum innocua
p. 399. ſit, nos latere; FOVRNIERII aliorumque de carbone
p. 433. ſpontaneo ſententiam nullis idoneis inniti documentis;
p. 434. externe profundiſſimam ſcarificationem, interne forte refrigerantia ſubacida prodeſſe, cardiaca diaphoretica ſufficere; non euacuantia nocere. Carbonem hunc Bellunenſem ſimillimum eſſe illi, in Prouincia et Languedocia frequenti, a FOVRNIERIO deſcripto; eius contagio
p. 436. in principio ſuo exſtinguendo multas quidem obſtare difficultates, non tamen inſuperabiles, ſi modo ruſtici Bellunenſes, quodam iure montoſum ſitum, inconſtantemque aëris temperaturam accuſantes in agro-
p. 438. rum et pratorum cultura, viarum, pecorumque no-
p. 439. ctu, pluuioſoque tempore in ſtabulis retinendorum, nec ſolis ardori exponendorum nec longo itinere fatigandorum munditie maiorem adhibeant curam.

36. *De radice Calagualae. Epiſt.* D. DOMIN. IVD. GELMETTI *ad* D. IO. MAR. MAZZI *med. ord. noſoc. mai. Mediol. Italic.* Iam eſſe deſcriptam a DORSIERIO, creſcere in regni Americae meridionalis Quito montibus mediae altitudinis inter ſaxa et in locis ſterilioribus; et a *foeminina*, latiſſimis, longis, ſeminumque expertibus foliis praedita, *falſa*que verae loco ſaepe vendita, et radice tantum conueniente, differre foliis, dimidium Pariſinum pollicem circiter longis, duo digitos latis, in ſuperiori facie albicantibus; quae vero maiori breuitate, anguſtia, craſſitie, ſuccoſitate, apicibus acutioribus, et ſeminibus obſcure viridi inferiori foliorum parti pari quidem copia non autem oblique, ſed in lentiformibus maſſis ordinata in vtroque latere ſerie adhaerentibus, ac ſine folii laceratione ſeparandis ab illis aſplenii ſcolopendrii, ſeu linguae ceruinae diuerſa ſint. Radicis, vti polypodii, ſub terra ſerpentis, in fruſta ſectae, craſſitie, colore, figura, leuitate, radiculis lateralibus, admodum cum Oſmundae regiae radice conuenientis, manifeſto ſapore quidem carentis, ad inſtar tamen dorſiferarum plantarum, minori licet gradu, valde aperitiuae, attenuantis, reſoluentis, immo corroborantis, duas drachmas cum ſufficiente aquae communis quantitate ad quartae partis conſumtionem coqui, et, vti Theae potum, bibi ſolere ab Indis in pleuritide, contuſionibus, apoſtematibusque internis; non vehementer corpus perturbare, ſolamque vrinae excretionem interdum, ſine ardore et dolore tamen, ita auxiſſe, vt viſum ſit, ſanguinem reſolutum ſimul excerni. Obſeruationum adiectarum prima vtilitatem eius in tabe pulmonum, pleuritidem ſputis ſanguinolentis coniunctam, et a contuſione ſiniſtri pectoris lapſu in puteum facta obortam, inſequente; altera in febre lenta a cauſa catarrhali; tertia in pleuritide a refrigerio iam ſexto die

p. 409.
p. 410.
p. 409.
p. 410.
p. 411.
p. 412.
p. 413.

p. 418. mortem minitante; quarta in vomitu, ſingultu, colica conuulſiua delicatulam feminam ob acidum ventriculi aſthmate conuulſiuo ſaepe laborantem, cum mortis periculo angentibus; quinta et ſexta ab aliis Viris factae in phthiſi ingruente et peripneumonia
p. 411. comprobant; in aegro primo per quadraginta ſine, per ſequentes viginti dies cum ſedimento, laudabili
p 413. puri ſimili, vrina copioſa excreta, in altero vti et in ter-
414. tio, in quo nocte prima tantum poſt quaedam cochlearia ſaturatiſſimi decocti die antecedente hauſta ſudor et vrina copioſa fluxit, et tenaciſſima variegata ſputa eie-
p. 415. cta ſunt, nulla excretio inſigniter, perſpiratio vero
p. 416. in quarta aliquantum aucta, omnes vero ſtatim leuati, et breui tempore ſani redditi ſunt. Analyſis principiorum radicis adhuc promittitur.

p. 432. 37. *Vita hominis in vltimis ſuis momentis aeſtimata et defenſa, ſeu inſtructio de attentione mortuis iisque, qui mortui videntur, et funeribus ſepulturisque debita, opus Regi dedicatum. Pariſ.* 1787. *Gallic.* Auctor eſt THIERRY optima de hac re praecepta tradens.

p. 446. 38. DVLAVRENS, *med. claſſic. et nautic. reg., tentamen de valde neceſſariis minusque ſumtuoſis diſpoſitionibus ad opem aegris in noſodochiis latam, hominibus vere vtilem reddendam. Pariſ.* 1787. 8. *Gallic.* Aegros in oppidulis in ipſorum domiciliis, in amplioribus contra vrbibus in noſocomiis minori impen-
p. 449. dio curari; noſodochium Rupifortienſe aptiſſime eſſe inſtitutum; optime rei conſultum fieri, ſi in loco extra vrbem ſito, ab omni ſtrepitu aliisque aedificiis
p. 452. remoto, fluminique, in quod ſecreta ab hypocauſtis per porticum ſeparanda patefiant, vicino aedifi-
p. 450. cetur noſodochium, (quum ſpatii anguſtia vnici tabulati conſtructionem vtique ſaluberrimam impediat) praeter conuexas cellas et granarium ex terreno, in quod conualeſcentes, duobusque ſuperioribus tabulatis

latis, in quorum inferius aegri, ſuperius horum miniſtri collocandi ſint, compoſitum; ſi in hisce tabulatis conſtruantur contubernia, octodecim pedes alta, fene- p. 451.
ſtris meridiem et ſeptentrionem ſpectantibus, ad lacu- p. 452.
nar laeue et gypſatum vſque erectis, cortinas habentibus, et quae ex toto aperiri queant, inſtructa, viginti et quatuor pedes lata, et omni vere calce viua albicanda; ſi in his duae lectorum ſex pedes longo- p. 451.
rum, tres latorum ſeries ita collocentur, vt inter has duodecim, inter ſingulos lectos trium pedum ſpatium relinquatur; ſi hi lecti quindecim pollices a ter- p. 453.
ra diſtent, lignum cruciatum pro funiculo laneo adiutorio in quatuor columnis ſuſtineant, in ſingulis contuberniis praecipuo colore imbuantur, quo dimidia tantum ſtraminis pars ad mattas requiratur, lectique ipſi molliores fiant, loris ſubtendantur, et gauſapibus, crinito et laneo, puluinari, duabus novem pedes longis, quinque cum dimidio latis laneis ſtragulis, tribusque toralium paribus exornentur; ſi ſcalas aër externus abunde perflare queat; ſi lignilia, culinae, camerae, in quibus cadauera ante ſepulturam p. 452.
retinentur, a contuberniis remotiſſimae ſint; ſi panis et carnis praebitio elocetur, et forte pannorum laneo- p. 453.
rum mundatio ſimiliter procuretur, exceptis ſolis, quibus aegroti contagioſo morbo laborantes vſi ſunt, linteaminibus, quorum quippe primae lotioni locus paruulus in ipſo noſocomio deſtinandus eſt; ſi aegris praeterea tria mantilia, ſex induſia, ſex nocturnae, duaeque laneae mitrae, bonum pallium, et tria tibialium laneorum paria porrigantur. Ita enim aegrum quotidiano vnius Gallicae librae impendio facile ſuſtentari poſſe, eoque facilius, ſi noſodochii locatio admi- p. 454.
niſtrationi praeferatur. Requiri vero ad quadringentorum aegrorum curam quatuor, vel ſaltem duo cum vno ſupernumerario medicos, chirurgorum, quum eorum diſcipuli plura medicorum iuſſa exſequi p. 456.
poſſint, vnum tantum ordinarium cum ſupernume-

rario, duo pharmacopoeos, quorum ordinarius praeparationis medicamentorum, ſupernumerarius formularum praeſcriptarum curam in ſe ſuſcipiat; (quodlibet vero noſodochium propriòs ſuos pharmacopoeos, propriumque diſpenſatorium non vltra ducenta ſimplicium et compoſitorum medicamentorum complectens habere debere) in quocunque porro contubernio quinquaginta circiter lectos capiente duos valetudinarios, cum famulis munditiei curam inprimis habentibus. Ducentos aegros facile duarum horarum ſpatio examinari poſſe, quod medicus chirurgis, valetudinariis vnoque famulo comitatus, dimidiaque hora poſt iterum chirurgus, et quidem quotidie et interdiu faciat; medicum ſecum ferre debere tabulam, in quarum variis columnis lecti numerus, aegri nomen et negotium, dies, quo in noſodochium illatus, morbus cum ſymptomatibus antecedente die obſeruatis, quid antea praeceptum, quae poſt medici viſitationem obſeruata, et an aeger dimittendus, an adhuc incertum de morbo iudicium, an iſte inſanabilis, an aeger mortuus, an ſecandi gratia retinendus, annotatum, in ſpecie vero venaeſectiones et purgationes peractae numero, omiſſae cruce ſignificatae ſint; ſimilem tabulam, in qua hodierna praeſcripta et obſeruata chirurgus annotet, et quam medicus ante egreſſum e contubernio ſubſcribat, in vſum pharmacopoeorum et chirurgorum, craſtinumque etiam medici, in contubernii medio ſuſpendendam, ſequentique die in adminiſtratorum, forte et medicorum vſum aſſeruandam eſſe; nec non, quid in cura aegrorum a valetudinariis peragendum, ab his ca-
p. 457. lamo excipiendum eſſe. Auctor denique Gallicas vniuerſitates, inprimis Monſpelienſem, quam tamen curioſitati, non autem verae vtilitati ſtudere arguit, et ex qua dimidia medicorum Gallicorum pars prodeat, examinat, vituperat, et Italicis ſimiliores vt fiant, peroptat.

39. ALEX. MONRO, *pr. anat. med. et chir. Edinb.* p. 458.
*etc. ſtructura et phyſiologia piſcium demonſtrata, et cum illa hominis aliorumque animalium comparata, in fol. c.* 40. *et plur. tab. aen. Edinb.* 1785. *Angl.* Ex nan- p. 449.
tibus pinnatis LINNAEI raiam, ex piſcibus gadum morhuam inprimis, alios tamen et piſces contemplatur, loquiturque primum de vaſis ſanguiferis. Petromyzontem et diodontem LINN. quum pulmones habeant, forte et duobus ventriculis, auriculisque inſtructa eſſe; arteriam branchialem, cum pulmonali p. 460.
comparandam, mox vltra valuulas ſuas (quas intercedens corpuſculum a MORGAGNIO, non ab ARANTIO Auctor falſo denominat) diuidi in piſcibus in quatuor, in nantibus pinnatis in quinque, in raia in tres ramos, duo laterales, et medium, illorum quemlibet iterum in tres ad tot inferiores branchias abeuntes, hunc in duo, quorum quilibet duobus ramis tot ſuperioribus branchiis inſeruiat. Omni branchiae, prima inferiorem tantum habente excepta, duas eſſe p. 461.
barbis circiter quinquaginta inſtructas ſuperficies; tot etiam eſſe barbulis ſeu fimbriis 160, in quas quaelibet barba diuiſa, et comprehendere ſexageſimam quartam pollicis quadrati partem, omnes fimbrias igitur vltra quindecim quadratos pedes complecti, per quorum ſpatium vaſa ſe diſtribuant. In raia ſanguinem ex branchiis redeuntem pro ſuperficierum barbatarum numero colligi in nouem ramos. A quibus iterum oriri arterias, vnam ad partem capitis externam et cerebrum ramos mittentem, a vena primae branchiae cum ſuperiori ſecundae coniuncta introrſum et ſurſum currente; alias ad maxillas a ſola ſuperiori ſecundae introrſum deſcendente, poſtea vero coniuncta cum trunco ex inferiori ſecundae, et ſuperiori tertiae oborta. Truncum inde iterum enatum, miſſa arteria noſtrarum vertebralium ad inſtar diſtributa, cum eodem oppoſiti lateris iterum in vnum

vnum truncum coaleſcere, cum quo ad piſcis quaſi centrum deſcendente coniungatur ramus a vena inferiori tertiae et ſuperiori quartae branchiae enatus. Ex trunci inde formati latere abire arteriam, quam noſtrae ſubclauiae ſimilem, ramo ad maxillam inferiorem miſſo, dare craſſiorem, quorum rami in ex-
p. 462. teriori branchiarum ſuperficie diſtributi venis ibi ſe vniant, alii, arteriis noſtris bronchialibus comparandae, ſubſtantiam intrent, alii, vti coronariae, in corde ſe expandant, tum autem per muſculos et pinnas ad caudam vſque diſtribui. Truncum vero illum venoſum deſcendendo duobus ramis ex vnione venae inferioris quartae, cum vtraque quintae branchiae obortis accedentibus incraſſari et mutari in arteriam. Quam, vti aortam deſcendentem, mittere ramos ad viſcera chylificationis, coeliacae et meſentericis aequiparandos, paruulum, ad hepar, alios ad renes et organa generationis; tum diuidi in tres ramos, quorum laterales iliacis ſimiles ad muſculos et pinnas caudae, medius recta ad ipſam caudam abeat. Ex venis his arteriis reſpondentibus formari duas venas cauas. In quas abire ramos ex vrinae et generationis organis, ſuperato diaphragmate venas ſuperiores ſubclauiis et iugularibus ſimiles, in dextram paulo ante tres ſat magnas hepaticas, in vtramque tunc con-
p. 463. iunctam coronarias. Venas inprimis cor verſus, et prope ramorum ingreſſum valuulis praeditas eſſe; ſinusque vtique animaduerti, vbi rami invicem coniunguntur, v. c. hepaticae cum cauis, iſtae ſecum inuicem. Hypotheſin Auctoris de poris, per quos iniectione cum oleo terebinthinae minii colore imbuto facta liquor decolor tranſſudauit, materiam corruptam exhalantibus. AGLIETTI ex PRIESTLEYI experimentis refutat, quae potius demonſtrent, fimbriis branchiarum aquam ita diuidi, vt aër in ea contentus vaſis ſanguiferis immediate applicari queat. LINNAEVM piſces cartilagino-

ginoſos ob branchias ſeu pulmones arbitrarios amphibiis falſo aequiparare, eosdem enim pulmones vere adeſſe in teſtudine aliisque amphibiis, in his tamen, quum duo ipſis ſint ventriculi et auriculae, non aeque, ac in illis piſcibus, ſanguinis itinere per pulmones vel branchias interrupto, eius per corpus circulum ceſſare. Tunicam muſcularem cum arteriis, tum venis branchialibus, tum arteriis ex illis prodeuntibus propriam in ſolis his arteriis reſpondentibus venis deeſſe, et in vena portae maxime manifeſtam et ob membranaceam diaphragmatis ſtructuram, progreſſumque ſanguinis ab hoc igitur non adiutum neceſſariam eſſe. p. 464. Humorem viſcoſum ſynouiae articulari ſimilem, in extremam piſcium ſuperficiem fundi ex innumeris mucoſis vaſis, quae in oſſeis piſcibus oriantur a duobus lateralibus truncis prope caput in alios duo ad ſuperiorem capitis partem, et deorſum ad maxillam ſuperiorem currentes, aliisque duobus maxillae inferiori inſeruientibus coniunctos diuiſis; in raia vero inter cutim et muſculos ſerpentibus, nares cingentibus et ſurſum ac prope oculos introrſum abeuntibus. p. 466. Alios praeterea truncos ex apertura branchiarum, quaſi ex centro, vna cum faſciculo neruoſo, cuius fila tam pellucida, vt a mucoſis vaſis diſtingui nequeant, ſe diſpergere, eorum vero ramos inuicem non communicare. Fila neruoſa in omnibus eſſe organis ſecretoriis, ſaepe tamen ob pelluciditatem ſuam oculos fugere. Humorem in cranio, pericardio, p. 467. (quod in raia infundibulum habeat, duobus ramis oeſophago affixis in abdomen hians) et abdomine (quod in raia ab vtroque ani latere foramen habeat valuula clauſum, in ſturione vero ab vtroque latere in infundibulum abeat e regione peluis renum perforatum, vrinae tamen tranſitum non permittens), cum pari aquae marinae quantitate comparatum, dimidium tantum ſalis communis continere; valde probabiliter

liter igitur a vaſis illorum cauorum inhalari, ſecerni, ex vno cauo in alterum deponi, et tandem per duo foramina illa a lateribus ani reperta, (per quae Auctor aquam maris intrare putat) vel communem cloa-
p. 468. cam excerni. Pancreas oſſeorum piſcium, non quidem ſtructura, vſu tamen verum pancreas eſſe. Quum in piſcibus calor non ſuperior ſit illo fluidi ambientis, et magna liquoris gaſtrici, maior adhuc bilis copia obſeruetur, opinionem de digeſtione per menſtrua potius quam per calorem perficienda veriſimillimam fieri. Vere nullos adeſſe inter veſicae felleae tunicas canales ſecretorios; bilem enim in hepate ſolo ſecerni, et ad veſicam ferri per ductum cyſticum vel nonnullos hepaticocyſticos, quorum alii in veſicam alii (in morhua, cuius veſica aliquantum ab hepate diſtat, diſtinctiores) in ductum cyſticum ſe aperiant in anguilla et ſalmone, in louo (anarrhichas L.) vero
p. 469. duodecim manifeſti ſint. Idem comprobari ictero ab obſtructione vel ligatura ductus hepatici, non autem cyſtici oborto, nec inde refelli, quod in quibusdam piſcibus cyſticus ſeorſim ab hepatico in inteſtina inferatur. Organa generationis maſculina illis quadrupedum ſimilia eſſe, raiarum vero teſticulos habere nonnulla ſphaerica corpora lacti vnita. Dilatatam inferiorem vaſorum deferentium partem pro veſicula ſeminali, duoque illos ſat inſignes, humore viſcido viridi ple-
p. 470. nos, in communem cloacam vaſi deferenti vicinam apertos ſacculos pro proſtatis eſſe habendos. HVNTERI ſententiam de veſiculis ſeminalibus, earumque liquore a MONROO ſatis nec intellectam, nec refuta-
p. 471. tam eſſe, AGLIETTI monet. Raiis, quarum oua inſigniter rubra, etiam eſſe tubos vterinos, principio ſuo diaphragmati annexos, organon, in quo album oui ſeparari videtur, continentes, et in duo vteros abeuntes. Videri quidem, quod ſphincter ductus, quem pneumaticum vocant, aëris ex oeſophago

phago ſeu ventriculo in veſicam aëream tranſitum permittat; quum autem ille ductus in morhua deſit, et in ea ſuperficies veſicae interna pluribus inſtructa ſit fimbriis, quam in piſcibus ductum illum habentibus, aërem forte ex vaſis harum fimbriarum ſecerni; id tamen certo ſtatui non poſſe, quum ductus in morhua tantum hucuſque oculos anatomicorum fugere potuerit. p. 472.

Poſtea loquitur Auctor de vaſis piſcium lymphaticis, et inprimis de primae detectionis honore cum HEWSONO diſputat, quem primum quidem eorum deſcriptionem publici iuris feciſſe, antea vero MONROI lectionibus de iis habitis interfuiſſe arbitratur AGLIETTI. Multis idoneis argumentis Auctor HEWSONI hypotheſin de vſu ſplenis refellit, communemque meliorem cenſet. p. 489. p. 492.

Ex tabulis annexis apparet, neruorum in piſcibus numerum cum illo in quadrupedibus conuenire, et quinam reſpondeant, ſemper annotatum eſt, vltimas eorum ramificationes autem corporibus ſphaeroidalibus deſtitutas eſſe. p. 493. p. 494.

Neruos olfactorios cum nonnullis quinti paris ramis per narium, quarum duae in oſſeis, membranam diſtribui, ſat magnos eſſe, et in nonnullis tranſire rotundum inter cerebrum et nares poſitum, cineritium, illique olfactoriis humanis iuncto ſimile corpus.

In vtroque capitis cetaceorum, v. c. delphini latere eſſe foramen rotundum, quod paruulae acus capitulum vix capiat, canalem, membranam concauam oſſiculis nonnullis, quorum vltimum ſtapedi ſimile et muſculo inſtructum, rubicunda membrana ſecum inuicem coniunctis mediantibus cohaerentem cum cauo tympani, aliis ad frontalium ſphaenoidalium maxillariumque ſinuum modum comparatis cauis ampliori facto; neruum mollem, cuius vnus ramus ad duas cochleae ſcalas, membrana rubicunda obductas, dimittatur, alter per internam canalium ſemicircularium membranam diſtribuatur; tubam denique EVSTACHII e cauo tympani p. 495.

ad

ad canalis, per quem cetacea reſpirant, extremum inferius productam, ſenſimque coarctatam. Hanc in amphibiis, meatu externo carentibus, v. c. teſtudine marina, ſat amplam in os hiare prope maxilla-
p. 496. rum articulationem, indeque pone ſuperioris maxillae apophyſin condyloideam ad cauum tympani produci. Hoc a parte temporum claudi cute, ſubſtantia coriacea, et cartilagine interna ſubtili, craſſitie tamen ſextam pollicis partem aequantibus, connexis vero cum cartilagine paruuli quartam pollicis partem longi ſpecilli ad inſtar craſſa, e tympano in aliud cavum humorem aquoſum continens, tranſeunte, et in membrana foramen caui claudente terminata. Adhuc eſſe tertium cauum, et in hoc canales ſemicirculares humore aquoſo viſcido circumdatos, et repletos paruulumque materia cretacea et molli plenum ſaccum, per quem et canales nerui diſtributi ſint. In nantibus pinnatis, e. g. raia, pone occiput, vbi caput cum ſpina articulatur, eſſe duo foraminula, illis cetaceorum ſimilia, in magnis piſcibus pollicem tantum a ſe inuicem diſtantia, quae ducant in canales contortos, ſeu conchas, conuexa parte ſe reſpicientes, ſubtili ſepto ſeiunctas. Quarum quamlibet terminari in infundibulum, indeque in canalem cylindricum, forte meatum internum nominandum, inter duas cartilagines collocatum, et apertum in ſaccum, cum quo antrorſum minor communicet, in vtroque vero opaca, aſt multo viſcido aquoſo immerſa cretacea ſubſtantia, figuram regularem habens, cum acidis efferueſcens, illique in meatu interno et
p. 497. concha obuiae ſimilis contineatur. Vbi ſacci hi, cochleae et labyrinthi locum tenentes, ſecum communicant, e paruo mitti canalem vnitum ductui communi canalis horizontalis anterioris et externi, cum quo iidem canales altero ſuo extremo conjungantur, ibidemque poſterior vtroque ſuo extremo, vnius communio-

munione cum magno ſacco antea habita, ſe adiungat. Canales hos potius circulares, et vti venae in valuularum ſuarum loco, dilatatos eſſe, eorumque cava ſecum communicare. Meatum externum, quum per eum aër externus non propagetur, vſum tantum praeſtare tubae EVSTACHII, cum membrana et cavo tympani abſentis. Ad ſaccos et canalem poſteriorem mitti neruos a quinto et ſeptimo pari; a ſolo illo ad anteriorem et exteriorem canalem, pellucidos vero factos difficulter cognoſci. Et pellucidos fieri neruos, qui diſtribuuntur per organon piſcium oſſeorum, v. c. morhuae, ſolis membranis a cerebro ſeiunctum, in inferiori, poſteriori et laterali cranii extremo poſitum, meatu externo carens, conſtans inprimis ex canalibus ſemicircularibus, duobus perpendicularibus, anteriori et poſteriori, tertioque horizontali, inter ſe et (non autem in morhua) cum ſacco, pariter vt canales, lapillis aſperis viſcido aquoſo immerſis pleno, (cui in morrhua alius paruus adhaereat) communicantibus. Campanarum duarum diuerſae magnitudinis ſonum, ſi eas in aëre remanens ſub aqua pulſaret, grauiorem, caput autem aquae immergens ſi eas in aëre pulſaret, acutiorem, ſin autem ſub aqua, tam altum et diſtinctum percepit Auctor, vt earum diuerſitatem facile dignoſcere potuerit; indeque (licet experimenta haec ad receptaculum aquae adhibita non ſatis multum valere queant) aqua melius, quam aëre oſcillationes ad auditus organon transferri, ſonumque eius celeritate non imminuta, diſtinctiorem reddi, veroſimile cenſet. Dum differentiam organon auditus piſcium et humanum intercedentem, variarumque huic propriarum partium abſentiam perluſtrat, intellexiſſe putat, tubam Euſtachianam amphibiorum, foraminulumque conchae nantium pinnatorum quodammodo quidem meatus externi officium praeſtare poſſe, tubos tamen potius

p. 498.

p. 499.

eſſe, per quos materia cauis internis contenta eiiciatur, ſonique oſcillationes per ſolida organo interno auditus continua ſeu contigua transferri, ad id enim nec tubam Euſtachianam noſtram aptam eſſe, horologii enim ori, aure externa ſimul perfecte clauſa, immiſſi pulſum percipi illo dentibus palatoue oſſeo admoto, non autem eo ſuper linguam ſuſpenſo; ita
p. 500. in amphibiis per ſubtilem parietem, cauum tympani externe claudentem, in piſcibus oſſeis per ſubtiliſſimos oſſeos cranii parietes, ad cretaceos ſaccos, canalesque vſque, aqua, quae tam larga copia in cranio contineatur, mediante, transferri poſſe oſcillationes. Neruos opticos ideo forte, quod piſces collectim vno tantum oculo videant, a ſe inuicem magis diſtare. Quo certius intelligamus, an humor niger, qui piſcium choroideam et iridem interne obſcuriſſimus obducat, ſenſationem lucis fortiorem reddat, cuniculos, in quorum albo humor ille deſit, fuſco vero abundet, maiori attentione eſſe conſiderandos. Vaſa ſanguifera magna ex parte iridem conſtituentia puncta inmediate ſanguinem fundere, et glutine minio tincto iniici poſſe. Raiam proceſſum palmatum in iridis parte ſuperiori poſitum pro lubitu attollere et
p. 501. demittere poſſe. Coniunctiua irritata, eius vaſa prolongari in alia noua, indeque oriri maculas corneae. Humorem aqueum, qui in piſcibus parciſſimus ſit, in ſepia loligine deſit, lenti cryſtallinae tuendae potius quam refractioni radiorum proſpicere. Magnitudini vitrei humoris lentisque cryſtallinae deberi, quod oculus morhuae illum bouis pondere et magnitudine aequet; nucleumque, cuius diameter tertiam diametri totius lentis partem teneat, illo bouis denſiorem fore, ſi ſtratorum lentem componentium denſitas regulari modo creſceret. Lente morhuae illa bouis denſiori radios quidem celerius refrangente, iſta tamen refractione, quum lentes ex inflammabili compoſitae

poſitae ſint, ſimplici denſitatis maiorem rationem ſequente; nec non lente ex parte ſphaerae maioris compoſita foeum ſuum propiorem habente, quam ſi ſphaera perfecta; figuram lentis piſcium ſphaericam non ad radios lucis potentius celeriusque, quam in quadrupedibus, colligendos, ſed tantum ad viſionis campum ampliorem reddendum conferre. Poſtea ſepiae loliginis ſtructura examinatur, et contenditur, veſicam eius atramentariam, licet eam et hepar nulla intercedat communio, vere felleam eſſe, et confirmare opinionem bilem non digeſtioni, ſed faecum ex chylo ſe- et excretioni inſeruire putantium; veſicam vrinariam forte eſſe eam, quae aquoſo humore plena inter viſcera abdominalia et os poſterius poſita ductum ad corpus glanduloſum pertinentem recipiat; duo illa corpora ex lobulis compoſita inter veſicam atramentariam et hepar ſita, interdumque in magnum ſaccum, cuius ductus in anum pateat, leuiterque preſſus vermicularia corpuſcula emittat, explicata eſſe videri ouaria; vt et duo ilia conica interno vaginae viſcera continentis, lateri affixa corpora branchiarum officio fungi. Deſcribuntur porro tres ventriculi ſepiae vna cum auriculis vaſisque iis coniunctis, horumque per corpus decurſu; ſubſtantia vero mollis immediate ſuper oeſophago inter duo, iride et aqueo, non autem vitreo, humore deſtitutos, lentemque cryſtallinam, tenaciſſimo glutine cum cornea conglutinatam, habentes oculos poſita, et a latere duobus ſat magnis et firmis, a quibus nerui optici oriuntur, lobis inſtructa pro cerebro; lobi ex eius cruribus enati pro cerebello; filum, in quod terminatur, pro medulla ſpinali habetur, oſſiculumque vicinum auditui inſeruire creditur. Tandem de hyſtrice marina, de corpuſculis inter cornicula eius poſitis pro antennis habendis, de abſentia cerebri et neruorum; de quinque dentibus, eorum ſitu et nexu, fibrisque

p. 502. p. 543. p. 544. p. 545. p. 546.

muſcularibus; de oeſophago ex eorum medio orto,
p. 547. eiusque ad anum decurſu et circumuolutione; de canali inteſtinali eiusque meſenterio, de duobus parallelis et aeque magnis, valuulis vero carentibus, per totam limbi ſuperioris meſenterii longitudinem currentibus, vaſis multos ramos ad inteſtina, internamque teſtae membranam mittentibus. Quorum communionem, nec an abſorbentia vaſa in eos pateant, organumue pulſans cordi ſimile adſit, quum detegere non potuerit Auctor, tantumque cauum corpus prope rectum viderit, opinatur, abſorbentia oeſophagi et canalis inteſtinalis vaſa forte immediate ferre chylum in vaſa illa, forte ſecum communicantia, et ad ſanguinem circumferendum corde non indigentia, quorum alterum arteriae, alterum venae forſan praeſtet vſum. De ouario in quinque lobos diuiſo, mul-
p. 548. tisque ductibus teſtam perforantibus praedito. De vaſis externis, cuilibet foraminum in quinque duplicatas ſeries in teſta diſpoſitorum pari reſpondentibus, animale mortuo dimidium pollicem longis, in planas, in peripheria dentatas, in medio foramine puncto noſtro lacrymali comparando pertuſas, et ex particulis cretaceis ſibi inuicem impoſitis compoſitas laminas ſeſe terminantibus, conflatisque ex fibris muſcularibus internis longitudinalibus externis circularibus, membrana inuolutis: de ramificationibus eorum per internam ex variis membranoſis laminis compoſitam teſtae ſubſtantiam; et quinque ex his obortis, in baſi dentium in ſacculum, indeque inter dentem et oeſophagum in alium canalem productis truncis. De
p. 549. vaſorum illorum actione illi capillarium ſimili, et vſu in praeda capienda. Saepe enim vna cum hyſtrice ex aqua ab Auctore fuiſſe ſublatum buccinum quartam librae partem ponderans. Hypotheſin vero Auctoris de ſecretione aquae inter internam teſtae ſuperficiem et viſcera repertae ex marina, cui ſimilis, a

vaſis

vasis illis externis absorpta secretaque ad canalem alimentarem per alia vasa chyli elaborandi gratia translatione ob canales se – et excretorios nondum animaduersos assumi non posse. Adiectas icones non satis accurate sculptas esse.

40. PORTALII *obss. de effectibus vaporum metallicorum in hominem, de submersis, de infantibus in partu mortuis visis, de rabie, cum cura his casibus accommodata, Edit. VI. in qua adi. mult. Obss. de effectibus venenorum, et modo eorum funestum in hominem effectum impediendi.* 8. 1787. *Paris. Gallic.* Sunt iam satis cognitae, priores duae iam quinque vicibus editae; illae de rabie a nobis *) recensitae, rationalemque medendi methodum Auctoris comprobant. p. 518.

41. IOH. GREGORY, *med. reg. Angl et prof. med. Edinb. praelect. de officiis et cognitionibus medici cum cursu studiorum, transl. lat. ex Angl. a Verlac* 1788. *Paris.* 12. *Gallic.* Sunt sex, in quorum primo de dignitate et vtilitate medicinae, qualitatibusque medici, secundo de iisdem, nouorum remediorum, consultationum, veterumque medicorum respectu; quatuor posterioribus de cursu medico disseritur, et contenditur ex physica et chemia tantum, quae ad medicinam spectant, ex linguis latinam, graecam, gallicm, anglicam et italicam addiscendas, iisque qui medicinam et philosophiae partem discere cupiunt, viam non praecludendam esse. p. 524. p. 525.

42. ALB. AB HALLER *bibl. med. pract. tom. IV. edid. nouisque curis auxit* I. D. BRANDIS. *Bern.* 1787. 4. *mai. tab. vtil. ad mater. in quatuor Voll. content.* Edere voluit D. VICAT PETTERLING, morte vero impeditus fuit. Continetur historia scholae *Stahlianae* ad *Boerhaauianam* anno 1707. vsque. Additamenta p. 527. p. 528.



*) vid. Vol. XXIV. p. 337. sqq.

ex bibliotheca vniuerſitatis Gottingenſis compara, ta ſunt.

43. D. IBERTI *Obſſ. vniuerſ. de noſocomiis cum idea de eorum conſtructione c. plan. delineat. ab architecto* DE LANNOY *Lond. et Pariſ.* 1788. *Gallic.* Emendationes noſocomiorum ex Italia et Hiſpania in Angliam, tum demum in Galliam tranſlatas eſſe.

p. 557. 44. GEO. BENI. SCHAEFFERI *diſſ inaug. de angi-*
p. 558. *na pectoris vulgo ſic dicta. Goetting.* 1787. Reprehendit Anglos morbum hunc pro nouo habentes, et demonſtrat, ab HOFMANNO aſthmatis cum ſpaſmo praecordiali, a MVSGRAVIO arthritici, ab HELMONTIO caduci pulmonum, ab ETTMÜLLERO aſthmatis occulti ſicci, a WILLISIO conuulſiui ſicci nomine iam eſſe deſcriptum; RLSNERUM de cauſa eius recte ſenſiſſe, eam enim et incompletis Anglorum obſer-
p. 559. uationibus, inprimis BERGERI, MACQVEENII, SYMTHII, HAMILTONI, IOHNSTONII, eorumque medendi methodo comprobari, non tamen, vti GRVNERI et SMYTHII obſeruationes doceant, alias cauſas, arthriti-
p. 560. dis anomalae ad inſtar in pectoris neruos agentes, videlicet retentionem haemorrhoidum, rheumaticum principium, venereum venenum, exanthemata retropulſa, vlcera inueterata incaute ſanata, eſſe excludenda; cauſam proximam eſſe affectum ſpaſticum ſeu forte conſtrictionem neruorum cordis, pulmonum, partiumque iis connexarum factam a materia morboſa directe vel indirecte in eos agente; huic igitur accommodandam eſſe methodum medendi, et paroxyſmo ceſſante omnia ea adhibenda, quae in anomala arthritide adhiberi ſolent.

p. 561. 45. ANT. NVNEZ RIB. SANCHEZ *obſſ. de morbis venereis, poſt mortem Auctoris publ. ab* ANDRY *Pariſ.* 1785. *Gallic.* Experientia quadraginta annorum Auctorem ſatis docuit, multos chronicos mor-
p. 564. bos ab occulta lue venerea oriri; idque pendere ab impru-

prudenti huius luis cura, quod iam demonſtraſſe VIGONEM, MERCVRIALEM, LEMNIVM, O-CONNELLIVM, BRISSETVM; morbum venereum acutum vereque inflammatorium a chronico eſſe diſtinguendum, mercurialia externa ſemper nocere; SWIETENII et PRINGLII obſeruationibus de praeſtantia ſublimati corroſiui ob regimen a diſcipulis multum adulantibus neglectum parum fidei eſſe adhibendum; ſemper primum inflammationem eſſe tollendam, aegrosque lecto et in aëre calido retinendos, tum robuſtis omni bi-vel triduo aut ſublimatum corroſiuum, aut dulcem mercurium, purgantibus et antiſpaſmodicis iunctum, in pilulis, intermediisque diebus decoctum vel ſaſſaparillae, vel bardanae, vel guaiaci, (cui ad ſudorem proliciendum nonnullae vini emetici, vel tincturae antimonii guttae admiſceantur,) vltra menſem propinandum; gracilibus imbecillisque vero, ptyaliſmo licet non ſequente, non vltra triginta etquinque dies vel quotidie, vel alternis diebus vnguentum eſſe inungendum, et quidem iis, in quibus nulla oſſium caries pertimeſcenda, camphoratum, iis, in quibus ea imminet, potu demulcente antiſeptico per quinque ſexue dies praemiſſo; ſin autem in iisdem imbecillis ſymptomata morbum chronicum ſimulent, frictionum loco mercurialia interna remediis genio chronici mali adaequatis coniuncta adhibenda eſſe; inter excretiones, quibus venenum evacuandum, optimam eſſe per poros cutaneos, qua facta ſaliuationem non neceſſariam eſſe, hanc tamen illa facilius moderari poſſe, non autem moderandam eſſe purgantibus, ſed remotis frictionibus, et propinato copioſo potu demulcente; in cura denique chronicorum venereorum morborum balnea vaporoſa Ruſſica, vel ſimilia auxilia multum valere.

p. 565 p. 566. p. 567. p. 568. p. 569. p. 570. p. 571.

46. IVVILLI, *chir. herniar. tract. de faſciis herniariis. Pariſ.* 1786. 8. *c.* 14. *tabb. illum. Gall.* Quadragin-

p. 572.

draginta per annos his conſtruendis omnem a multis, et regia academia chirurgica laudatam operam impendit; commendari inprimis merentur machina ano artificiali in inguinis plicatura recipiendo apta; alia in incontinentia vrinae viris applicanda; alia rectum prolapſum in ſuo ſitu retinens; peſſariaque duo, alterum eburneum, alterum ex gummi elaſtico paratum. ANGLIETTI commendat IO. BAPTIST. RODELLAM, mechanicum Paduanum, qui IVVILLII praecepta in fabricandis inſtrumentis ſequatur.

II.

*Auswahl aus den Tagebüchern des königlichen Friedrichskrankenhauſes zu Copenhagen. Erſter Theil, welcher die Jahre* 1782, 1783, 1784. *enthält. Von* FRIEDRICH LUDW. BANG, *dieſes Krankenhauſes erſtem Arzte, der Arzneygelahrtheit Doctor und Profeſſor an der Univerſität zu Copenhagen. Aus dem Lateiniſchen überſetzt* *) *durch* IOHANN HEINRICH IUGLER, *der Arzneygelahrtheit Doctor und Landphyſicus zu Giffhorn im Lüneburgiſchen. Copenhagen und Leipzig,* 1790. *bey Chriſtian Gottlob Proft, königl. privil. Univerſitäts-Buchhändler.* 8. pagg. 330. Dedic. praef. Traductoris et Auctoris et deſcriptio noſocomii Hafnienſis pagg. XXXVI. *Zweyter Theil, welcher die Jahre* 1785, 1786, 1787. *enthält.* Ibid. eod. pagg. 448. ſine praef. Traduct. et indice.

i. e.

*) Prodiere Hafniae 1789. 8. Selecta anni 1781. actis reg. ſoc. med. Haunienſis, Vol. I. inſerta vid. Comm. noſtr. Vol. XXVII. pp. 195. 198. 200.

i. e.

I. L. BANG Selecta diarii nosocomii Fridericiani Hafniensis, Tomi duo, in Germanicum versi a I. H. IVGLER.

In praefatione T. I. Cl. Auctor operis sui rationem reddit eique descriptionem nosocomii sumtibus regiis 1756. fundati subiungit, in qua, quantum curam aegrorum ex omni parte spectat, parum forte desideres: in praefatione T. II. autem Cl. IVGLER insigne aedificii vitium ex litteris amicorum commemorat, soli nempe humiditatem imumque tabulatum successu temporis aliquantum demersum et ob humiditatem insalubre; vnde quorundam morborum hic frequentiorum ratio pateat. Versionis necessitatem bibliopolae defendendam vrgendamque relinquimus, in opera, quam Cl. IVGLER in ea impendit, acquiescentes, neque festinationis excusationem ab ipso adductam adeo necessariam arbitrati, siquidem raro tantum eam nimis stricte ad latinae linguae genium coactam deprehendimus: vox tamen *rechtere* (dextra) insolentior omnino nobis visa. Annotationes nullibi adiecit.

Ordo, quem in consignando hoc diario seruavit Cl. BANG, is est, vt (omissis prorsus generalioribus de topographia medica morbisque sollemnioribus, nec non de tempestate cuiusuis mensis cet. adeo vt in medias res non secus ac notas lectorem rapiat) singuli mensis morbos primo epidemicos, postea sporadicos, in nosocomio obseruatos enarret, demortuorumque sectiones, quos rarissime neglexit, subiungat. Vtique curationis adhibitae rationes addidit, formulis frequenter ex pharmacopoea in vsum nosocomii Fridericiani Hafniensis, Hafn. 1788. 8. min. a se edita desumtis vsus, quarum ergo et nos, vbi occa-

ſio tulerit, ex eadem mentionem facturi ſumus: multa praeterea paſſim de cauſſis, indole, prognoſi morborum egregie diſputauit, quae hunc librum non poſſint non quam maxime commendare. Iam quum opus ipſum *ſelecta* tantum ſiſtat, facile praeuidemus, nos in praecipuis eiuſdem momentis communicandis vix prolixitatis culpam eſſe euitaturos: hanc autem lectores nobis condonaturos ſperamus, ſi grauitatem rerum hic tradendarum perſpexerint.

Tom. I. p. 1. Frigoris in dorſo ſenſus poſt febrem intermittentem reſiduus, veſicatorio ibi applicato diuque ſuppurante ublatus. p. 4. Phthiſicus tribus vltimis vitae hebdomadibus peculiari rigiditate ſpinae dorſi et colli affectus, aliusque a febre rheumatica paene conualeſcens dolore abdominis cum diarrhoea correptus vltimo vitae die idem ſymptoma patiebatur: in vtriusque cadauere cauſſa videbatur poſita eſſe in inflammatione p. 7. partis poſterioris pulmonum. Aſthma per ſex hebdomadas durans, accedente demum oedemate pedum, redeunte efflorescentia puſtuloſa faciei, quae antea diſparuerat, ſponte ſublatum. Aegra poſt peripneumoniam neglectam ſputis purulentis affecta, quae nulli remedio cedebant, oleo aſphalti ad gt. viij. mane et veſperi ſumtis ſenſim reſtituebatur. Plura de efficacia huius remedii teſtimonia ſubinde occurp. 10. runt *). Metaſtaſis febris putridae ad hepar et praecipue ad pectus, poſt mortem ſero rubello in eius p. 16. cauitatem pulmonibusque inflammatis repertis. Febris tertiana, in hyſterica per corticem peruuianum in ſubſtantia datum in continuam mutata, eiuſdem decocto ad typum priorem redibat, non tamen ceſſabat, niſi mane et veſperi aſſa foetida ſimul in vſum vocata.

*) Vid. etiam Comm. noſtr. Vol. XXVII. p. 196. Vol. XXXII. p. 56.

vocata. Febris catarrhalis epidemica Aprili 1782. p. 17.
mitioris indolis, vni tamen aegro, accedente pectoris
inflammatione ſputoque purulento ſubſequuto, 27.
die exitialis, cuius thorax dexter ſanguine pleniſſi-
mus, pulmone huius lateris abſumto, ita vt tantum
pus et ſubſtantia quaedam cellularis ſanguini admixta
eſſent. Dolores rheumatici ſponte in perfectam to-
tius corporis immobilitatem ſine dolore ac tumore
tranſeuntes: veſicatoria nullius vſus; ſenſim tamen
aeger balneis calidis, cucurbitis ſiccis et liquoris ner-
vini (ex camphorae ℈ij. in liq. anod. ʒß ſolutis, phar-
maeop. p. 17.) vſu reſtituebatur. Occaſione catar-
rhi ſupra memorati epidemici Maio adhuc durantis p. 21.
de neceſſitate in inflammatione rheumatica pectoris
ſanguinem tardius etiam mittendi. Diarrhoea habi-
tualis, accedentibus ſignis ſcorbuti per ſuccos her- p. 22.
barum recentium, decoctum album (ib. p. 5. ſed cur
puluis teſtarum praep. additur?) et mixtura ex eſſent.
caſcarillae, tinct. rhei vinoſa et liqu. anodyno curata.
Arthritis vaga neruoſa ab onania, cort. per. et liqu. p. 23.
neruino ſanata. De neceſſitate vomitoriorum ſub de- p. 25.
curſu febris putridae, vbi impuritates primarum via- 171.
rum iterum ſe produnt, repetendorum; epithema- p. 27.
tum frigidorum in iiſdem, ſanguine caput impetuo-
ſius petente. Hemiplegia poſt eam relicta, veſica-
toriis et liqu. neruino poſteaque tinctura antimonii
(Huxh.?) cum ſpiritu lauendulae compoſito deuicta.
In cadauere viri, ante menſem apoplexia eamque inſe- p. 29.
quuta hemiplegia lateris ſiniſtri correpti, ventriculus
dexter cerebri multum ſerum et ingentem abſceſſum
continebat; duae tertiae hemiſphaerii dextri poſterio-
ra verſus in maſſam mollem liquidam verſae, aeque
ac pars poſterior thalamorum neruorum opticorum.
In alio, poſt praegreſſam vertiginem et poſtea ce-
phalaeam periodicam ſubito placide mortuo, mul-
tum ſanguinis fluidi ſub cranio, dura mater tenuiſſima

multumque extenſa, vaſa et ſinus vbique ſanguine turgida, plurimum ſeri in ventriculis lateralibus et baſi
p. 32. cranii. Poſt febrem tertianam diuturniorem mors ſubitiſſima: viſcera thoracis omnia inter ſe et cum
p. 33. coſtis concreta. Scirrhus ventriculi prope pylorum, magnitudine ad caput infantis accedens, continui vomitus aſſumtorum cauſſa. Vires ſolutionis aquo-
p. 34. ſae gummi guaiaci in affectibus arthriticis vagis, quarum documenta plura in toto libro diſperſa occur-
p. 36. runt. In colica ſaturnina laudani liqu. guttae octo per aliquot horas, praemiſſis licet praemittendis, exhibitae, epilepſiam et poſt hanc vertiginem cum caligine oculorum produxerunt, iteratae demum venae ſectioni hirudinibusque ad tempora cedentem: caute igitur vel prorſus non opio in hoc morbo vten-
p. 39. dum. Ren dexter in tumorem capite maiorem, materia ſteatomatoſa et pure ſanguine remixto plenum, conuerſus; funiculus ſpermaticus brachii craſſitie, teſticulus capitis infantis magnitudine, ſimili materie
p. 41. pleni. Cephalaea in virgine poſt menſtruationem nimiam diriſſima, venaeſectionibus, hirudinibus, camphorae non obediens, a puluere refrigerante (Pharmacop. p. 34.) cum moſcho intermittebat, poſtea cortice per menſem exhibito ſanata. Hydrops praeputii poſt febrem acutam, ſcarifationibus diuturnaque ſubſequuta exulceratione ſanatus, ſuperſtite ta-
p. 47. men calloſo tumore. Vires gei vrbani in febre quotidiana poſt putridam relicta, vbi cortex inefficax fuerat: exiſtere quamdam velut ſympathiam et antipathiam inter aegros quosdam et remedia; talem vero idioſyncraſiam non poſſe inſeruire regulae practicae generali inde deducendae. In ſequentibus multa
p. 48. exempla virium illius contra diarrhoeas. Metaſtaſin febrium putridarum ad parotidem vtramque numquam bonam Cl. Auctor vidit, ideoque hos tumores potius reſoluendos quam ad ſuppurationem ducendos

dos ſuadet. Aſthma pituitoſum in potatore iam per dimidium annum perdurans, cum atrophia coniunctum, intra ſeptem hebdomadas oxym. ſcill. et ſyr. alth. ana ℥ij eſſ. enulae ℥ß omni bihorio ad cochlearia duo minora ſumtis et ſingulo mane iuſculo ex farina ſecalina ſublatum. Olei anim. Dipp. vſus aduerſus ſingultum conuulſionibus ſtipatum, quum nec liquor c. c. ſucc. nec moſchus quicquam praeſtitiſſent. p. 55.

Iſchias, a gummi guai. in motum ducta materia arthritica, peſſima ſymptomata producens, deinde rediens ſenſimque curata. p. 56.

Inflammatio inteſtinorum cum pertinaciſſima alui obſtructione, vomitu adeo ſtercoreo per aliquot dies, ſolis fere naturae viribus ſuperata (balneorum hic nullam mentionem fieri miramur). p. 62.

In puerpera 10. poſt partum die inflammatione inteſtinorum mortua omentum pinguiſſimum ad latus ſiniſtrum detruſum ibique inter inteſtina involutum: hanc pinguedinem mutati eiuſdem ſitus, huncque ob preſſionem inflammationis cauſſam haberi debere. p. 67.

Hepatitis ictero iuncta febre quotidiana excipiebatur, euacuantibus reſoluentibusque curata: cauſſa veroſimillima in reſtituta ſecretione bilis eiusque ſtimulo inteſtinis illato quaerenda; hinc effectus bilis tamquam cauſſae materialis febrium intermittentium. p. 73.

Anaſarca potione ex crem. tart. ſolubili, ſpir. ſalis dulci et aqu. petroſel. curata, cuius ſub vſu efflereſcentia ſcarlatinae ſimilis totum corpus occupabat: ſimilem effectum cremor tart. ſolubilis ſaepius monſtrauit, inde ad reuocandam figendamque ſcarlatinam omnino commendabilis. p. 78.

Poſt iſchiadem ſeptem menſium, cui demum tuſſis ſicca, difficultas ſpirandi, macies acceſſerat, interſtitia muſculorum gelatina craſſa repleta; vnciae circiter quatuor liquidi primum pellucidi, poſtea ſpiſſi et particulis puriformibus remixti, ex acetabulo effluentes, et in hoc aeque ac in capite colloque femoris multae eminentiae et

loca

loca aſpera; ſerum in abdomine effuſum, glandulae meſenterii ſolito maiores; in pectore ſiniſtro ſerum ſanguinolentum; pulmones ſcirrhoſi, coſtis accreti.

p. 81. Efficacitas emulſionis gummi ammoniaci cum ox. ſcill. et aqua hyſſopi (Pharm. p. 11.) in morbis ar-

p. 82. thriticis. In iuuene ictero praegreſſo inflammatione hepatis correpto, hac quoque diſcuſſa et ſanitate ſenſim redeunte, ſanguis ex ore naribusque fluebat, accedentibus altero die maculis liuidis ſenſim auctioribus, ſine febre vlloue ſymptomate funeſto; longo decocti corticis cum ſpir. vitrioli (ib. p. 6.) vſu demum perfecte conualeſcebat: mutationem hanc ſoli vi, quae ſanguinem reſoluat partemque grumoſam cum aquoſa commiſceat, adſcribi debere, eſſentialiter diuerſae ab illa, quae in ſcorbuto et febre putrida idem efficiat, licet idem in vtroque ſtatu remedium

p. 86. conueniat. In cadauere peripneumonici, cui per decurſum morbi vrina parciſſime fluxerat, interdum prorſus intercepta, veſica flaccida, vix dimidiae vteri virginei magnitudinis: an ab vrina, a reſorpto pure

p. 103. nimis acri reddita? Cephalaea grauiſſima, irritis omnibus aliis auxiliis, veſicatorio toti capiti impoſito

p. 111. curata. Symptomata ſpaſtica poſt excretionem taeniae, anthelminticis et ſimul in vſum ductis floribus zinci maximam partem ſublata, nulla licet excretio-

p. 115. ne ſequuta. Triſtiſſima ſymptomata a materia arthritica in corpore oberrante, poſt annum fere morte terminata: praecipua eorum ſedes in carie vertebrae ſeptimae dorſi partisque octauae ei adiacentis; ob inutilitatem omnium remediorum in hoc aegro adhibitorum quaeritur, an in ſimili ſtatu magnas ſen-

p. 119. ſimque augendas opii doſes tentare conueniat? Arthritis anomala, iam extremitates, iam viſcera abdominis occupans, per totum morbi ſex hebdomadas durantis decurſum maculis liuidis petechiis ſimilibus paſſim in toto corpore iteratis vicibus apparentibus

et

et euaneſcentibus, non tamen ſcorbuticae indolis, ſtipata. Stranguria per plures menſes durans, probabiliter a muco haemorrhoidali reſorpto, poſt multa remedia incaſſum adhibita tandem aqua pyrmontana melior reddita, deinde aqua frigida pota et exterius adhibita et clyſtere ex vini albi ʒiß et extracti opii gr. iß ſanata. Quantum ad curationem hydropis calor aeſtiuus ſolida relaxando reſorptionique aptiora reddendo conferat. Epilepſia in viro antea ab inflammatione colica liberato, cum tremore artuum alternans, cortice peruuiano ſopiri viſa, dein rediens, delirium cum inſigni debilitate et ſopore relinquens, elapſo menſe mortem inducens: ſectio nihil praeternaturalis obtulit, niſi parum ſeri in dextro ventriculo cerebri effuſum; an acrimonia occulta cum eo coniuncta eoſdem, quos in aliis ſola maior eius copia, effectus produxerit? Scirrhoſae obſtructiones quamplurimae in abdomine, indeque natus hydrops, praegreſſo ingenti terrore mortisque metu. Caries lethalis ſpinae anterioris oſſis ilium, a conſtrictione per balteum inducta. Dolor lienis per nouem menſes primo quotidie horis pomeridianis recurrens, poſtremo continuus ſed his horis exacerbatus, ſine tumore externoue dolore, vnguento neapolitano parti affectae infricto, et pilulis ex ſap. ven. gumm. amm. aſſ. foet. extr. chamaemeli et extr. gummoſo aloes intra ſex hebdomadas diſcuſſus. Eadem remedia, omiſſa aſſa foetida, cum aqua calcis viuae dolorem hepatis cum vomitu ingeſtorum, ardore ventriculi, macie corporis coniunctum ſuſtulerunt. In alia aegra dolores ſpurii lienis, fruſtra adhibitis clyſteribus anthyſtericis et reſoluentibus, ſolutione ſalis Glauberi cum tinctura rhei ſaepius exhibita multumque purgante breui ceſſarunt. De vi moſchi aduerſus inflammationes, ſiue cum camphora coniuncti ſiue ſolius. Laxitas pulmonum poſt ſuperatam peripneumoniam

p. 121.
p. 128.
p. 129.
p. 133.
p. 134.
p. 138.
p. 142.
p. 145.

moniam ſuperſtes, diaeta frigida, requie corporis
et electuario ex cort. per. caſcar. bolo arm. nitro, con
p. 149 ſerua roſ. et ſyr. diacod. curata. Raucedo cum ſenſu
obſtaculi cuiuſdam in larynge, ſenſim increſcente de-
glutitionemque admodum grauante, tandem excreto
p. 151. thrombo puris inſpiſſati ſublata. In inflammatione
inteſtinorum non fidendum eſſe ſymptomatibus paca-
tioribus viſis neque libertati alui, ſi celeritas pulſus
p. 155. adhuc animaduertatur. Singularis hiſtoria aegri ana-
ſarca cum difficultate ſpirandi, tuſſi ſicca, tumore ac
dolore hepatis affecti, excitata per vnguentum nea-
pol. regioni hepatis illitum ſaliuatione ab his ſympto-
matibus liberati, ſed durante ea, ob abſceſſum in
gingiuis a dente carioſo natum, ortumque inde oris
ac faucium tumorem, omnibus in peius ruentibus
poſt triduum mortui: ſectio praeter alia inprimis
duo polypos, minorem in ſiniſtro cordis ventriculo,
maiorem, pedis longitudine, album, compactum
nec digitis lacerandum, in dexto offerebat, quorum
ortum Cl. Auctor ſanguini per ſaliuationem partibus
fluidioribus orbato, ſolis fibroſis relictis, adſcribit.
p. 161. Peculiares mutationes in febribus intermittentibus
per Auguſtum vſque ad Octobrem 1783. epide-
micis: earum cum morbis aliis, pleuritide, cepha-
lalgia, iſchiade cet. viciſſitudines explicari vix poſſe,
niſi ſtimuli febrilis ea indoles aſſumatur, vt modo hic
illic fixus ſenſationes dolorificas, modo in maſſam ſan-
p. 163. guinis iterum ſuſceptus febrim excitet. De veſicatorio-
p. 165. rum diu ſuppurantium effectu in morbis chronicis.
Singularis inſtinctus naturae in aegra, inflammationis
inteſtinorum ſymptomata monſtrante, ad potum lactis,
quo primum ſolo, deinde cum cereuiſia commixto,
p. 170. conualuit. Iuuenis perpetuo febricitans cum hor-
rore vago, appetitu proſtrato, tuſſi, ſputo parco
puriformi, ſudore largo nocturno corticis vſum non
ferente, ab hoc oppreſſionem pectoris ſenſit, venae

ſectio-

sectionem et emulsionem camphoratam poscentem, qua medendi methodo et sudor cessabat et pectus liberabatur: non omnes ergo morbos periodicos, typo licet maxime regulari, corticem ferre. Obstructio alui post inflammationem intestinorum non semper soli naturae committenda: rheum non fert; tutum aduersus eam remedium ex nitro cum camphora et floribus sulphuris. Exemplum colicae spasmodicae cum inflammatione coniunctae aut saltem eam excipientis. p. 173. Hydrops vniuersalis, tandem lethalis, post febrem intermittentem, in qua numquam sudor proruperat, quod singulari resistentiae cutis aut spissitudini humorum adscribendum indeque originem hydropis deriuandam putat Cl. Auctor: idem etiam exemplum docet, hydrothoracem adesse posse, situ horizontali parum vel non denegato. p. 175. Arthritis inveterata, multis remediis incassum tentatis, tandem, licet nulla veneni venerei suspicio adesset, saliuatione curata. p. 182. Hydrops pectoris Decembri 1783. frequentior quam integro decennio, in quo Cl. Auctor nosocomii curam gesserat: praedisponentem caussam forte in praegresso calore aestiuo insolito, frigore itidem solito maiore subsequente, ponendam, eiusdemque lethalitatem pariter intensiori frigori tribuendam arbitratur. p. 187. In cadauere feminae dolorem sub costis sinistris spuriis post moerorem diuturnum enatum questae, loco dolente lapideam denique duritiem adepto, hepar solito maius ac durius, margini anteriori lobi minoris insistens corpus cartilagineum, medium digitum crassum, illum cum peritonaeo ventriculoque connectens; omentum paruum in similem substantiam conuersum; pancreas glandulaeque mesenterii durissima; ventriculus et intestina tenuia multum contracta, crassa admodum expansa. p. 188. De facili propensione materiae miliaris ad resorptionem et depositionem in vasa minora neruorum et cerebrum. p. 190.

p. 191 brum. Ianuario 1784. peculiarem propenſionem aegrorum quartana laborantium ad contagium febris putridae ſuſcipiendum animaduertit Cl. Auctor, quartana inter decurſum putridae euaneſcente poſtea vero redeunte. Ptyaliſmus tertianae longius duranti accedens, nec a ſcorbuto nec ab obſtructo pancreate oriundus, febrem non mutans, hacque deuicta diutius
p. 192. adhuc ſubſiſtens. Hydrops diuturnus omnibus remediis obſurdeſcens, tandem praegreſſis motibus febrilibus ſudore critico ſublatus, reſiduo tantum leui dolore hepatis, ſuccis herbarum recentium iuuante
p. 194. tempore vernali curato. COTVNNII methodus iſchiadi medendi *) ſemel tantum ſucceſſit, forte ob indolem volatilem acrimoniae vagando diſſipatam; in plurimis aliis nihil praeſtitit: inferius tamen iſchias po-
p. 204. ſtica eodem modo curata narratur. Miles ab ictu
p. 195. primae vertebrae lumborum inflicto dolore ad femur dextrum propagato affectus, quod tandem intumeſcebat, ſaliuatione malum vehementer augente, demum ſcorbuto ſe manifeſtante antiſcorbuticis et cataplaſmate ex pane albo et aqua Goulardi ſanato, reſiduisque dolore lumborum et impoſſibilitate corpus flectendi per fonticulum ad latus vertebrae dolentis ap-
p. 216. plicatum longeque ſuppurante ſublatis: aliud memorabile exemplum efficacitatis fonticulorum in debilitate a vertebrarum laeſione inferius occurrit. In
p. 197. pluribus nautis poſt itinera maritima diuturna dyſenteriam obſeruauit Cl. Auctor, lentam dicendam, euacuatis roboratisque inteſtinis in dolores arthriticos
p. 203. cum leuamine tranſeuntem. Suppuratio in vtroque rene ab accepto ante aliquot hebdomadas ictu in lumbis, hepate enormis molis et cum veſicula fellea inflammato. Pleurodyne ſcorbutica, elixirio antiarthritico

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 130.

thritico (pharmac. p. 9.) et aceto ſcill. cum infuſione trif. fibr. curata. p. 204.
Tuſſis pertinax cum excretione pituitoſa, tandem aegro fere ad incitas redacto, accedente inter ſputum materia lateritia, ei ſimili, quae alias per vrinam excernitur: voluntati tantum aegri obtemperaturus Cl. Auctor mixturam ex ſpiritus ſalis dulcis et aceti ſcill. ana ʒij, aquae meliſſae ʒvj. et ſyr. alth. ʒij. ad cochlearia duo quouis bihorio ſumendam praeſcripſit, qua ille poſt menſis ſpatium perfecte conualuit. p. 205.
Tumor ingens cartilagineus, plus quam ſiniſtram peluis partem occupans, cum oſſe ilium, femore et acetabulo coniunctus, oſſibus ipſis carioſis redditis et inteſtinis adiacentibus e ſede ſua depulſis, per nouem fere menſes lente increſcens aegrumque miſere conficiens; prima cauſſa ignota. p. 209.
Hydropis cum febre intermittente alternantis hiſtoria: diureticorum vſus inſignis in eodem. p. 212.
Ptyaliſmus rheumaticus, adſtringentibus cautiſſime tractandus. p. 213.
Dolor abdominis et lumborum diuturnior, tandem accedentibus doloribus et infirmitate brachiorum arthritidis ſuſpicionem mouens, mixtura camphorata (Pharm. p. 20.) cum liqu. anod. et poſtea veſicatoriis in vtroque brachio ſanatus. p. 214.
Pleurodyne cum ſtatu paralytico neruorum et ſcabie ſicca, hac demum ope balnei calidi copioſius prolecta, perfecte ſanata. p. 215.
Metaſtaſis lethalis puris ad pectus poſt inflammationem inteſtinorum. p. 219.
Inflammatio lethalis omenti, inteſtinorum et ventriculi a ſcirrho inſigni omenti, cum colo et ventriculo cohaerente, in homine potu ſpirituoſo abuſo. p. 221.
Poſt praematuram conſolidationem abſceſſus in manu multum pus fundentis dolor et rigiditas ſpinae dorſi, paraplegia extremitatum inferiorum, iſchuria, tandem mors a ſuffocatione: in cadauere veſica vrinaria expanſa, interiori ſuperficie nigricans, lotio ſanguineo plena, pus largiſſime ad totam ſpinam dorſi et in ipſius cauitate effuſum. p. 229.
Depoxiis p. 232.

noxiis abuſus potus ſpirituoſi effectibus potiſſimum
p. 234. in cerebro. Peripneumonia rheumatica, die 21. et
ſequentibus ſudore critico abſque expectoratione ſo-
p. 235. luta. Debilitas mentis et corporis per plures men-
ſes durans, intercurrentibus lipothymiis, cum amne-
ſia et ſtupore iuncta, ſomno appetitu aluoque natu-
ralibus, fruſtra adhibitis excitantibus neruinis, ſubi-
p. 238. to terrore excitata ſenſimque curata. Febris conti-
nua die 20. ſymptomatibus apoplexiae lethalis: ven-
triculi laterales tanta copia ſeri referti, vt ſeptum
pellucidum diſruptum eſſet. Anaſarca a potus ſpiri-
tuoſi abuſu, vltima vitae hebdomade perfecta fere
caecitate, inſigni ſtupore et leui delirio iunctis: prae-
ter induratum et vbique diaphragmati accretum he-
par in cauitatibus cerebri, potiſſimum vero in baſi
cranii, ſerum effuſum, arteriae ophthalmicae ſan-
p. 240. guine turgidiſſimae. In alio aegro, ex eadem cauſſa
dolorem hepatis queſto, octauo die totum abdomen
intumuit, ſequenti apoplexia lethalis acceſſit: ſubi-
tae huius mutationis cauſſam in repetita venae ſectio-
p. 242. ne ponendam Cl. Auctor putat. Poſt febrem inter-
mittentem pipere et ſpiritu frumenti ſuppreſſam ab-
ſceſſus in cerebro et inteſtina omnia inflammata, par-
p. 243. tim etiam ſphacelo tacta. Poſt quotidianam ſponte
euaneſcentem abſceſſus hepatis, ſubſequente excre-
tione puris per vomitum et abdomen: in cadauere
inteſtina tenuia in regione lumbari dextra ſphacelata,
hepar in ſaccum, partim vacuum, partim pus et hy-
datides continentem, mutatum, glandulae meſente-
p. 245. rii induratae. Iunio 1784. febres intermittentes non-
numquam cum ſignis obſtructi hepatis, reſoluenti-
bus ac deinde cortice peruuiano curatae, nonnum-
quam dolores artuum ſatis pertinaces, abſque ſignis
ſcorbuti, relinquebant, ſucco citri cochleatim bis
p. 247. de die ſumto cedentes. Diarrhoea ſcabiem conta-
gio ſuſceptam et ſponte diſparentem inſequens ae-
gram-

gramque emacians, geo vrbano fotuque lecti ſublata; ſcabies a calore repullulans ſolitis poſtea remediis cedebat. Virtutis antiſyphiliticae opii exemplum, aegro tamen ante curationem abſolutam noſocomium relinquente: illud tuto aucta ſenſim doſi aegris diu exhiberi poſſe, vnicumque ſolamen in morbo a ſpecifico minerali non ſuperando exiſtere. Cephalaea cum obſcuritate viſus pupillarumque dilatatione, tineae ſuperueniens: in cadauere ſerum in cerebro baſique cranii effuſum; ad coniunctionem neruorum opticorum medullamque oblongatam haerebant corpora hydatidibus ſimilia, materia ſpiſſiſſima repleta. Febris bilioſoputrida in viro 21 annorum, fruſtra adhibitis aliis remediis aegroque eorum pertaeſo, ſolo quotidiano vini rhenani vſu curata, oedemate pedum ſubſequente linctura aquoſa rhei ſublato. Atrophia cum diarrhoea, tuſſi, ſputis purulentis, aphthis, in itinere maritimo annuo contracta, geo vrbano poſteaque iuſculis ex farina ſecalina intra duos menſes perfecte ſanata. Tumor oedematoſus faciei a refrigerio tempore aeſtiuo, altero die in oppreſſionem pectoris cum tuſſi ſicca, et haec rurſus in tumorem abdominis, ſcroti et pedum tranſiens, fruſtra tentatis diureticis tandem tinctura rhei addito oleo tartari per del. ſanabatur: eodem remedio deinde ſaepius aduerſus hydropem vſus eſt Cl. Auctor. Cephalalgia a vehementi animi affectu exorta, altero die in paralyſin artuum inferiorum ſtuporemque ſuperiorum mutata, poſt 14 dies ſudore vniuerſali, potiſſimum capitis largiori, per quatriduum durante, maximam partem ſublata, ita vt liquor neruinus et veſicatorium in nucha reliquias morbi breui tollerent. Vertigo cum cephalalgia potiſſimum nocturna, ſomno inquieto, tremore perpetuo artuum, a terrore inducta, fruſtra adhibitis remediis, tandem puluere refrigerante cum valeriana et moſcho, redeunte ſudore

p. 252.

p. 253.

p. 258.

p. 263.

p. 264.

p. 265.

p. 266.

p. 268. foetido pedum antea habituali, curabatur. Dyſpnoea cum tuſſi, ſputo pituitoſo, dolore pectoris non circumſcripto, ſitum horizontalem ferens, tandem ſub lento virium decremento accedens vltimo ante mortem die haemoptyſis: pulmones ſolito rubicundiores, ponderoſi, tactu ſubſtantiae granuloſae, ex omnibus fere punctis liquidum ſpumans, rubroſu-
p. 271. ſcum, quaſi ichoroſum fundentes. Monita de cautione in paracenteſi adhibenda, vbi obſtructionis ouа-
p. 272. rii ſuſpicio eſt. Poſt vehementes colicos dolores, vomitu bilis et aſſumtorum aluoque clauſa ſtipatos, tertio die lethales, ventriculus non inflammatus et aeque ac totus tractus inteſtinorum tenuium rubellorum admodum expanſus, craſſa vehementer contracta abſque faecibus; omentum et veſicula fellea coloris fuſcorubicundi, inter ſe coalita; pus in huius et hepatis vicinia, et abſceſſu procul dubio clam genito: quaerit ſimul Cl. Auctor, an inteſtinorum tenuium et craſſorum antagoniſmum aliquem aſſumere
p. 274. liceat? Colicae rheumaticae caſus duo memorabi-
p. 278. les. Vlcera artificialia, vbi chronica ſiccata fuerint, tantum non praeſtare, quantum ipſa haec recrude-
p. 279. ſcentia, ſingularis obſeruatio docet. Dolor lancinans in perinaeo ſub eleuatione ponderis grauioris exortus, breui diſparens, poſt 14 dies ſub quouis motu corporis redibat, eo quieto ceſſans, vrinae excretione non turbata, nec in loco dolente mutatione aut ſub preſſione doloris ſenſu percipiendis; venae ſectio, laxans et oleum hyoſcyami infrictum intra 14 dies dolorem multum minuere, ſed ſuccedebat tumor in ilio dextro, ſub ſitu erecto motuque ſemanifeſtans, poſt aliquot dies ſponte diſparens, ſubſequente moleſta expanſione abdominis cum dolore funiculi ſpermatici teſticulique dextri; venae ſectio repetita, mixtura camphorata, hirudines ad perinaeum haec ſymptomata tollebant, et extenſio abdominis ſuperſtes ec-

copro-

coproticis adeo leuabatur, vt tantum ſub motu corporis rediret; cingulum totum abdomen ambiens eam coercebat aegrumque negotiis ſubeundis aptum reddebat: an phaenomenorum horum cauſſa in qualicumque laeſione meſenterii ponenda? Hydropis p. 280.
a refrigerio exemplum. Anaſarca cum leui tuſſicu- p. 281.
la per diuretica imminuti ſpecies apoplexiae eique cephalalgia cum infirmitate brachii ſuccedebat, ſolitis remediis cedens; poſtea rurſus adhibitis diureticis et fere diſſipato tumore accedebat tuſſis ſicca quotidie increſcens, aduerſus valentiſſima remedia rebellis, auctо ſimul tumore hydropico; tandem perfecta ſanitas mixtura ſuperius memorata ex aceto ſcill. et ſpir. ſalis dulci intra octiduum redibat: ſymptomata haec a reſorpto ſero et praeſente antea obſtructione tuberculoſa pulmonum deriuanda. Inflammatio- p. 286.
nis lentae in ouario indicia, dolore in regione iliaca breui poſt partum orto, per menſem durante et tribus vltimis diebus oedemate pedis coniuncto, intra 14 dies tribus venae ſectionibus et mixtura camphorata ſublata. Haemorrhagia vteri a moerore diutur- p. 289.
no per dimidium annum iam durans, nonniſi paucis diebus liberis, in quibus humor albus effluebat, cum cachexia coniuncta, puluere gei vrbani et infuſo aquoſo florum trifolii albi ſublata. Grauida oede- p. 294.
mate totius corporis cum maculis liuidis, petechiis minoribus, affecta, doloribus ad partum cum vomitu et conuulſionibus correpta ſubito periit: ſub dura matre ingens copia ſanguinis inſpiſſati, hemiſphaerio ſiniſtro agglutinati, cerebrum duobus locis perforantis et cum ſimili coagulo, ventriculum ſiniſtrum aſſumta ipſius forma replente, cohaerentis; parum ſeri in ventriculo dextro, multum in baſi cranii; abdomen illaeſis viſceribus aqua rubella plenum, vterus ſanguine nigro. Octobri 1784. febris bilioſa putrida varias p. 297.
metaſtaſes ſubiit: criticas, haemorrhagiam narium,

expectorationem, abſceſſum ſub mento, inflammationem inteſtinorum, tumorem pedum (vbi ſimul noxa emollientium et remanens in materia metaſtatica etiam poſt reſorptionem vis febrim excitandi demonſtratur); lethales, tumorem vtriuſque parotidis,
p. 304. gangraenam in femore et genu, depoſitiones ad cerebrum, ad inteſtina. Diarrhoea chronica, accedente demum aſcite et macie: aeger tamen puluere
p. 306. gei vrbani et infuſo radicis althaeae et ſeminis lini perfecte ſanabatur. Poſt ſcabiem vnguento ex praecipitato rubro repulſam cauitates pectoris, pericardii et abdominis ichore ſcabioſo ſimili repletae, et ple-
p. 314. raque earum viſcera inflammata. Emulſionis ammo-
p. 315. niacalis efficacitas aduerſus hydropem. Menſtrua infuſo baccarum iuniperi, fol. ſennae et ſem. foeni-
p. 318. culi, ſubiunctis mane et veſperi gr. x aſſae foetidae, prouocata. Lethalis metaſtaſis febris putridae ad pectus, pulmonibus penitus ſuppuratione conſumtis (hiſtoria tamen morbi et ſectionis paulo obſcurior
p. 321. nobis viſa). Saturatus aquae paracenteſi eductae co-
p. 325. lor, triſtem morbi exitum praenuncias. Ingens oppreſſio pectoris, morbillos antecedens, quinquies
p. 326. repetita ſanguinis miſſione deuicta. Febris quartanae puluere febrifugo FRESCARODI duo exempla.
p. 327. Dolorem fixum poſt contuſionem in ſcrobiculo cordis enatum, poſt dimidium annum vomitu puris et ſanguinis leuatum, per tres hyemes ſpaſmus ventriculi cum vomitu ingeſtorum ſequebatur; tandem tinctura rhei cum ſolutione tart. tart. decocto graminis et taraxaci, clyſteribus et vngu. neapol. in locum affectum infricto, elapſo menſe tollebatur.

T. II.

p. 3. Febris rheumatica, reſtitutis ope nitri, lactis
p. 4. ſulph. et camphorae haemorrhoidibus ſublata. Dolor poſt partum difficilem a regione iliaca per totum pedem

pedem progreſſus, liqu. neruino, veſicatorio ad ſuram, ac deinde balneo vaporis curatus, extenſioni ſiue preſſioni nerui iſchiadici ſub partu adſcribendus. Concuſſio corporis per vomitum, egregium auxilium p. 6. ad reſtituendum fluxum menſtruum, modo praeparatio neceſſaria praeceſſerit. Colica ſpaſmodica, p. 7. forſan rheumaticae a refrigerio originis, laxantibus ex manna et oleo, balneis cacidio, tinct. antim. Huxh. cum ſpir. lauend. comp. et cucurbitis ſiccis ad artus dolentes curata: extremitatum dolores et paralyſis a conſenſu neruorum, inprimis intercoſtalis, deriuanda. Alia ſpaſticorum affectuum ſyndro- p. 8. me, doloribus vagis capitis cauſſam rheumaticam arguentibus, gummi guac. demum ſublata. Inſenſibi- p. 10. litas totius corporis, excepto capite, cum perpetuo frigore mollitieque manuum, muſculis artuum debilitatis, maxima in ſudores propenſione poſt biennium demum prorſus deuicta. Duplex modus euen- p. 13. tus lethalis febris putridae: vel inflammatio per metaſtin, vel extrauaſatio humorum reſolutorum, potiſſimum in cerebro. Inflammatis lethalis inteſtinorum ab arthritide vaga in ea conuerſa. Delirium p. 15. phreniticum, libris tribus ſanguinis vna vice emiſſis ſanatum, quum repetitae venaeſectiones et hirudines nihil praeſtitiſſent (aliud exemplum incipientis phreni- p. 52. tidis eo auxilio curatae; aliud triginta duarum vnciarum p. 321. in puerpera). Paralyſis brachii a crapula, ſanguinis p. 16. miſſione, vomitorio, veſicatorio cucurbitis ſiccis, tinct. antim. cum ſpir. lauend. comp. et infuſo florum arnicae intra quinque hebdomadas curata. Cautiones p. 19. in vſu reſoluentium in obſtructione hepatis poſt eiuſdem inflammationem reſidua, ne illorum vi irritante inflammatio denuo accedat. Dolores in hac vel p. 21. illa corporis parte, diarrhoeam habitualem curatam excipientes, forte humoribus poſt ſedatam euacuationem copioſioribus tribuendi. Gei vrbani aduer-

p. 77. ſus hunc morbum vires, addita dimidia parte ſimarubae
p. 22. et caſcarillae auctae. Pulſus tardus in febribus, morbi
p. 25. grauioris in cerebro praeſagium. Pleuritidis in phre-
p. 27. nitidem mutatae exemplum. Scabiei, tanquam morborum cauſſae, aliorumque medelae, varia exempla: cauſſam, cur ea martio et ſequentibus menſibus 1785. frequentior fuerit, in frigore inſolito et aquarum
p. 33. deprauatione ponendam. Poſt dolores arthriticos ſolitis remediis ſublatos reſiduus dolor calcanei, pede per dimidiam horam in aquam frigidam
p. 36. immiſſo ſanatus. Nyſtagmus a colica ſpasmodica relictus, quotiescumque acies oculorum plus ſolito intenderetur, oleo hyoſcyami palpebris ſaepe infricto curatus. Mors ſubita, cauſſa nulla in cadauere
p. 37. reperta, niſi pauco ſero ſub pia matre et in ventri-
p. 39. culo cerebri dextro. Tartari emetici vſum in ſummo gradu febris biliioſoputridae, ſputo purulento non eiecto ſed ſemper deglutito, ſemel ſumme proficuum
p. 41. vidit Cl. Auctor, in aliis caſibus ſaltem innoxium. Adverſus febres quartanas cum obſtructione hepatis pulvis ex cort. per. ℥j ſal. ammon. ℥ij rhei ℥j (Pharm. p.
p. 42. 32.) efficax. Cephalalgia et vertigo remittentes, cum abſceſſu ad ſinciput, fruſtra remediis appoſitis oppugnabantur, ſed ſymptomatibus ſenſim auctis poſt menſem inſultus apoplecticus accedebat; poſt iteratam venae ſectionem aegra velut ex profundo ſomno euigilabat, tertio die intellectus redibat, quinto totam faciem tumor eryſipelaceus occupabat, poſt venae ſectionem quarto die ſubſidens, ſola leui vertigine relicta: ſed inopinato abſceſſus ad ſcapulam dextram formabatur, quo aperto multoque pure emiſſo ſanitas perfecte reſtituebatur. An reſorptum ex abſceſſu capitis pus prima ſymptomatum cauſſa? Mirandi omnino effectus virium naturae in produ-
p. 47. cendis his metaſchematiſmis. Apoplexia lethalis, inflammationi inteſtinorum ſuperueniens, cere-

bro

bro et pectore ſanis inuentis: an ſpaſtica, an ab inanitione? quaeritur. Rurſus febres intermittentes puluere FRESCARODI curatae, efficaci etiam, vbi viſceris obſtructi ſuſpicio erat: plura huius efficaciae teſtimonia paſſim in ſequentibus occurrunt. Kermis mineralis et gummi amm. vires ad materiam ſcabioſam expellendam. Vterus pro grauido habitus, in maſſam enormem ſteatomatoſam materia purulenta obductam eiusque ope cum inteſtinis et peritonaeo conglutinatam verſus, cauo pugni magnitudine ichor cinereum foetidiſſimum continente, orificio adeo amplo, vt digitos tranſmitteret. Oedemate pedum ab aſſumta draſtica medicina diſſipato abdomen cum dolore intumuit, fluctuatione vix perſentiſcenda: poſt trimeſtre mortuo aegro larga ſeri flaueſcentis in abdomine effuſa quantitas, peritonaei ſuperficies interna vbique nigra, inteſtina hinc expanſa inde contracta, in curuatura parua aeque ac meſenterium tumoribus albis folliculoſis obſita, hepar cum diaphragmate concretum et pariter ac lien multum contractum apparuerunt. Febris bilioſoputrida ſuperueniente ſcabie critica ſanata. Hirudines laryngi applicatae difficultatem deglutitionis, frequens in hoc morbo ſymptoma, tollunt. Pleuritis magis inflammatoriae quam bilioſae indolis, expectoratione vere bilioſa multum leuata, ſuccedente demum lumbagine, cui veſicatorio fruſtra applicato venaeſectiones quatuor medebantur. Hydrops vniuerſalis in puero novem annorum haemorrhagiam narium magnam inſequutus, paracenteſi et aceto ſcillae cum ſpiritu ſalis dulci iuniperique infuſo ſublatus. Hiſtoria puellae 17 annorum memoratu digniſſima, quae poſt ſuppreſſa menſtrua febre bilioſa, breui in intermittentem tertianam mutata, deinde ſucceſſiue, altero ſymptomate alterum leuante, dolore lumborum cum paraplegia artuum inferiorum, febre cum dolore et

p. 49.
p. 62.
p. 50.
p. 55.
p. 75.
p. 58.
p. 62.
p. 65.

tumore

tumore glandularum axillarium, dolore et tumore mammae dextrae, rurſus dolore pedum lumborumque, paraplegia, febre cum dolore pectoris et ſputo purulento ſanguineo, conuulſionibus epilepticis, infirmitate extremitatum laborabat, tandemque largo menſtruorum fluxu redeunte ſanabatur: remediis ſingulo morbo accommodatiſſimis, vt tamen cort. per. rubri vſui viſcerum neruorumque robur reſtitu-
p. 69. tum tribuendum ſit. Tetanus a retrogreſſa ſcabie, ſectione nullum aliud in cerebro vitium detegente, quam largam ſeri in ventriculis baſique cranii effuſio-
p. 70. nem. Poſt arthritidem primo vagam, deinde in coxa ſiniſtra fixam, praegreſſo cumque arthritide ſubſiſtente dolore hypochondrii dextri, febris continua putridae indolis aegrum trucidabat: hepar in ſuperficie exulceratum et mediante pure diaphragmati agglutinatum; an materia arthritica cauſſa laeſionis hepatis, an potius pus ex hepate reſorptum dolorum
p. 71. arthriticorum cauſſa? Alius aegri, in quo ſumma ſuſpicio obſtructionis viſcerum abdominalium aderat, ſectio haec ſana, niſi hepar paullo durius, ſubſtantiam cerebri molliſſimam humoresque in eius cauis et baſi cranii effuſos monſtrauit, vt ideo obſeruata ſymptomata vix alii cauſſae quam conſenſui abdomi-
p. 72. nis cum cerebro adſcribi poſſent. Inteſtina gangraena ſummopere corrupta, ab abſceſſu hepatis probabiliter
p. 75. 18 ante mortem dies rupto. Ardor plantarum pedis, volarum, dorſi et abdominis, noctu increſcens ſomnumque impediens, cum debilitate corporis ac dolore femorum ſuperiorum coniunctus, corpore de reliquo ſano neque antea morbum paſſo, antiſcorbuticis et aduerſus relictum dolorem pedum balneis
p. 77. vaporoſis ſanatus. A repreſſa ſcabie tumor ad genu, et hoc iterum repreſſo dolorque in ſcrobiculo cordis cum vomitu frequenti, huicque ſuperueniens icterus: curatio reſoluentibus et euacuantibus praeſtita,

ſine

ſine reditu ſcabiei. In alia aegra ſcabies repreſſa cam- p 79.
phorae vſu rediit, magneſia poſtmodum et flor. ſulph.
cum balneis adiunctis ſanata. Scabies critica oppreſ-
ſioni pectoris cum ſputo purulento ſub vſu kermis
miner. ſuperueniens, aegro poſtea iuſculis ex farina
ſecalina et aquis ſelteranis cum lacte ſanato. Simi- p. 82.
litudo colicae nautarum in regiones calidas iter
facientium cum ſaturnina ratione ſymptomatum me-
thodique curandi, cauſſis licet diuerſis. Iuuenis 24
annorum per plures menſes difficili reſpiratione et p. 84.
palpitatione cordis, a cauſſa ignota lente increſcen-
tibus neque ab erumpente ſcabie leuatis, tandem ex
improuiſo placide obiit: pulmo dexter pleurae dia-
phragmatique accretus, in ſuperficie exteriore fiſſura
2 poll. longa et ſatis profunda ruptus; pleura in loco
huic fiſſurae proximo ichore ſpiſſo obducta; ſeri non-
nihil in pericardio; cor ampliſſimum, ſanguine par-
tim tenui, partim craſſo et polypoſo, plenum; val-
vulae mitrales oſſeae, viam inter ſinum et ventriculum
coarctantes: vnicum huic ſimile exemplum in vetula 75
annorum MORGAGNIVS *) conſpexit. Poſt febrem p 88.
bilioſoputridam ſuperatam frequenter reſidua vertigo
grauitasque capitis, veſicatorio in nucha tamquam
ſpecifico debellanda. Singularis huius febris meta-
ſtaſis in pectus, methodum antiphlogiſticam requi-
rens, ac demum diarrhoea hancque excipiente ſputo
purulento ſanata. De virtute mercurii aduerſus mor- p. 92.
bos chronicos etiam non venereos. Colica ſpaſmo-
dica ſcabiei curatae ſuccedens, euacuantibus, liqu.
neruino et poſtea ſulphure exhibitis, quo ſcabies
redibat; deinde balneis ſanata. Expanſio zonae coli p. 93.
cum ſpaſmo ventriculi et fame praeternaturali, fru-
ſtra adhibitis internis, quotidiano vſu ſeſquidrachmae
aſſae

*) De ſed. et cauſſ. morb. XXVII. 2.

p. 94. aſſae foetidae in clyſtere intra 14 dies ſublata. Tumor dolens genu, nulli cauſſae niſi doloribus vagis arthriticis praegreſſis adſcribendus, iteratis venaeſectionibus et emulſione camphorata intra 10 dies diſcuſſus: in alio poſt ſanguinis miſſionem veſicatorium toti tumori impoſitum et poſtea balneum vaporis me-
p. 95. delam afferebat. Menſtrua ſuppreſſa, ſanguine crebro ex naribus vel pectore vel ex vtriſque prorumpente, vno clyſtere emolliente, quod aegra maxime
p. 96. reformidauerat, reuocata. Poſt praegreſſam ante aliquot annos haemoptyſin violentam aeger difficili reſpiratione laborans breui poſt introitum in noſocomium deceſſit: thorax dexter multo ſero plenus; pulmo eius lateris ſcirrhis variae magnitudinis refertiſſimus; pericardium multa aqua repletum; cor maximum; pulmonem ſiniſtrum coſtis, cum quibus
p. 97. coalitus erat, apprimens. Delirium melancholicum poſt febrem bilioſoputridam ſuperſtes, aceto vini
p. 101. cochleatim ter de die ſumto curatum. Singultus neruoſus, moſcho et clyſtere ex aſſa foetida poſteaque epithemate ex aromaticis vino et aceto infuſis ſa-
p. 102. natus. Spaſmus tonicus extremitatum cum vlcuſculis prurientibus in pedibus, abuſui ſpiritus frumenti tribuendus, liquore neruino et magneſia cum fl.
p. 104. ſulph. ſublatus. Tumorem abdominis in caſu peculiari materiae rheumaticae, refrigerio ad peritonaeum repulſae et in hoc forte inflammationis quamdam ſpeciem producenti (abdomen tamen neque ſponte, neque tactu exploratum, doluit) actionemque muſculorum abdominalium turbanti adſcribendam, et ex eadem cauſſa tumorem abdominis ſaepe protinus poſt mortem deriuandum putat Cl. Auctor.
p. 105. Anaſarca, corpore de reliquo ſano, a ſolo diuturno moerore. Scabies ſicca, inutili ſulphuris et balneorum vſu, mercurio dulci ad ſaliuationem diu durantem tractata, in herpetem largum, cum tumore et rubo-

rubore mutata, qui nonniſi carni bubulae recenti quauis veſpera locis affectis impoſitae cedebat. Poſt p. 107.
inflammationem inteſtinorum, accedente vltimis vitae diebus vomitu ſtercoreo, apparuit ingens foramen in ilio, inſigni copia faecum fluidarum in abdomine effuſa. Voluuli mirum exemplum, toto p. 108.
colo tranſuerſo in deſcendens immiſſo et tam arcte cum eodem coniuncto, vt ab eo ſeparari vel extrahi nullo modo poſſet; principio coli valde coarctato et cum partibus vicinis coalito, inteſtinis tenuibus maximam partem e ſede ſua detruſis. Stranguria cum p. 109.
incontinentia vrinae coniuncta, paraplegia extremitatum inferiorum cauſſae neruoſae ſuſpicionem mouente, poſt cephalaeam vehementiſſimam tribus elapſis diebus ſponte euaneſcentem enato ingenti tumore duro et dolente ſub vmbilico, inuoluntario vrinae ſatis largae effluxu cum ſanguine iuncto: curatione antiphlogiſtica per ſex dies fruſtra adhibita, per catheterem libris tribus vrinae eductis, quam ſanguis ſequebatur, tumor prorſus ſubſidebat, ſed inſtrumento exemto cum prioribus ſymptomatibus redibat; tandem morbo per menſem protracto viribusque exhauſtis, mors. Veſica vrinaria molis inſolitae, tunicis potiſſimum verſus collum craſſiſſimis, vrina ſanguinea repleta, intus muco ſanguineo obducta; corpus tertiae vertebrae lumborum carie paullum tactum, medulla ſpinali in hoc loco iuſto molliore. Abſceſſus hepatis, accedente diarrhoea puru- p. 113.
lenta apertus quidem multumque puris fundens, ſed excretione puris per pulmones aegrum conficiens: ſectio eroſionem diaphragmatis pulmonisque dextri a pure ex hepate cum diaphragmate et peritonaeo coalito monſtrabat. Tumor ad ſpinam tibiae p. 115.
ſub finem febris bilioſoputridae, vnguento neapol.
lente et ſine noxa diſcuſſus. Dolor fixus in pectore p. 118.
ſiniſtro cum tuſſi et ſputo mucoſo ſanguineo ſympto-

mati-

matibusque biliosis: venaesectionibus tribus, emetico, remediis antisepticis morbus sanatus videbatur, quum 37 die horror ingens accederet, quem priuatio intellectus, continuus vomitus ingestorum et materiae biliosae nigrae foetidae, aluus inuoluntaria, vrina intercepta, cathetere educenda, postea sponte cum sedimento purulento effluens, post quatriduum mors insequebantur. Intestina omnia contracta, in vicinia hepatis bile multum tincta; in huius superficie conuexa steatoma insigne, in concaua color nigricans; vesicula fellea bilem spissam duoque calculos continens; renes et inprimis vreteres amplissimi, de reliquo sani, aeque ac vesica vrinaria, vrina plena; pulmo sinister diaphragmati accretus, superius sphacelatus, cauitate interius satis magna, sed vacua: manifestum exemplum, pus extra vias vrinae genitum
p. 121. resorberi et per eas excerni posse. Absцessus renis dextri, vita tamen summa cum probabilitate post eius rupturam adhuc per mensem superstite: causa peruersus motus pedis tres ante mortem menses accidens (similem a simili, causa euentum post sex demum menses lethalem vidimus, musculis reni subp. 123. iectis ipsoque neruo ischiadico simul destructis). Absцessus fluctuatione in viuo non percipiendus, intestinis multum expansis et antrorsumpressis. Emep. 127. ticum in arthritide vaga, signis cruditatis primarum viarum praesentibus, tuto et vtiliter exhibenp. 130. dum. Polypum cordis satis longo ante mortem
p. 131. tempore gigni posse. Moschi vsus in febre biliosop. 133. putrida, accedente stupore. Calor continuus aequa-
362. lis, ad curationem hydropis necessarius. Vomitus
p. 135. continuus post febrem biliosam et inflammationem pectoris residuus, nullis remediis compescendus, et cum suppuratione brachii demum aegrum conficiens, nullo vitio in abdomine conspicuo, nisi ventriculo maxime contracto: inde neruosus hecticus vocanp. 136. dus. Tristissimus morbus ad nouum mensem protractus

tractus, aegro post abscessus complures in abdomine, vmbilico et perinaeo sensim tabe consumto: inter musculos abdominales et peritonaeum collecta materia partim tenuis ichorosa, partim crassior quasi steatomatosa, a crista dextri ilii ad perinaeum descendens et prope intestinum rectum effluens; os pubis interius carioſum; musculi lumborum in vtroque latere pure pleni, et in latere dextro exterius cartilagineae duritiei; pus inter musculos femoris sinistri effusum; renes sani, sed in dextro parui calculi; intestina sana, nisi parte quadam ilii in regione iliaca dextra inflammata materiaque steatomatosa ad peritonaeum agglutinata. Prima caussa sine dubio inflammatio peritonaei, pure in eius cellulas effuso sensimque ibi spissiore reddito. Effectus abundantioris materiae p. 146. arthriticae ad abdomen conuersae: omentum maius scirrhosum, scirrhi in substantia ventriculi prope cardiam, pylorus callosus et angustatus, glandulae mesenterii induratae, item hepar sed absque scirrho: seri sanguinei larga copia in abdomine. Abscessus post p. 147 venam in colica inflammatoria sectam in brachio enatus, pure resorpto ad cauum pectoris delato lethalis, visceribus illaesis, neque vena secta praeternaturalis quid ostendente. Febris biliosoputrida cum stupore et p. 149. sopore diuturno coniuncta, tandem abscessibus pluribus nigricantibus in parte capillata capitis soluta; in alio scabie, ante non praesente; in aliis dolore vago rheumatico, vesicatoriis sublato. Haemoptysis in iuuene p. 151. tempore brumali sponte enata, praemissis venae sectionibus, regimine frigido, summa quiete corporis animique et electuario ex nitr. et conf. ros. ana ℥j, boli arm. ʒij, syr. alth. q. s. ad cochlear minus omni bihorio exhibito, perfecte curata. Sopor et apoplexia p. 153. lethalis post praegressum oedema pedum diureticis discussum: aqua in cerebro effusa, hydatides in plexu choroideo, cerebrum ipsum ad 2 vel 3 lineas

p. 154. ſuppuratione tactum. Lapſus grauior, poſt ſympto-
mata arthritidem vagam mentita elapſo 2. menſe epi-
lepſia accedente lethalis: ſanguis in pia matre, omni-
bus cerebri cauitatibus, baſi cranii et cauitate verte-
p. 162. brarum magna copia effuſus. Colica periodica, prae-
greſſa ante dimidium annum arthritide, redeuntibus
ſub liquoris neruini vſu eius inſultibus, ope veſicato-
riorum nunc huic, nunc illi parti applicatorum curata.
p 164. Inflammatio hepatis, cauſſa mortis tamen magis in
corde, ventriculo ſiniſtro nimium dilatato hocque
p. 165. ſanguine polypoſo referto, quaerenda. Serum in
cerebro a ſcabie retropulſa epilepſiam lethalem pro-
ducens. Neceſſitas methodi antiphlogiſticae in me-
taſtaſi inflammatoria ad partes internas febri putridae
accedente, licet debilitas ſumma adeſſe videatur.
p. 170. Duo exempla ſcorbuti phthiſi curati, aliisque diar-
p. 173. rhoeae chronicae cum tuſſi purulenta et macie cor-
poris ſuperuenientis, feliciter ſanati. Scabies retro-
pulſa anaſarca inducens, emulſione ammoniacali,
infuſo iuniperi et calore lecti reuocata et ſulphure,
balneis et linimento mercuriali ſanata. Similis effe-
ctus poſt vlcus pedis ſiccatum: hoc ſponte iterum
aperto et altero pede ſimul exulcerato, adiunctis re-
mediis internis, tandemque vlceribus in capite et
nucha erumpentibus aeger reſtituebatur. Metaſtaſis
p. 177. lactis in abdomen, 33 die mortem inducens. Hydrops
p. 179. meſenterii praegreſſa diarrhoea dyſenterica, aſciti
hydatidibusque ieiuno appenſis iunctus, inteſtinis al-
biſſimis, craſſis admodum contractis; hepate et liene
p. 181. ſanis. Singularis conformatio ventriculi, aegra an-
tea per plures annos vomitu crebro cum eiectione
lumbricorum affecta, vltimo vitae tempore dolore
continuo in regione ſupra vmbilicum, tactum non fe-
rente, vomitu omnium ingeſtorum, ſingultu, ob-
ſtructione alui cet. excruciata: ventriculus formam
inuerſae et incuruatae lagenae referebat, cuius baſis

et

et pars media a cardia fere ad ſymphyſin pubis deſcendebat, vbi collum ad angulum acutum ſurſum inflexum verſus hepar ſurgens in duodenum inſerebatur: hanc figurae mutationem vermibus pylorum obſtruentibus ideoque aſſumtorum maiori quuntitati longiorique in hoc viſcere morae tribuendam. Aeger 23 annorum hydrope cerebri demortuus, iam ab infantia crebris capitis doloribus obnoxius: morbus exitialis per duos menſes durans, exacte deſcriptus, ſubiuncta ſectione. Scorbutus febri bilioſoputridae ſuperueniens, difficultate ſpirandi primum ſe prodens, decocto corticis acido cum antiſcorbuticis brevi ſublatus. De nexu febrium intermittentium cum ſecretione bilis, argumento, bilem eſſe ſtimulum febrilem. Tumor elaſticus dolens ad genu, venae ſectionibus iteratis, linimento camphorato (Pharm. p. 23.) et balneo vaporis diſcuſſus. Febris a vehementi animi affectu exorta, aegro 19. morbi die in noſocomium delato, cum dolore hypochondrii dextri, crebris vomitu et deiectionibus, tuſſi cum ſputo cruento interdumque haemorrhagia narium, ſapore depravato, ſiti ingenti, inſigni virium proſtratione; 24. die mors. Inteſtina craſſa expanſa, rubra, conglutinata inter ſe; tenuia admodum contracta, inflammata; ieiunum ſphacelo corruptum; pus inteſtina obducens; hepar ſanum; veſicula fellea albiſſima et prorſus vacua. Cauſſa huius febris inter bilioſam et inflammatoriam mediae ſubita effuſio bilis, ſtimulo in inteſtinis et reſorptione in maſſa ſanguinis funeſta ſymptomata excitantis: indicationes curatoriae, bilem euacuantibus antiphlogiſticis educendi: emetica nulla, ſed ſi natura vomitum moliatur, is pota aqua tepida iuuandus; venae ſectio noxia. Poſt ſuperatum ſcorbutum hydrops lethalis: ſectio plurimos ſcirrhos in abdomine et inteſtinis, praecipue in meſenterio, omentum prorſus conſumtum, hepar par-

p. 185.

p. 190

p. 192.

p. 196.

p. 197.

p. 199.

vum et vbique cum diaphragmate et peritonaeo coalitum, lienem insignis molis, pancreas autem sanum ostendit, indicio, illud non immediata cum reliquis
p. 202. glandulis circulatione (connexione) gaudere. Febris biliosoputrida, accedente in summo gradu morbi tumore ad vtramque parotidem, vesicatoriis et euacuantibus exhibitis post aliquot dies tussi cum excretione puris intra 14 dies curata: raro exemplo, quum hanc metastasin superius in genere perniciosam declarauerit Cl. Auctor. De epidemiae scorbu-
p. 210. ticae a vere vsque ad Augustum 1786. Hafn. obseruatae caussis: defectus motus corporis victusque vegetabilis, frigus diutius perdurans, habitatio in aere deprauato, tempus vernale euolutioni dispositionis scorbuticae in corporibus latitantis fauens: feminas multo rarius affici, quia vitae generi tranquilliori assuetae sint, neque igitur a motus corporei neglectu adeo lae-
p. 213. dantur. Anasarca cum diarrhoea, frustra exhibitis diureticis, oppugnatus geo vrbano diarrhoea imminuta, et dein eodem remedio cum infuso iuniperi continuato curata; secretione vrinae procul dubio
p. 214. per largiorem euacuationem aluinam turbata. Hydrops, acutus vocandus, in puero subito absque caussa praegressa enatus, potissimum scrotum occupans, cum symptomatibus febrilibus et sapore amaro: post ipecacuanham potione supra memorata cum aceto scill. et spir. salis dulcis intra 14 dies discussus, remanente dolore quodam in regione hepatis, anima
p. 215. rhei et solutione tart. tartaris. breui sublata. Rursus vtilitas emulsionis ammoniacalis in hydrope a repulsa scabie, diuresi aluoque frequenti excitatis, in vsum demum ductis puluere gei, balneo vniuersali et mix-
p. 217. tura antiscorbutica resoluente (Pharm. p. 19.). Ren vnicus maior, corporibus vertebrarum lumbarium transuersim incumbens, figurae semilunaris, parte conuexa cum vasis sursum spectante, quae cum corpore

pore renis angulos duo obtuſos formabant, ex quibus vreteres oriebantur, ad ſuperficiem anteriorem renis decurrentes et conſueta via ad veſicam deſcendentes. Abdomen viri, per aliquot menſes ſymptomata hepatis indurati perpeſſi, multum ſeri admodum ſanguinei continebat: omenti fere conſumti pars reſidua ex corpuſculis nigris oualibus conſtabat, quibus ſimilia plura in colo tranſuerſo diſperſa; glandulae meſenterii in ſimiles nodos mutata; in regione iliaca dextra ſimilis nodus nucis auellanae magnitudine, pars peritonaei ei proxima eodem colore tincta, totaque peritonaei pars dextra multis eiuſmodi corporibus referta; totum hepar duritiei lapideae, ex nodulis albis compoſitum; bilis pauca crocea; lien parvus, albidus. An materia huius morbi atrabiliaria, ex hepate oriunda? Rurſus delirium poſt ſuperatam febrim p. 220. bilioſoputridam, aceto vini potiſſimum curatum. Febris eadem a ſuppreſſione ſudoris pedum per horum immerſionem in aquam frigidam, congeſtionibus verſus caput lethalis. In alio ſimilis febris, depura- p. 221. toriae vices gerens: morbo exacte deſcripto, ſed hic non contrahendo. Scabies critica, febrem diutur- p. 224. nam primo tertianam dein quotidianam curans, ſublato ſimul ab vſu veſicatorii lateris dolore, eidem materiae tribuendo. Praegreſſa febre bilioſa continua, p. 225. cephalalgia periodica cum doloribus vagis pectoris, cortice peruuiano, ac deinde dolor ſcapulae veſicatorio ſanabatur. Febris tertiana cum ſcorbuto ſalinis ſuccoque recenti taraxaci curata, ſubſequente anaſarca, emulſione ammoniacali ſublato. Oedema poſt febrem cortice profligatam puluere contra quartanam ceſſabat, redeunte febre. Aliud exemplum p. 226. febris intermittentis pertinacis iam cum diarrhoea, iam dolore abdominis, iam pectoris alternantis, tandem tamen ſanatae. Cephalaea poſt repreſſam ſca- p. 228. biem, fruſtra exhibito ſulphure, veſicatoriis in bra-

chiis large ſuppurantibus curata. Dolores vagi per totum corpus cum gingiuis ſcorbuticis, ſcabie, et ſeri ex poris capitis deſtillatione, antiſcorbuticis et balneis ac demum infuſo ex lignis ſaſſafras et guaiaco, foliis ſennae et ſemine foeniculi et puluere ex antimonio crudo et lapidibus cancrorum, abraſo toto
p. 229. capite, curati. Dolor in regione cordis cum pulſu duro et intermittente tuſſiculaque ſicca, ſeptem venae ſectionibus, ſanguinem inflammatorium praebentibus, et mixturis camphoratis die 14. largo ſudore terminatus: Cl. Auctor morbum hunc inflammationem cordis fuiſſe ſuſpicatur. A curſu violento conſtrictio faucium cum ſuffocationis metu ſubito transiens, ſed anhelitu cum conſtrictione in ſcrobiculo cordis et hypochondriis, tuſſi facili, pulſu celeri et inaequali relictis; quinto die poſt tres venae ſectiones et puluerem refrigerantem cum moſcho anhelitus ceſſabat, ſed tuſſis vehemens quaſi conuulſiua accedebat, emulſione camphorata cum moſcho exhibita anhelitus redibat, quare loco emulſionis puluis prior alternis vicibus kerm. miner. grano vno et veſicatorium ad imam partem pectoris aliudque inter ſcapulas adhibebatur; reſidua tunc tuſſis catarrhalis cum raucedine ſputoque pituitoſo iuſculis ex farina ſecalina mixturaeque ex ſpir. ſalis dulci et aceto ſcill. brevi cedebat.
p. 234. Varia exempla hydropis a conſolidatis
p. 235. vlceribus cutaneis exorti. Apoplexia a cauſſa ignota, eamque ſequuta aphonia, immobilitas lateris dextri et per interualla accedens conuulſio ſiniſtri: vomitorio exhibito loquela, licet difficilior, et diuturno vſu liquoris neruini, pulueris ex cremore tartari et rheo mane et veſperi, et excitantium externorum
p. 236. aliqua membrorum libertas redibat. Hydrops pericardii a potu frigido aeſtuante corpore ſumto, poſt
p. 238. ſex hebdomadas lethalis. Calculi in ſubſtantia hepatis reperti. Febris intermittens a ſumma egeſtate,

poſt

poſt octo hebdomadas ceſſans, aegro poſt aliquot dies virium defectu mortuo: hepar inſignis molis, flaueſcens; copioſa aqua pericardii; cor igens et pallidum, ventriculo ſiniſtro polypum inſignem, laxum, gelatinoſum, et ſanguinem aquoſum continens. Abſceſſus lethalis ad genu poſt peruerſe tractatam febrem intermittentem: hepar ſuperficie concaua ad aliquot pollicum craſſitiem fere nigrum, et ſolito mollius; an hic ſuppurationis initia, metaſtaſi deinde ad genu facta? Glandulae meſenterii obſtructae, diarrhoeae cauſſa, quae inteſtinis variis in locis colorem liuidum induxerat, et praecipue in colo in vicinia valuulae Bauhini in ſuperficie tumorem inaequalem et colorem liuido rubeſcentem effecerat: pancreas in hoc quoque caſu ſanum. Aliud exemplum liuoris eiusmodi hinc inde in ſuperficie interna inteſtinorum in tunica vaſculoſa ſedentis, villoſa abraſa, ab accumulatione ſanguinis deriuandi (rurſus aliud inferius). Febris putrida violentior poſt rite curatam ſcabiem diuturnam, quae decreſcente febre reuertebatur. Febris tertiana ſponte in dolorem pectoris mutata, et hoc venae ſectione et camphora diſcuſſo rediens, ſudore quauis nocte terminata, qui cordici peruuiano cedebat. Menſtrua nimia a laxitate vaſorum vteri, calore aeſtiuo aucta, et decocto cort. per. cum ſpir. vitrioli cohibita, poſtea puluere eiuſdem cum nitro et rheo curationem abſoluente. Tumor metaſtaticus poſt diarrhoeam rhabarbarinis ſublatam in femore interno, cataplaſmate admoto euaneſcens, redeunte dolore pedis aphthisque accedentibus: veſicatorium in loco dolente et cortex peruuianus propter virium proſtrationem exhibitus ſanitatem reſtituebant. Abſceſſus a metaſtaſi lactis in articulatione genu emollientibus applicatis ſponte ruptus, longaque medicatione perfecte demum ſanatus. In cadauere potatoris, per tres annos hydrope, tandem

p. 240

p. 242.

p. 243.

p. 313.

p. 244.

p. 245.

p. 247.

p. 251.

p. 254.

p. 256.

potiſſimum pectore affecti, praeter vitia abdominis pulmones vbique accreti, retrorſum inflammati, et in pleura verſus ſpinam dorſi corpus oſſeum longitudine digitum et craſſitie calamum ſcriptorium aequans, coſtis non adhaerens, ſine dubio inflammationis pul-
p. 257. monum cauſſa. Declinante febre putrida tuſſis cum ſputo ſanguinis maculisque ſcorbuticis, accedente dein ſubita oppreſſione pectoris cum ſumma proſtratione virium, 3. die mors: ſerum ſaturate rubrum copioſiſſime in vtroque cauo pectoris effuſum, multo etiam ſero minus rubro in pericardio. Signa hydropis pectoris poſt proficuum diureticorum vſum euaneſcentia, ſola difficultate aliqua ſpirandi cum palpitatione cordis ſub motu corporis relicta: 16. die ingens dyſpnoea cum debilitate et pulſu vix percipiendo, altero die ſuffocatus quaſi periit aeger: ſectio inprimis hepar maximum, ſanguine fluido turgens
p. 263. et viſcera thoracis comprimens, monſtrauit. Duo exempla febris puerperalis, emeticis et linctibus oleoſis curatae, ad mentem DOVLCETI: tumor ruborque genae in vtroque magis bonum quam ma-
p. 267. lum ſignum praebuit. Inflammatio r onnumquam dyſenteriae ſe iungens, antiphlogiſtica poſtulans.
p. 270. Diſpoſitio phthiſica, nondum tamen praeſente ſuppuratione pulmonum, a ſcabie durante febre intermittente ſiccata ſuperſtes, hac floribus ſulphuris cum camphora reuocata, deinde balneo, pilulis pectoralibus (ex cicutae extracto, gummi amm. et flor. ſulph. Pharm. p. 26.) largoque veſicatorio pectori impoſito
p. 273. curata. Febris piloſoputrida, ſphacelo genae lethalis (Felicior euentus ſimilis caſus, per veſicatoria in nu-
283. cha et brachio large ſuppurantia p. 324.). Vuula raro
p. 324. naturae luſu bipartita, ſine vlla loquendi vel deglu-
p. 274. tiendi difficultate. In dyſenteria grauiſſima nouum, reliquis inſufficientibus, remedium cum fructu tentatum ex ſpir. vitrioli ʒ ß, aquae communis ʒix, muc. gummi

gummi arab. ℥ij. omni hora ad cochlearia duo exhibendum, quod morbum vicit, roborantibus denique curationem abſoluentibus. Idem remedium aqua menthae loco communis adhibita eumdem vſum praeſtitit. Sudor copioſus nocturnus poſt febrem catarrhalem cum leuamine accedens et ſubſiſtens, nec cortici, nec infuſo ſaluiae, nec diureticis cedens, ideoque perfecta ſanitate reuerſa ſoli naturae relictus. In pleuritide a praematuro veſicatoriorum vſu abſtinendum, ne ſenſu interni doloris ab externo obſcuriore reddito venae ſectiones neceſſariae negligantur. Cauterii vſus in iſchiade inueterata inter tibiam et fibulam applicati, ſemel cum fructu tentatus, alia occaſione ſucceſſu deſtitutus (Cl. PETRINI *) locum inter quartum et quintum digitum pedis praefert). Nouember 1786. ob exitialem puerperarum febrem memorabilis; ex ſeptem enim quinque, vti ſequenti menſe ex quatuor duae moriebantur: in duabus ſectioni ſubiectis cauſſa ex metaſtaſi lactis ad inteſtina patuit. Arthritidis vagae ad abdomen decubitus: omentum magnum in maſſam ex tuberculis duris conſtantem mutatum et ſiniſtrorſum cum peritonaeo coalitum; pylorus calloſus quaſi cartilagineus, nonnihil tamen adhuc peruius; glandulae meſenterii tumentes et durae; ſeri rubelli aliquid in abdomine. Scirrhus in ſuperficie concaua hepatis exulceratus accretumque ibi ventriculum perforans, poſt diriſſimos cruciatus aegrum denique conficiens. Tuſſis diuturna, obſtructio hepatis, et dolor brachii dextri cum tumore manus, ſeſe excipientes, a cauſ-

p. 286. p. 284. p. 285. 347. p. 286. p. 288. 302. p. 293. p. 295. p. 299.



*) *Neue Heilmethode des nervichten Hüftwehs, aus dem Ital. überſetzt und mit Anmerkungen und Zuſätzen verſehen von* D. C. H. SPOHR. *Lemgo* 1787. 8. *mit* 1. *Kupfer.*

p. 310. ſa ſine dubio rheumatica. Raucedo cum difficultate ſpirandi a ſcarlatina ſuperſtes: poſteriorem venaeſe-
p. 311. ctio, priorem purgantia repetita tollebant. Poſt iſchiadem 10 menſes durantem abſceſſus inter pſoam et iliacum internum, cartilagine acetabuli capitisque femoris conſumtis oſſibusque carioſis; pulmones partim pleurae accreti tuberculisque duris repleti.
p. 314. Febris putrida vehemens ab oedemate pedum topicis repulſo, camphora, moſcho, cortice impugnata, tandem ſaliuatione diu adiuta renouatoque per veſicatoria oedemate curata. Metaſtaſis febris putridae ad oculum, hypopyum minata, hirudinibus tamen ad oculum, veſicatoriis pone aures et in brachiis, et inprimis protractiore vſu cataplaſmatis cum aqua
p. 315. Goulardi diſcuſſa. Venae ſectio et reuulſio in ſcarlatina, congeſtione verſus cerebrum facta, anceps
p. 317. vel ſaltem inſufficiens curationis genus. Rurſus efficacitas ſolutionis gummi guaiaci aduerſus arthritidem vagam, duobus exemplis memorabilibus confir-
p. 320. mata. Anaſarca inter octennium ter recurrens, vltima vice accedentibus per nouem hebdomadas inſultibus epilepticis, quos diureſis auctior ſequebatur, anaſarca intra 14 dies diſparente, ſed debilitate cum tremore artuum, difficultate ſpirandi tuſſique humida relictis; vltima ſymptomata veſicatorio amplo pectori impoſito, et tremor alii in nucha internoque liqu. neruini vſui cedebant: an ſerum ſubito reſorptum, ad cerebrum neruosque delatum, conuulſionum iſtarum
p. 321. cauſſa? Metaſtaſis lactis ad femur et ſcapulam dextri lateris: in priori abſceſſus naſcebatur, qui ſponte ruptus oppreſſionem pectoris ante praeſentem tollebat, ſed dolor ſcapulae ad humerum tranſibat, veſicatorio non vincendus, ſed admoto cataplaſmate emolliente ad articulationem cubiti deſcendens, relicta immobilitate, quae tandem, incaſſum tentatis
p. 322. aliis remediis, inunctione mercurii poſt tres hebdomadas

madas tollebatur. Vir epotis quatuor vnciis ſpiritus p. 322.
nitri dolore vrente in ſcrobiculo cordis et vomitu,
hauſtoque lacte diarrhoea affectus, crebro olei oliua-
rum vſu reſtitutus. Reiectio ingeſtorum ex conſue- p. 323.
tudine deliberatoque conſilio, ructu magis quam vo-
mitu praeſtita. Scabie poſt febrem tertianam, antea p. 325.
non praeſente nec contagio tribuenda, linimento mer-
curiali ſiccari incipiente febris rediit, poſtmodum cor-
tice largius exhibito fugata. Febris tertiana cum ſym- p. 326.
ptomatibus ſcorbuti alternans, alia cum obſtructione
hepatis, alia cum dolore fixo arthritico hypochondrii
ſiniſtri coniuncta. Habitualis alui tarditas, variorum p. 329.
ſymptomatum, partim ob inductam a reſorptione ca-
cochymiam, partim ob congeſtionem verſus caput,
cauſſa, quae illa ſublata ceſſabant. Aphonia cum p. 330.
paralyſi lateris dextri, vertiginem ſequens, fruſtra
adhibitis ſanguinis miſſionibus, hirudinibus ad tem-
pora, ſinapiſmis, vomitorio, breui ope cremoris tar-
tari et rhei ſublata. Vomitus diuturnus a calloſitate p. 331.
ventriculi. Rurſus exemplum defectus ſudoris in pa- p. 336.
roxyſmis febris intermittentis, hydropem producen-
tis. Ptyaliſmus arthriticus ſiue rheumaticus, cum p. 341.
doloribus artuum alternans, potiſſimum antarthriti-
cis, inter quae ſolutio gummi guaiaci eminet, cu-
randus. Dolores per annum durantes, a puerperio
reſidui, doloribus ad partum ſimiles, poſt alui iuſto
tardioris depoſitionem orientes, cum ponderis in pel-
vi, non tamen vſque in vaginam deſcendentis, ſen-
ſu, procul dubio a ligamentis vteri relaxatis, aluo
libera ſeruata euaneſcentes. Omentum magnum in p. 345.
hydropica ope productionis ligamentoſae cum ſuper-
ficie poſteriori vteri arcte connexum; lobus dexter
hepatis maximam partem ſuppuratione conſumtus
cuius tamen ſignum alias conſuetum, horripilatio,
numquam in vita obſeruatum fuerat. Dolor lanci- p. 350.
nans

nans in abdomine, periodis irregularibus recurrens, abdomine non duro, verum tactus impatiente, aluo naturali, a corpore per pluuiam multum irrigato ortus, ſolo liquore neruino ad gt. xx. omni bihorio
p. 351. ſumto intra ſex hebdomadas ſublatus. Vomitus hyſtericus fruſtra adhibitis aliis remediis aſſa foetida ſanatus, ſuccedente febre tertiana digeſtiuis et corti-
p. 354. ce victa, nec vomitu poſtea reuerſo. Suppuratio vteri inteſtinique recti lethalis a rudiore placentae extractione: idem quoque exemplum docet, febrem duplicatam ſuppurationis alicubi in corpore ſuſpicionem mouere. Paraphrenitis nocte poſt 12. diem accedente apoplexia lethalis, licet breui ante mortem
p. 356. ſanguine ad integram libram miſſo. Iterum de vtilitate vomitoriorum in febribus bilioſoputridis, morbo etiam diutius durante. In aegro hac febre affecto die 12. gangraena praeputii, et hac largo corticis vſu diſcuſſa tumor parotidis acceſſit, veſicatoriis in bra-
p. 357. chiis ſublatus. Poſt febrem intermittentem cortice praepoſtere ſuppreſſam dolor et immobilitas omnium fere articulationum, longo ſudore excitato iterum
p. 361. diſcuſſa. Diarrhoea habitualis, accedente demum oedemate pedum facie cachectica cum intercurrente cephalalgia auriumque tinnitu; puluere gei vrbani et veſicatorio in nucha aeger reſtituebatur: exemplum diarrhoeae vaſorum lymphaticorum actionem tur-
p. 362. bantis, licet modo non explicando. Debilitas nervoſa cum paralyſi extremorum et habitu ſcorbutico iuncta liquore neruino antiſcorbuticis ſociato ac de-
p. 363. inde cucurbitis ſiccis et balneo vaporis curata. Morbus catalepticus poſt vehementem odontalgiam ſponte diſparentem, maxillis, ſpina dorſi et extremitatibus inferioribus perpetuo contractis, ſpaſmo in omnibus membris intercurrente, aluo tarda; opium doſi ſenſim aucta, ita vt tandem intra 24 horas xxxvj ſumerentur, et clyſteres oleoſi morbum ſenſim mitigabant.

gabant, qui die 21. ſubito prorſus ceſſabat. Alius morbus ſpaſticus, ſcelotyrbe SAUV. vel choreae S. Viti SYD. ſimilis, remediis neruinis obſurdeſcens, denique balneo frigido vniuerſali alternis diebus adhibito, et mixtura ex decocti cort. quer. ℥viij et liqu. nervini ʒij ad duo cochlearia quouis bihorio propinata ſanatus. Dolor in ſcrobiculo cordis, ab exhibito vomitorio auctus, vt inflammatio tractandus. Symptomata bilioſa in febre bilioſoputrida vomitu ſpontaneo poſt liqu. neruini vſum ſedato, exanthemate vrticato, ictero, ſingultu, ſtranguria cet. ſe manifeſtantia, ſenſim tamen diſſipata. In alia aegra eadem febris abſceſſu lumborum terminata, quo coaleſcente inflammati pectoris ſigna apparebant, lente demum efflorescente ſcabie diſcuſſa. Abſceſſus inteſtinalis, ſanguine demum a reſorpto probabiliter pure ita reſoluto, vt per os naresque effluueret, accedente apoplexia lethali. Sanguinis congrumati per os et alvum reiectio poſt dolores in medio abdomine cum pulſu debili et infirmitate ſenſuum coniuncta, aegro tantum inſignem nauſeam vomitum praecedentem queſto, mixtura acida (ex aqu. menth. ſpir. vitriol. et ſyr. rub. id. Pharm. p. 18.) et clyſmate ſuppreſſa, poſt ſeptem dies dolore cum oedemate pedum recurrente, liquore neruino et pilulis reſoluentibus curata: cauſſa procul dubio in obſtructione lienis ponenda. Femina ex vehementiori febre putrida conualeſcere viſa, oedemate pedum affecta, quo ſponte diſparente proſtratio virium cum dolore omnium membrorum pulſuque febrili accedebant; his ſymptomatibus deuictis diuretica aduerſus oedema propinabantur, ſed breui poſt apoplexia a metaſtaſi ad cerebrum vitam finiebat. Inſolitus febris putridae decurſus: octauo circiter die delirium, altero die furioſum, poſtea ſomnus profundus quinque dies perdurans, aegro expergefacto ſiniſtrum oculum

p. 366.

p. 369. 406.

p. 370.

p. 371.

p. 375.

p. 377.

p. 378.

p. 382.

per-

perpetuo claudente, nocte 16. poſt horrorem inſignem tumor parotidis ſiniſtrae, poſt octo dies tuſſis, tandem expectoratione finita; ſub ſingula morbi
p. 384. mutatione priori prorſus euaneſcente. Dubia contra applicationem emollientium in metaſtaſi ad paro-
p. 387. tides. Mors in eadem febre ob nimiam humorum
p. 389 reſolutionem putridam. Facilis metaſtaſis materiae ſcarlatinoſae ad partes internas; apoplexia lethalis ex eadem cauſſa. Dolor hypochondrii ſiniſtri, affectus pectoris, tumor elaſticus abdominis, ſibi inuicem remediis conuenientibus in vſum ductis ſuccedentes,
p. 390. ſcabie critica demum ſanitatem reddente. Febris quotidiana in oppreſſionem pectoris cum tuſſi et expectoratione pituitoſoſanguinea ſine dolore tranſiens, tandem lethalem: in viſceribus abdominis et pectoris nullum inflammationis veſtigium, ſed illa pure inter ſe conglutinata, cauitates thoracis et pericardii ſero flaueſcente repletae; an a defectu ſudo-
p. 401. ris in febre praegreſſa? Poſt vomitum diuturnum ab aſſumto emetico fortiore ventriculus vſque infra vmbilicum et verſus regionem iliacam dextram expanſus, partim aerem, partem inſignem copiam liquidi obſcure fuſci acidum redolentis continens, extremitate dextra palmae latitudine contracta et calloſa, apertura arcta, ſuperficie interna multis glandulis tu-
p. 403. midis obſeſſa; inteſtina maxime contracta. In femina poſt crebro redeuntes dolores in epigaſtrio ad hypochondrium ſiniſtrum ſe expandentes, cum vomitu, ſingultu, obſtructione alui, tandem defectu virium mortua, ventriculus ad capacitatem inteſtini tenuis contractus, calloſus, pancreas induratum,
p. 408. parca ſeri in abdomine copia, reliqua ſana. Peruerſa metaſtaſis febris bilioſae ad pectus, accedente fe-
p. 412. bre quotidiana feliciter ſublata. Monitum de non repellendo ex mammis lacte, ſi febris qualiſcumque
p. 413. adfuerit. Paralyſis et debilitas a lapſu ab alto in caput,

put, cum dolore clauicularum et occipitis et vertigine, hirudinibus ad tempora, antarthriticis, liqu. neruino, eccoproticis, et veſicatoriis in brachiis et ſuris curata. Raucedinem non ſemper certiſſimum ſignum phthiſeos incurabilis eſſe, exemplo docetur. p. 425.
Hydrops pectoris lethalis a debilitato per moerorem corpore, materiae arthriticae ad extremitates deferendae impari. p. 426.
In cadauere feminae macie a diarhoea chronica confectae omentum magnum, meſenterium et meſocolon maxime obeſa, colon deſcendens membrana pingui inuolutum, S romanum in peluim deorſum trahens, hepar maximum et duriſſimum, veſicula fellea collapſa et vacua, membranae ſimilis. p. 428.
De genio febris bilioſae inde ab Auguſto 1787. vſque ad finem huius anni, quo diarium hoc finitur, epidemicae, quam ab coniunctam bilis per os alvumque euacuationem febrem cholericam dicit Cl. Auctor, copioſe et egregie diſſerit. p. 436.
Hemicraniam prae aliis doloribus topicis, euacuantibus et deriuantibus reſiſtentem, venereae cauſſae ſuſpicionem excitare. p. 443.
Poſt vomitum cruentum remanens continua ingeſtorum reiectio cum dolore in hypochondrio ſiniſtro, tandem emaciatio corporis et die ante mortem iterum vomitus cruentus: lien capitis infantilis magnitudine, in ſuperficie externa inflammatus, cum hepate per ligamentum cartilagineum concretus, abſceſſum ichore nigricante foetido plenum continens, in quo corpus oſſeum rotundum nucis myriſticae magnitudine haerebat. p. 446.
Tumor in hypochondrio ſiniſtro, ſenſim ad molem pugno maiorem increſcens, indolens, paruo interſtitio ab hepate et liene diſtans, baſi magna dura verſus ſcrobiculum cordis extenſa, praeſentibus ſimul frequentibus doloribus in medio abdomine, aluo tarda, defectu appetitus, macie corporis, tumoribus inſignibus haemorrhoidalibus: aperto abdomine ſeri ſanguinolenti nonnihil effluxit; p. 447.

hepar

hepar magnum nigricans, tumores albos ſteatomatoſos continens: praecipua vero mali ſedes pancreas, capite infantili maius, ſub coſtis ſpuriis lateris ſiniſtri prominens, ex glandulis tumidis hinc inde ſuppurantibus conſtans, interpoſito cruore nigro putreſcente.

Finem facit index morbis et extiſpiciis accommodatiſſimus.

III.

Lettere fiſico-meteorologiche de' celeberrimi Fiſici, SENEBIER, DE SAUSSURE, e TOALDO, con le riſpoſte di ANTON-MARIA VASSALLI, Profeſſore di Filoſofia nel reale Collegio di Tortona, membro delle reali Accademie della Scienze di Siena, e di Foſſano, della r. ſocietà agraria di Torino, e corriſpondente della r. Accademia delle Scienze. Torino, 1789. Nella ſtamperia reale. 8. pagg. 223.

i. e.

Epiſtolae phyſico-meteorologicae celeberrimorum phyſicorum, SENEBIERII, SAUSSURII et TOALDI, vna cum reſponſionibus AMTONII MARIAE VASSALLI.

Dicatus eſt liber clariſſimo IO. SENEBIER, cuius doctrinae et humanitati plurima ſe debere editor fatetur.

Euulgauerat anno 1787 clar. VASSALLVS, BECCARIAE diſcipulus, laborum ſuorum primitias, *diſſertationem de bolidibus* italice ſcriptam, in qua *bolides meteora eſſe electrica* demonſtrare conatus eſt. Miſit hanc diſſertationem clariſſimis viris, SENEBIERIO, SAVS-

SAVSSVRIO, TOALDO, qui quae illa perlecta ad auctorem reſcripſerunt, hoc libello, cuius recenſionem ſumus daturi, vna cum auctoris reſponſionibus continentur.

Primo loco (pagg. 6 — 13.) prodit *epiſtola I.* SENEBIÆRII gallice ſcripta, adiuncta italica verſione. Excipit eam *reſponſio* VASSALLI (pagg. 14 – 67.) Varias SENEBIER VASSALLO quaeſtiones contra ipſius de bolidum natura theoriam proponit, quas VASSALLVS ſua in reſponſione ſoluere conatur. *Prima* haec eſt: *Si bolides corpora ſunt ardentia, eſſne aëriis in atmoſphaerae regionibus, vbi ardent (quas perquam altas nonnunquam eſſe, inde intelligas, quod bolides interdum in locis maxime diſſitis ſimul conſpiciuntur), tanta puritate tantaque copia, vt combuſtio tam viua poſſit produci? Id certe demonſtratum eſt, aërem in altorum montium cacuminibus perquam rarum fieri, adeoque apparatum igni alendo in certa altitudine aptum, ſi in loca altiora feratur, hac proprietate orbari. Adde quod aëris bonitas in locis altis decreſcere videtur.* Hic VASSALLVS monet, diſtinguendam eſſe vulgarem combuſtionem a principii ignei ſolius euolutione; illam in aëre admodum raro fieri non poſſe, hanc etiam in vacuo Boyleano accidere, id quod experimenta electrica in vacuo inſtituta ſatis clare manifeſtent. Ex ipſa igitur altitudine bolidum recte concludere ſibi videtur, horum phaenomenorum naturam vere electricam eſſe. Obiter de fluido electrico agitur: arbitratur VASSALLVS, fluidum electricum, lucem, ignem, aërem purum vnius eſſe eiusdemque principii varias modificationes.

*Altera* huc redit: *Cum fluidum electricum in vacuo diffluat ac quaquauerſus diſſipetur, parum intelli-*

*gas, qui fieri poſſit, vt in tanta atmoſphaerae altitudine, vbi aër rariſſimus eſt, fluidum electricum in globorum denſitatem cogatur. Nec magis capias, quaenam materia ſic comparata ſit, vt tanta copia fluidi electrici repleri queat.* Ad haec VASSALLVS reſpondet, magnam eſſe aëris alti, vtpote admodum ſicci, fluidum electricum cohibendi poteſtatem, formamque bolidum forſitan non vere globoſam eſſe, ſed tantum errore optico videri. Quod materiam attinet, eam vapores eſſe e telluris ſuperficie eleuatos arbitratur. Obiter varias phyſicorum de natura et origine bolidum hypotheſes recenſet.

*Tertia* ac *quarta* ſtrepitum, qui tum audiri ſolet, cum bolides per aërem feruntur, nubesque tempeſtuoſas eodem tempore nonnunquam exorientes ſpectant, quorum phaenomenorum rationem VASSALLVS in ſua reſponſione ex electricitatis doctrina repetere conatur.

*Quinta, ſexta* et *ſeptima* aurorae borealis naturam et originem ſpectant, cuius phaenomeni rationem SENEBIER non ab electricitate, ſed cum MAIRANO ab atmoſphaera ſolis in telluris atmoſphaeram intrante repetendam cenſet. Contra ea VASSALLVS docet, auroras boreales vere originis electricae eſſe, obiectionesque a SENEBIERIO motas diluit. Obiter variae SWINDENII propoſitiones confutantur. MAIRANI denique hypotheſis pluribus argumentis oppugnatur.

*Octaua* eaque vltima quaeſtio tardum et rectum bolidum iter ſpectat, vnde SENEBIERIO ſequi videtur, bolidum originem non poſſe eſſe electricam, cum fulminis via celerrima neque recta ſit, ſed varie

inſle-

inflexa. Etiam huic dubitationi VASSALLVS ita occurrit, vt ipsius theoria magis confirmetur.

In fine epistolae SENEBIERIVS se ignorare fatetur, quaenam de bolidum natura et origine theoria amplectenda sit.

Sequitur *epistola II.* SENEBIERII (pagg. 68 — 81.) gallice scripta, addita italica versione, vna cum VASSALLI *responsione* (pagg. 82 — 167.). Spectat haec epistola responsionem VASSALLI ad epistolam primam. Non negat s., ignem electricum etiam in aëre admodum raro lucere posse. Sed iterum vrget difficultatem ex huius fluidi in globorum formam permanentem coalitu oriundam. Contendit, in altis atmosphaerae regionibus parum fluidi electrici inesse posse, cum exigua vaporum quantitas illuc eleuetur. De vaporibus, quomodoque cum electricitate cohaereant. Alia dubia contra indolem originemque bolidum electricam. — Has dubitationes v. in sua responsione remouere conatur. Agitur hic de causa electricitatis physica (vbi de Euleriana hypothesi), inquiriturque, an electricitas sit vera conbustio: de electricitatis in vacuo perfecto phaenomenis: de aëris, per quem ignis electricus traiicitur, mutatione: de fluidi electrici in globosam formam coagulatione: de effectuum bolidum cum fulminum effectibus conuenientia: de aëris fluidum electricum cohibendi potestate, deque aëris sicci electrisatione: de vaporibus eorumque genesi et in electricitatem atmosphaerae influxu: de vi fluidi electrici corpora tum solida tum fluida aliorsum propellendi: de fulminibus coelo sereno exorientibus: de luce bolidum comparata cum lumine electrico: de aurora boreali: de aëre vitri vices in experimento Lugdunensi geren-

te: de electricitatis influxu in tria regna naturae, maxime in animalia et vegetabilia (vbi INGENHOVSSII obiectiones suis v. experimentis innitens refutat): de germinatione et vegetatione plantarum, etc.

Iam sequitur *epistola III.* SENEBIERII (pagg. 168 — 173.) pariter gallice scripta, adiuncta versione italica, vna cum *responsione* VASSALLI (pagg. 174 — 190.). Tertiam hanc epistolam genuit liber VASSALLI de viribus fluidi electrici in plantarum vegetationem promouendam. Itaque agitur in hac epistola de electricitatis influxu in vegetationem plantarum, quem magnum esse SENEBIERIVS non dubitat. Credit tamen, transpirationem plantarum maxime ab influxu lucis pendere, cum noctu fere nulla, interdiu amplissima sit, etsi electricitas atmosphaerica non minus potens noctu, quam interdiu, reperiatur. Arbitratur, nostram electricitatis doctrinam adhuc admodum mancam esse, tantumque fragmentis laceris maleque cohaerentibus constare, atque viam monstrat, qua ad accuratiorem huius fluidi cognitionem peruenire possit. — Ad haec v. singulatim respondet. Demonstrat, transpirationem vegetabilium per electricitatem crescere, obiectionesque huic assertioni oppositas remouet. Non tamen contendit, electricitatem naturalem vnicam esse causam transpirationis plantarum, aliquamque etiam luci vim in vegetabilium oeconomiam attribuit. De theoria electricitatis stabilienda. De fluidi electrici natura, variisque variorum auctorum super ea hypothesibus. Obiter de lithanthracum vsu. Accedunt nonnulla de bolidibus.

Haec excipit *epistola* SAVSSVRII (pagg. 191 — 195.) gallice scripta, adiuncta italica versione, quam sequi-

ſequitur *reſponſio* VASSALLI (pagg. 196 — 203.) Fatetur SAVSSVRIVS, VASSALLVM theoriam de bolidibus certiſſimam clariſſimamque tradidiſſe. Credit adeo, maxima ex parte hoc phaenomenon a fluido electrico repetendum eſſe: cenſet tamen, naturae originisque bolidum non poſſe dari explicationem, quae prorſus ſatisfaciat, niſi praeter electricitatem aliud principium nobis adhuc incognitum in ſubſidium vocetur. Idemque de ſtellis cadentibus valere arbitratur, quas a ſola deriuare electricitate non audet. — VASSALLVS ſua in reſponſione aliud praeter electricitaten principium aſſumendum eſſe negat, cum omnes fluidi electrici vires nondum cognitas habeamus. Obiter VASSALLI de origine fluidi electrici hypotheſis exponitur. De ſtellis cadentibus: eas v. a fluido electrico vaporibusque repetit proque bolidum ſpecie habet.

Vltimo loco prodit *epiſtola* TOALDI (pagg. 204–207.) italice ſcripta, cum *reſponſione* VASSALLI (pagg. 208 — 214.). Varias TOALDVS mouet contra VASSALLI de bolidibus theoriam difficultates. Ipſe haec meteora pro aëre inflammabili habet, quem ſcintilla electrica accendit: eademque ratione ſtellas cadentes, ignes fatuos etc. explicat. — VASSALLVS in ſua reſponſione tum illas difficultates remouere, tum hanc TOALDI hypotheſin confutare conatur. Ignes tamen fatuos eodem, quo ille, modo explicat.

Accedit index rerum, de quibus hoc in libro agitur (pagg. 215 — 223.)

In vniuerſum notamus, VASSALLI ad SENEBIERII, SAVSSVRII et TOALDI epiſtolas reſponſiones

ſiones ita ſane comparatas eſſe, vt ipſius ſententia in diſſertatione de bolidibus iam propoſita, bolides meteora eſſe electrica, confirmetur. Omnino hic liber perinde, ac diſſertatio de bolidibus, electricitatis, maxime meteorologicae, doctrinam haud parum illuſtrat. Nec reticendum eſt, hoc in libro paſſim noua experimenta electrica deſcribi. Optamus, vt VASSALLVS tali muneri mox admoueatur, in quo phyſicis diſquiſitionibus magis vacare ipſi liceat. An tractatus de meteorologia, quem aliquot huius libri locis promittit, iam prodierit, ignoramus: nos, vbi in manus noſtras venerit, quod vt nobis contingat, valde optamus, de eius contentis rationem reddemus.

## IV.

VICTORII PICI Phil. et Med. Doctoris, Taurinenſis, Ampliſſ. Medicorum Collegii Candidati, melethemata (*meletemata*) inauguralia. Auguſtae Taurinorum. Excudebut Ioan. Mich. Briolus, R. Sc. Ac. et Ag. Soc. Imp. et Bib. 8. Pagg. 283. Cum tabb. aen. 2. colorr. *).

et

IOSEPHI ANTONII DARDANA, Phil. et Med. Doct. et Medici Noſocomii Vercellenſis, in Agaricum Campeſtrem veneno in patria infamem

Acta

*) In folio titulo praefixo leguntur haec: *In Regio Athenaeo diſputabuntur XVI. Kal. Martii MDCCLXXXVIII. hora IX. matut. facta cuilibet a ſexta argumentandi facultate.*

acta, ad amiciſſimum et amantiſſimum VICTORIVM PICVM, M. D. Auguſtae Taurinorum. Excudebat Ioan. Mich. Briolus, R. Sc. Ac. et Ag. Soc. Imp. et Bib. MDCCLXXXVIII. 8. Pagg. 32.

Dicata ſunt PICI meletemata regiae ſocietati medicae Pariſienſi, cuius etiam approbatio horum meletematum poſt dedicationem legitur.

*Primum* meletema ex phyſica p. 1 — 103. *de fungorum generatione* agit. Primo loco de ſuauitate ſtudii fungorum naturae perſcrutandae impenſi. De nomine *fungus:* noſter a φύω deducit, cum ſponte naſci ab antiquiſſimo tempore credita ſit fungorum cohors. Poëtarum Graecorum, Plinii, Athenaei, Dioſcoridis, Theophraſti de fungorum natura et geneſi loca. De illorum hypotheſi, qui ad minerale naturae regnum amandare fungos voluerunt. Aliae antiquiorum recentiorumque naturae ſcrutatorum de generatione fungorum opiniones. Fungorum ſemini iam ab antiquiſſimis temporibus fides aliqua data videtur, nam Athenaeus fuiſſe, qui tubera ex ſemine naſci ſibi perſuaderent, μύκητας et ὄνα ſeri ex ſemine etiam aliunde allato refert. De difficultatibus, quibus fungorum per ſemina ortus premitur. Argumenta pro fungorum per ſemina propagatione: MICHELII, GLEDITSCHII ſuper hac re obſeruationes, ab aliis deinceps botanicis confirmatae. HEDWIGII de hac hiſtoriae naturalis parte merita. Pauciora de fungis protuliſſe HEDWIGIVM, quam a tanto viro expectare licuiſſet. PALISSOTI obſeruata. De tuberum ſeminibus. Obiter de zoophytis: eorum naturam animalem iam philoſophis Indicis cognitam fuiſſe. BÜTTNERI inuenta et obſeruata, item GE-

ORGII WILKII, Angli, MÜNCHHAVSENII, WEISII, NECKERI, WILLEMETI. — Omnino hoc in meletemate perinde, vt in ſecundo ex materia medica deſumto, immenſa lectione collecta reperiuntur, quae hucusque phyſici, botanici, medici de natura, propagatione, ſalubritate aut inſalubritate obiter vel data opera ſuis in ſcriptis prodiderunt. Tanto tamen conamine parum, imo nihil lucis adfunditur tenebricoſo huic campo, ſane aliter non dilucidando, niſi inquirendi obſeruandique methodo naturae nutui melius, quam hucusque factum eſt, accommodata. HEDWIGII noſtri theoriam de fungorum generatione auctor non ſatis perſpiciens in illorum partes ſeſe conferre videtur, qui illa naturae producta e regno vegetabili in animale traducere ſatagunt: irrito ſane conatu. — Animalem naturam fungorum auctori haec videntur ſatis ſuperque demonſtrare: odor cadaueroſus, qui ab illis ſua morte defungentibus emittitur; fibrarum directio longe alia, quam quae in plantis occurrit; interna eorum ſubſtantia, inprimis in fomitem praeparati et exſiccati, ex ſubtiliſſima textura minimorum inter ſe concretorum et complicatorum canaliculorum conſtans, nec diſſimilis contextui in cartilaginibus, oſſibus, ſpongiis, coralliis variisque aliis corporibus animalibus; venenata qualitas, qua identidem ſcatent illae ipſae fungorum ſpecies, quae pro magis eſculentis vulgo habentur (id de agarico campeſtri auctor caſu quodam, qui 1787 Vercellis *) accidit, demonſtrat); principia denique e fungis per analyſin chemicam eruta, aquae magna quantitas, ſpiritus alcalinus vrinoſus, olei empyreu-

*) Fuſius de hoc caſu in DARDANAE ad PICVM epiſtola agitur.

pyreumatici insignis quantitas, illi, quod e cornu cervi elicitur, similis, sal volatilis alcalinus concretus, acidum phosphoreum.

*Alterum* meletema ex materia medica desumtum est et *de fungis* agit. Fungorum iamdudum a materiae medicae auctoribus receptam diuisionem in esculentos et pernicioſos parum firmo inniti fundamento. Variorum scriptorum de noxis fungorum loca. Fungos omni tempore aërem mephiticum exhalare. Plurimum tamen nutrientis materiae in fungis inesse, ex ipsorum principiis, praesertim ex gelatinoso, quo maxime abundant, facile posse deduci, quotidianaque experientia confirmari; adeoque esum eorum, modo iusta cautio adhibeatur, tolerari posse. Quod venenum fungorum spectet, bonitatis noxaeue eorum indicia vix posse ex analysi chemica repeti, venenumque in partibus resinosis latere. Experimenta cum agarici pudibundi veneno ab auctore instituta. De veneni fungorum natura: ab insectis progigni ZEVIANO videtur, id quod nostro multum arridet. In genus neruosum potissimum malitiam suam exserere fungos acerrimo, quo pollent, et caustico principio. Effectus huius veneni in corpore humano et bestiarum. Phaenomena in cadaueribus eorum, qui fungorum veneno interierunt. Rationes fungorum bonitatem noxamue explorandi. An possit fungorum malignitas aliarum rerum additione temperari: id a nostro negatur. Fungos ipsos esculentos aliquando vitium contrahere vel ex indole loci, vbi nascuntur, vel ex natura succi, quem combibunt, vel ex putridorum aut venenatorum vicinia. Noxios quoque nonnullos perfecte eandem habere cum esculentis faciem. Exactam ideo fungorum notitiam botanicam admodum fallax criterium esse. Varia bonitatis fungorum criteria vulgo laudata, sed non magis cer- p. 105 – 167.

ta. Maculoſam tamen fungorum faciem plerumque latentis veneni indicem eſſe. De vulgari, ſed haud raro pernicioſo, errore, fungos annulatos tuto ac ſine vllo diſcrimine comedi poſſe. In fungorum gente veneni infamia nunquam notata fuiſſe ſola tubera, immo ob oleum odoratum, quo ſcatent, fibras primarum viarum irritando et motum fluidi neruei incitando languentes et decrepitos iuuaſſe. Ex alcali volatilis inſigni, quam fouent, copia vires eorum ſtimulantes et aphrodiſiacas recte repeti. Phallorum variorum vires. De fungorum viribus medicis. De maxima fungorum in oeconomicis rebus vtilitate.

p. 169–205. Sequitur *tertium* meletema ex anatome repetitum ac *deglutitionis organa* pertractans. Cum diriſſimum atrocis fungorum veneni ſymptoma, et ferme pathognomonicum, ſtrangulationis et ſuffocationis ſenſum, a quorundam ex illis magis malignorum eſu, disphagiae ſpecies comitetur: operae pretium auctori viſum eſt, de ipſa deglutitione, primumque de organis ei inſeruientibus differere. Oris et linguae fabricam, vtpote inſtrumentorum deglutitionem inchoantium, obiter, palati vero valuulam, arcum faucium, pharyngem et gulam, praecipua huius functionis organa, accuratius deſcribit. Cumque larynx ſilentio praeteriri non poſſit, etiam de hoc paucis exponit.

p. 207–235. *Quartum* meletema argumenti phyſiologici *deglutitionem* pertractat. Obiter etiam de variis morbis nonnullorum organorum deglutitionis functioni dicatorum differitur. — Foetum amnii liquorem deglutire, noſter MONROI vſus argumentis negat.

*Quin-*

*Quintum* meletema ex theorica petitum *de ſymptomatibus., quae fungorum venenatorum eſum conſequi ſolent, agit.* Primum GALENI obſeruata. Acrimonia fungorum venenata eaque ſubtiliſſima ventriculi et inteſtinorum tunicas afficit: nonnullaeque eorum ſpecies adeo acres ſunt, vt etiam in ore, gula, et oeſophago prima veneni ſymptomata excitent. Hae partes ſenſu exquiſito praeditae ac cute deſtitutae ſi fungorum quorundam cauſtica acrimonia afficiuntur, illico liuidae fiunt, talisque aliquando vis eſt inflammationis, vt veſiculae in lingua et faucibus exſiſtant, rodique videantur, pharynx, gula, et oeſophagus, quae partes propter irritationem ac neruearum et muſcularium fibrarum contractionem muniis ſuis obeundis impares fiunt, difficilique facta deglutitionis functione et in conſenſum tractis larynge et poſteriore tracheae facie ſtrangulatus concitant. Tali irritatione violenter ſtimulatae internae oris partes, textusque et canales excretorii glandularum ſaliualium magnam ſaliuae copiam fundunt. Glutinoſi et mucoſi humoris inſignis quoque quantitas ex vicinis organis in oris cauitates depluit, cum quibus proxime communicant; quae ratio eſt, cur venenatorum quorundam fungorum eſum praeter narrata ſymptomata etiam ptyaliſmus, ſaliuae ſcilicet et muci glutinoſi regurgitatio conſequatur. Talis vero acrimoniae vis perſaepe in faucibus non ſentitur, primamque in ventriculum impreſſionem facit, vbi tantus ardoris ſenſus excitatur, vt a ventriculo in oeſophagum faucesque adſcendens ſaepius memoratum ſtrangulatoriae ſuffocationis ſenſum, dysphagiam mucique viſcidi immenſam regurgitationem ac ptyaliſmum producat. — — Omnino ita eſt fungorum venenum comparatum, vt, dum immani excitata irritatione omnia in furias ignemque ruere videntur, interdum p. 237–264.

omnis

omnis irritabilitas deſtruatur. — — In toto primarum viarum tractu malignitatem exſerere ſuam fungos venenatos, tota morbi facies inciſaque cadavera demonſtrant; omnium maxime tamen duodenum torquetur, in eoque praecipua irritationis ſedes eſt. — De cholera, vbi aliqua contra ſcholam Edinburgenſem monentur. — Epiphaenomena et Epigenomena potiora in iis, qui fungis venenatis vſi ſunt, attendenda. Pertinent huc pulſus nonnihil eleuati, duri, frequentes, contracti; vehemens aeſtus; ingens ad tactum dolor regionis epigaſtricae et vmbilicalis tumidae et renitentis; ſitis ſumma; nigredo labiorum aridorum et linguae; alui obſtructio; tormina atrociſſima; corporis iactatio; delirium; ſingultus; vomendi conatus; horrenda anxietas; pauca vrina eaque turbida; deiectiones nigrae; conuulſiones artuum; frigus extremorum; gelidi ſudores; viſus obnubilatio; vires proſtratae; ſubita ceſſatio dolorum; tumor inſignis abdominis dyspnoeam gignens; animi deliquium; mors. — Caſus memoratur, quo vsque ad recti inteſtini finem anique ſphincterem inflammatio peruenit. Ad contiguas quoque inteſtinis partes inflammatio ſerpit. — Commemoratio eorum, quae in cadaueribus fungorum veneno necatorum noſter reperit.

p. 265–283. *Sextum* idque vltimum meletema ex praxi deſumtum *de ratione medendi iis, qui a fungis veneficis male habent*, exponit. Quo celerius talibus aegrotis ſuccurritur, eo felicior et celerior curatio ſperanda eſt. Simulac intelligitur, fungorum venenum corpori illatum eſſe, ſine mora potu molli copioſo vomituque vti conuenit. In remediorum, quae vomitum mouent, delectu inſtituendo ſumme cauendum eſt, ne acria praeſcribantur; nam praeſtat mechanicis

cis auxiliis vomitum prouocare, oleosisque, multa tepida ante et post tentamen ingurgitatis, quam partes iamiam nimis irritatas nouo stimulo afficere. Illa emetica sunt seligenda, quae vomitum commode certoque cieant, nec per inferiora veneni partem detrudant, vtpote quae intestinorum tractum pessumdare posset. Vitrioli communis iusta dosis, e. g. ad drachmas duas vel scrupulos quatuor, in aqua tepida, vel mulsa, vel ea, cui insignis oxymelis scillitici quantitas addita est, soluta ceteris omnibus anteferenda est. A veneno probe sic expurgato ventriculo, blando purgante euacuanda intestina sunt, ne quid nocere possint deleteriae veneni reliquiae, quae forte iam in tubum intestinorum descenderunt. Nec ab hoc abstinendum erit, etiamsi natura iam diarrhoeam excitaverit, aut emeticum veneni partem per inferiora protruserit, quo enim diarrhoea profusior est, eo maiorem acris veneni quantitatem in intestina delapsam fuisse inde apparet, quod maxime tum tormina vrgere incipiunt. Veneno penitus electo, ipsius effectus praecauendi, si iam adsint, componendi, motusque enormes diluendo sedandoque compescendi sunt. Frustra hucusque remedium specificum adversus fungorum venenum quaesitum fuit. Praecipuum maximeque probatum auxilium ab Hippocratis aeuo ad nostra vsque tempora vomitus fuit. Ad effectus illos praecauendos aut componendos aqua sola frigida sufficit, vt quae sese cum acribus misceat, eorumque vim irritantem motusque violentos gignentem frangat. Pari successu iuscula tenuiora adhibentur. Etiam aetheris vitriolici insignis hic vsus est. Ad irritationem et inflammationem a veneno fungorum natas compescendas acida quidem summopere commendata fuerunt; sed in horum delectu summa cautione opus est, cum alia prosint, alia veneni vim intendant,

dant, tantum abeſt, vt minuant. Acidum vitrioli plurima aqua dilutum optimo cum ſucceſſu adhibitum fuiſſe, auctores tradunt; huic vero palmam liquorem mineralem anodynum H. praeripere, noſter ipſe expertus eſt. His remediis illis quoque opitulari poſſumus, in quibus veneni effectibus iam male vexatis cholera vel diarrhoea excitata fuit. Prognoſis horum morborum. Ptyalismus, vomitus aluique fluxus antea compeſcendi non ſunt, quam primae viae ab acri veneno penitus expurgatae fuerint. Tum licet doloribus et ſpaſmis occurrere. Febris ab inflammatione ortae ratio inprimis habenda eſt, quae vbi modum excedit, pulſumque intendit, atque ſanguinis vim ad caput vrget, aut tam violenter exaeſtuat, vt gangraenam cito minitans iactationibus, ſpirandi difficultate, anxietatibus aegrum male habeat, venae ſectionem videtur expoſcere, quam in hoc caſu ſumme anceps remedium eſſe auctor fatetur. Verum cum virium defectus, anxietates, mentis alienationes, pulſuum languor, faciei pallor, iactationes irrequietae, leues tendinum ſubſultus venenum in ſecundas iam penetraſſe vias declarant, tunc ad alexipharmaca et ſudores mouentia remedia confugere licet. Inter haec plurimi faciunt ſaniores theriacam vel mithridatium in vino optimae notae ſoluta, quae inſtaurandi ſimul et ſedandi vires poſſident. Speciatim vero inter ſudorifera illa adhibenda ſunt, quae potius propter liquidi ingeſti quantitatem quam ſua vi calefaciente ſudores pellere valent. Alexipharmaca tamen omnia virtute vincit cortex peruuianus, maxime eius eſſentia, ab HVXHAMO deſcripta, cum optimo vino exhibita. Vitanda ſunt reliqua opiata, ſpirituoſa, alcalina volatilia. Veneni effectibus ſuperatis, nonnunquam ſequelae morboſae iam memoratae per tempus longum interdumque per totam ad-

eo

eo vitam perdurare ſolent. Balſami peruuiani praecipueque ſyrupi ex eo compoſiti vſum, vt et diaetam lacteam diu protractam, talibus hominibus mederi, auctor obſeruauit. Oua itidem modo poſita adhucque calentia ſorbilia, vel eorum vitelli lacte aut tepida ſubacti ſumme proficui eſſe poſſunt. Cortice peruuiano ad ventriculi, inteſtinorum adeoque vniverſi ſyſtematis tonum reſtituendum nullum aliud potentius remedium eſt. Vina quoque optimum auxilium praebent, ſed cum ſummo delectu propinanda ſunt. Crurum denique dolores et crampi tibiis ſupra talum cinctis farciminibus ex ſulphure in puluerem trito, digitalium pelle in inteſtini modum conſuta obductis ſedantur.

In DARDANAE actis ad PICVM copioſe accurateque de caſu diſſeritur, cuius ſupra in hac recenſione mentionem iniecimus. Primum fungorum ſpecies deſcribuntur, quarum eſus caſum illum funeſtum peperit. Ad ſymptomata quod attinet, ea ipſa obſeruata ſunt, quae et veteres omnes et recentiores practici deſcribunt: cardialgia, ventris tormina, cholera morbus, ſitis, anxietas, ſingultus, ſtrangulationis et ſuffocationis ſenſus, lipothymia, amaurosis, coma vigil et ſomnolentum, lethargus, conuulſio, mors. Singulorum aegrotorum (nam plures venenum corripuit) fatum accurate deſcribitur. Quid extiſpicia docuerint, oſtenditur. — Ex hoc caſu ſequentia DARDANA conſectaria deducit: 1) eſculentas etiam fungorum ſpecies interdum perniciosas euadere (cuius mutationis cauſam non audet definire), adeoque fungos omnes infidum eſſe alimenti genus; 2) ſymptomata pernicioſorum fungorum duplicia eſſe: alia vocari poſſe primi contactus, vt diarrhoeam, vomitum, cardialgiam etc., eaque biduum

duum triduumue perdurare; alia esse sympathica, vt conuulsionem, coma, lethargum etc., quae prioribus non succedant, nisi noxia substantia nerueis ventriculi atque intestinorum membranis diutius insederit, atque adeo neruosum genus affecerit; 3) hinc malum vomitu tutissime curari; 4) generatim varias fungorum noxiorum species eadem producere symptomata, sique differentia aliqua contingat, hanc esse in symptomatibus secundi generis, atque ex peculiari corporum dispositione repetendam videri; 5) quoniam, qui comederunt, omnes constanter datis symptomatibus, dato tempore et ordine quaelibet fungorum species aggrediatur, venenum esse suae indolis; 6) hoc venenum vitriolico acido, non item succo limonum, corrigi; 7) num forte et primi generis symptomata statim sine emeticis (quod potissimum hernioſis et praegnantibus perutile foret) spiritu vitrioli aut aethere statim aggredienda sint, non satis patere; omninoque parum tutum videri; 8) venenum alcalinae videri indolis ob fungorum facilem degenerationem in liquamen alcalinum foetidum, fere cadaueroſum, correctionemque, quam venenum hoc patitur ab acido vitriolico; 9) venenum hoc neruos quidem afficere, sed causticum non esse; 10) ergo, quod ad veneni naturam, inutilem esse venae sectionem adeoque expungendam, nisi alia de causa requiratur? — Huic DARDANAE epistolae Cl. PICVS copioſas notas adiecit.

V

## V.

*Neue Theorie von der Entſtehung der Gänge mit Anwendung auf den Bergbau beſonders den Freybergiſchen, von* ABRAHAM GOTTLOB WERNER. *Freyberg* 1791. 8. *Vorrede* 40. *pagg.* *Text* 256 *pagg.*

i. e.

Noua theoria de origine venarum officiis et operibus metalifoſſorum in primis Freibergenſium accommodata: auctore A. G. WERNERO.

Cl. WERNERVS, qui orictognoſiam olim in ſyſtema ſeu in corpus cognitionis iuxta principia diſpoſitum redegit, quod iam fere omnes hodie ſine vlla variatione amplectuntur, egregium hunc librum de geognoſiae praecipua ſectione nuperrime in lucem edidit, qui noſtra commendatione non indiget; accuratior etenim dictorum recenſio ampliſſimum erit praeconium. Selecta naturae operum in terrae viſceribus oculorum aciem fugientium pictura, quo propius et diutius inſpiciatur, eo magis capiet et oblectabit.

In primis, quid ſint venae, ſedulo definitur ita, vt in poſterum nec ea, quae huc attinent, foſſilium cubicula ſeparare, nec diuerſa coniungere liceat. Tunc accedunt aliae definitiones in noua theoria maxime neceſſariae. *Formationes venarum* audiunt apud Auctorem, quae eandem originem in eodem aut in admodum longinquis locis ducunt, vt galenae vulgaris — ſpathi fluoris — et ponderoſi etc. venae vnius tantum formationis in quadam regione paſſim occurrentes *repoſitorium* aut *receptaculum* (Gangniederlage), vti plumbi et argenti ad Scharffenberg;

et plura huiusmodi receptacula coniunctim *metallicum diſtrictum* vt Fribergenſem conſtituunt.

p. 7. Sequens caput breuem ſiſtit enumerationem eorum, qui de terrae canalibus optime aut mediocriter vsque ad hodiernum diem ſcripſere: vnius cuiusque ſententia ſine odio vel partium ſtudio perpen-

p. 51. ditur. In tertio incipit theoriae explanatio, ac primum quomodo ſciſſurae apertae, et cum humido praecipitato ex diſſolutione, quae illic ſuperſedebat, deciduo obturatae fuerint, exponitur: tunc certa aduocuntur criteria relatiuae earum antiquitatis et variarum formationum. Qua autem ratione venae ditiores factae, cur in his vel illis regionibus plus vel minus frequentes, ſaepius autem admodum diuerſae formationis in eodem diſtrictu compareant, ac demum qua via lapides venis proprii intra fiſſuras diſpoſiti ſint, luculenter explicatur. Ex dictis elucet Cl. Auctoris theoriam ex duabus conſtare partibus, altera quae de ſciſſuris, altera quae de earum repletione agit.

Enimuero prima pars etſi minime noua, plurimis tamen nouis argumentis munita apparet. Nam vt omittamus huiusmodi ſciſſuras, in maſſa humida prorſus variae denſitatis et diuerſimode cumulata, dum exſiccabatur, neceſſarias, etiam nunc in pluuioſa hyeme et in terrae motibus accidere, metallicas venas quoad ſitum et formam cum inanibus commiſſuris perfecte congruere, ex minutiſſimis fibris vsque ad capaciores terrae canales continuam progreſſionem dari, cauernas denique criſtallis ornatas nihil aliud quam reliquas ex veteribus, quae non penitus expleri potuerunt, ſciſſuras eſſe; hoc eſt praecipui momenti, quod in plurimis fragmenta ſaxorum in tecto et in fundamento ſitorum, in nonnullis fruſtula venarum maſſae, et in aliis attritu rotundati lapides reperiantur. Quid? quod interdum petrefacta, et

quam-

quamuis rarius ſal gemmae et lithanthrax ibidem inueniuntur. Hoc idem oſtendunt venarum ex ſaxis granite, porphyreo, et baſalte, ex quibus alioquin montes ipſi conſtant, compoſitio, mutua earum ratio inter ſeſe, illarum abſciſſio, diuiſio in fibras etc., earundem habitus cum montium ſaxis, maximopere cum nonnullis ſtratis, ac denique lapidum ſitus aeque diſtans a tecto intra rimas diuerſis foſſilium ſpeciebus impletas, quod tunc magis mirandum, cum ab vtroque latere a venarum axe diuerſi lapides in eodem lamellarum ordine ſubſequuntur.

Argumenta huius capitis, et theoria iis innixa in p. 89
ſequentibus dilucidantur, vbi ſciſſurae mediae perpenduntur, quae, poſtquam priores impletae fuerant, iterum atque iterum transuerſim aut longitudinaliter erupuere, etiamque laterales, quibus potiſſimum in pendenti proprium ſaxi pondus nullibi ſuſtenti locum dedit, de quo aliqua exempla. Quae de diuerſa vnius eiusdemque venae latitudine cauſa exhibetur, etiam ingenii plena, quod non minus prae ſe fert methodus ſitum et directionem vis, quae ſaxa excidit, ſtatuendi; grauitatis ſcilicet planum in medio tecti poſitum, et cum primariae fiſſurae directionis plano perpendiculariter interſectum conſiderari poteſt.

Poſtquam vero obiectiones, quae ex arcta qua- p. 104.
rumdam venarum cum ſaxo cohaerentia, ex rariſſimis intra latiores transuerſis commiſſuris, fortaſſis etiam ex ingenti nonnullarum latitudine, quamuis integrae et ſolae vix ad tres perticas attingant, contra primam theoriae partem deſumi poſſent, Cl. Auctor refuterat, ad ſecundam demonſtrandam ſexto capite progreſſus eſt, nimirum venarum maſſam ex humido praecipitato e ſuperiore in inferiorem partem et quidem ſaepius ex chemica ſolutione delapſo extitiſſe. Ad hoc neceſſe eſt poſtulatum quoddam a geognoſia mutuari: vnaquaeque ſtrata primae-

vorum (Lager), et omnes lecti (Flötze) ſecundorum montium ſedimenta ſunt ex mechanicis, aut etiam praecipitata ex chemicis demiſſa ſolutionibus, quibuscum olim regiones, vbi inſunt, obtectae. Iisdem profecto rimae, quas montes egerunt, refertae particulis, quae fundum petebant, neceſſario aditum praebuere, ita vt re vera foſſilia, quae ſtratis et dilatatis venis communia, etiam in profundis occurrant, et viceuerſa.

Triplex tamen differentia notetur neceſſe eſt, ex eo quod ſingula praecipitata lentius in his depoſita, non ita cum mechanica ſolutione eiusque ſedimentis inquinata, ſicut criſtalliſationes admodum frequentes caeteraque oſtendunt, ac poſtremo cum aliis prius aut poſterius delapſis infra et ſupra connexa intra ſciſſuras multum temporis patentes aut nouis rimis denuo recluſas plurimas formationes praebeant, quod minime in ſtratis nec in lectis accidit. Secundum argumentum apud Auctorem a rotundatis lapidibus et petrefactis, tertium ab interna terrae canalium ſtructura, de qua iam antea, petitum eſt. Hoc tamen animaduertendum, quod venarum lamellae ſiue plana iacenti aut pendenti propiora ſuperne exilia, in maiori altitudine latiora, ac demum inferne in vnum coeant; haec itidem primum, tunc interiora nonnullis cauernis inanibus reliquis ſubſederint.

p. 114. Septimo capite Cl. Auctor ſe prorſus ignorare, vnde ſolutiones aquoſae innumeras ſubſtantias ad diuerſas venarum maſſas conſtituendas, et qua ratione ſuſceperint, fatetur libenter, quod nihil refert, dummodo factum, quaeque inde ſequuntur, rite cognoſcamus; quamobrem cuncta ſummatim denuo commemorantur: nec mirum; aliquot abhinc annis non ita neceſſe futurum. Veroſimilius etiam non omnes partes ab initio, ſed diuerſa aetate alias atque alias in medio ſoluenti contentas fuiſſe.

Hiſce

Hiſce ſuppoſitis argumenta contra rimarum expletionem plane reiiciuntur: alii opponent eosdem canales admodum diuerſos lapides et mineras includere; alii obiicient, in aliquibus fruſtula ex circumambiente ſaxo offendi, quippe quae in apertis fiſſuris nullibi ſuſtineri potuerint; aut fortaſſis phaenomenum hoc pro conuerſione ſaxorum in venarum foſſilia pugnare credent. Probabiliorem interea pro transmutatione ſpeciem referent, qui fatiſcentiam ſaxi in iacenti aut in pendenti plurimorum canalium praeſertim aeratis, ſulphureis aut arſenicalibus mineris grauidorum vrgebunt, aut illius impraegnationem cum metallis, quae tamen raro vltra aliquot pollices intra parietes permeare videntur. Mirus demum profertur caſus et quidem vnicus ſui generis ad Peak in Darbienſi comitatu obſeruatus, vbi quatuor calcarei denſi lecti cum tribus alteris amygdalitis alternatim iacent; nunc vero omnes metallicae venae illos, nulla vero hos perreptat. Sed hoc ab aliis teſtibus ocularibus aperte negatur; tantum abeſt, vt extra dubium poſitum ſit. Quodſi verum fuerit, iam Noſter tentauit explicationem.

Habita demum ratio pauciſſimarum, hucusque de cubiculis foſſilium ſingularibus rite inſtitutarum, obſeruationum etiam eos, qui de identitate materiae aut ſtrata et venas extenſas aut profundas conſtituentis, et ideo de noua theoria dubitent, inducere debet in ſententiam Auctoris, et in ſpem, fore, vt procedente tempore geognoſtae praecipuarum venarum formationibus quoad maximam partem conſentaneas alteras tunc in lectis tunc in ſtratis aſſignent, praeterquam quod iam nunc ſint plura exempla notata. Inter alia producitur *ferri ochracei bruni et ſpathiformis cum ponderoſo vitriolico formatio, quae plurimas venas profundas alibi, ad Kamsdorff autem, Schmalkalden, Eiſenärtz* et *Hüttenberg et dilatatas venas*

*impleuit, et cunctam montium maſſam effecit.* Nonne vero ad Hüttenberg Carinthiae (bona venia Auctoris) quaeram, facile obtinenda, cum minime velit nos in magiſtri verba iurare) peculiaris quaedam formatio erit, cum ex magna parte ſilicis calcedonii vulgaris quandoque in argillam opalum vilem transeuntis, ex plurimo magneſio ochraceo nigro, ex pauco calcareo lamelloſo ſpatho, et ponderoſo vitriolico teſtaceo conſtet, quae quidem cum ſtratis calcarei lamelloſi granularis albi flaueſcentis plurima argilla mica intermixta inuicem poſita ſunt? Sed Cl. Auctoris doctrina non huic tantum exemplo dubio innititur.

Obiectiones infirmatas ſequitur nouus prorſus diſpectus non tantum canalium antiquitatis cum montium maſſa comparatae (venae cumulatae plerumque paulo poſt montes conditos extiterunt), ſed etiam, quod quidem perutile, relatiuae ſingulorum lapidum, qui rimas adimplent, vetuſtatis, ac praecipue metallorum inter ſeſe. Principia ad hoc ſtabiliendum deprompta certa ſunt. Nemini enim dubitare licet, quin lapides, minerae et caetera, quae ſtrata aut lectos occupant, parem cum montium maſſa antiquitatem, quaecunque autem in eodem aut in altero monte vti venae profundae occurrunt, recentiorem praebeant formationem. Nunc igitur Cl. Auctor omnes foſſilium claſſes ita celeriter contemplatur, vt, quaecumque excerpere velimus, non niſi manca forent: pauca tantum de Hydrargyro repetamus. *Metallum hoc non modo in primi aeui montibus, minime in vetuſtiſſimis, ſed etiam in ſecundariis reperitur*, de quo vltimo nullum adhibet exemplum, vt opinamur, ne in re, quam non ipſe vidit, offenderet.

Huc ergo afferre liceat celeberrimam Idriae fodinam a Hacquetio fuſe deſcriptam. Geognoſtes hic dubius, vtrum vena profunda an cumulata ſit:

ſemper

ſemper vtroque nomine vtitur. Non inficiamur non multum a vero aberrare, cum (Orictol. Carniolica II vol. pag. 43.) *ſchiſtoſam venam ſupra calcareum montem incumbere, ac minime in profundum peruagari* arbitratur. Sed nullam profecto mentionem facit de argilla vulgari ſchiſtoſa *) (Schieferthon), quae cum calcareo denſo vulgari lecti maſſam conſtituit, nec de calcareo ſuillo, qui cum denſo vulgari aut griſeo fumoſo, aut nigro caneſcente viciſſim collocatus vbique in vicinia occurrit. Hoc tantum pro noſtra ſententia, quod inter Hydrargyri mineras quasdam pag. 111. deſcribit in hemisphaeriis neritae aut patellae formam referentibus; credo etiam cum Cl. KARSTEN, mineram hanc, quae corallorum nomine (Korallenertz) inſignitur, verum petrefactum eſſe. Digreſſio haec nouitati rei ignoſcenda.

Quod ad vnius eiusdemque minerae aut metalli formationes ſpectat, quatuor de auro natiuo diuerſae producuntur: argentum mineraliſatum corneum nouiſſimum videtur; reliquae argenti minerae in decimum caput aſſeruantur. De galena vltra viginti formationes notae, vt galena vulgaris cum cupro mineraliſato pyritaceo et auro natiuo in ſilice quarzo apud Müerwinkel in Salzburgenſi Epiſcopatu in ſtrato quodam: vulgaris itidem argento diues galena cum minutis partibus dispartitis granularibus Zinci mineraliſati bruni et nonnihil cupri et ferri pyritacei in ſilice quarzo apud Hommersdorff in Geyer in ſtrato argillae ſchiſtoſae in chloritem ſchiſtoſam transeuntis



*) Argillam hanc a ſchiſtoſa (Tonſchiefer) rite diſtinguere oportet: haec vbicunque nitens, illa tantum in aliquibus punctis, haec minime linguae adhaeret, illa vero aliquantum, haec antiquae, illa prorſus nouae formationis etc.

euntis et ſic ceterae. Sin plures adhibentur, hoc quidem ex naturae copia, minime ex Auctoris inſcitia, fortaſſis tantum ex retentione quadam animi, in ignaris maximopere, non ita vero in doctiſſimo quoque deſideranda, cum ſaepenumero impediat, quominus vltra progrediamur.

Liceat igitur nobis miram formationem ad Prabel Carinthiae huc adducere, ex galena vulgari et intermedia, vt videtur, minera intra Zincum mineraliſatum blendam, et ochraceum calaminam conſtantem. Haec illic lapis hepaticus (Leberſtein) nuncupatur, attritu enim odorem ingratum ſpargit. Sed et obſcuro bruno caryophyllino aut hepatico, ſaepius etiam rubro hyacinthino ſtriato colore, et reniformi externa figura, et partibus dispartitis teſtaceis cubica quaſi fragmenta galenae circumagentibus, et maiori duritie et grauitate maximopere a gypſo differt. Noua minera, vt dicunt, copioſior prope ſuperficiem: montis maſſa calcarea lamelloſa, granularis, alba, caneſcens.

Ex diuerſa formationis aetate patet, cur quaedam minerae coniunctim ſeſe offerant, aliae vero nunquam, vt plurima exempla docent; cur etiam foſſilia haec in his montium ſaxis, in illis vero altera ex. gr. ſtannum ochraceum androgynum numquam in calcareo, zincum ochraceum calamina minime in ſaxo granite, gneuſo, aut ſchiſtoſo micaceo; cur denique argenti minerae perraro in granitis montibus appareant.

Interdum plurimae venae ſeſe interſecantes aderunt, quae tamen ex eadem materia conſtant, cumque eae, quae ſine disruptione per alteras transeunt, ſemper recentiores ſint, inde ſequitur primaeua ſolutione multum temporis ſuperficiem fuiſſe obtectam, adeoque non tantum primas ſciſſuras, ſed etiam, quae hoc interim ſpatio extiterunt, eadem ſolutione expletas

extra

extra primariam peculiares alias formationes ſuppeditare. In fine capitis leuiter attigit noſter mutationes, quibus nonnullae venarum iam exiſtentium partes obnoxiae, vnde fere tantum ochracea metalla perraro natiua, fortaſſis non niſi cuprum, nec vnquam verae minerae gignuntur; quod reliquum, calcareus fluor ſpathoſus plenae fatiſcentiae compos videtur: de calcareo lamelloſo ſpatho, bruneſcenti et nonnullis mineris nulla dubitandi ratio, vt ſtalactites in fodinis oſtendunt.

Nunc demum octauo capite praecedentes aut totae quantae aut ex parte erroneae de terrae canalium origine theoriae in quatuor claſſes redactae refelluntur, nimirum quae venas omnes ſimul cum globo creatas aſſerit, quae ſicut ramos ingentis cuiusdam trunci in centro poſiti et tanquam vegetationis compotes conſiderat, quae ſciſſuras initio patentes aut in diluuio illico repletas, aut ex ſuperne defluentibus aquis partes aſſumſiſſe lapideas, hasque ex vaporibus aſcendentibus metallicas arripuiſſe, aut cum praecipitato ex vndis ſatiatas, vtpote quae prius montium maſſas diſſoluerant, et poſtea per meatus quosdam illuc attulerant, tuetur, ac demum quae transmutationem montium in venarum maſſas defendit. Nolumus rationes, quibuscum hae doctrinae diruuntur, praeſertim vltima, cui non parum momenti acceſſiſſet, ſi reductio terrarum in metalla confirmata eſſet, breuiter contrahere, ne robur amittant. p. 169.

Idcirco ad nonum caput progrediamur, vbi de multiplici vſu theoriae huius in fodinis excolendis agitur. Nunc accuratius tractus illos, vbi plurimae harum formationum longe diffuſae, terminis circumſcriptae, confines; nunc vnumquodque cubiculum et opportuniorem exſtruendi viam; nunc vnius venae prae altera praeſtantiam, vt excolatur; nunc metal- p. 201.

lorum intra ſciſſuras quaſi confluxum (Ertzpuncte); nunc earum rationem inter ſeſe et cum montium ſtratis; nunc identitatem canalis cuiuslibet in dubio caſu; nunc conuenientiam veteris montium molis cum recentiori venarum maſſa, minime autem cum antiquiori dignoſcemus. Licebitne incrementum methodi et ſermonis nouum adnotare, quod practicis laboribus et theoreticae inſtitutioni huius geognoſticae in fodinas conuerſae ſectionis accedit? Si cuidam tamen in mentem veniret, in primo euentu diſſutam theoriae applicationem illico redigere, non mirum, quin ſaepius in errorem incideret: primum enim ad exactam totius diſtrictus cognitionem adhibenda, cumque accurata experientia iam omnium illic repertorum mineralium ſituum momenta et rationes innotuerint, tum demum in vnoquoque caſu magno vſui erit.

Ad illud autem ſuadet Cl. Auctor ſecundum eiusdem theoriae principia geognoſticam diſtrictus tabulam, eiusque deſcriptionem comparandas. Delineatio ex duabus conſtare deberet partibus, altera quae ſuperficiem, altera quae fodinam in eo praeſertim plano, vbi plurimum foditur, monſtraret: vtraque diuerſas montium maſſas earumque fines, peculiaria metallorum cubicula, directionem, latitudinem, immo etiam notatu digniora ſaxorum ſtrata, vti calcarei, porphyrei, argillae hornblendae ſchiſtoſae etc. pallidis pigmentis, obſcurioribus venas iuxta earundem formationes oculis ſubiicere deberet. Quod ad deſcriptionem attinet, duplex foret, vniuerſalis quae vnamquamque ſingulorum minerarum cubiculorum formationem iuxta eorum vetuſtatem et criteria generatim definiret; haec ad vniuerſam regionem quaſi vno ictu oculi diiudicandam iis, qui fodinis pxaeſunt, perutilis; ſed eius materia quoad maximam partem ex peculiaribus ſinguli cubiculi conſignationibus depromeretur: hae autem de exteris vt ſitu et

volu-

volumine et intimis venarum rationibus quoad communes aut rariores foſſilium ſpecies, et naturam locorum, vbi minerae in vnum coalitae (Erzpuncte), de conditione ſaxi in parietibus ſiti, de variatione deſcribendae venae propter aliarum interuentum agerent. Huc accedere poſſet ſeries minerarum ſecundum ſingularem ſitum ordinatim poſitarum.

Si maiores noſtri duo, quin dimidium ante ſaeculum triplicem hanc enunciationem reliquiſſent, quantum commodi nobis comparaſſent? quocum animi ardore obſcura quaedam indicia etiam ex chronicis excerpimus? quo gaudio adficimur imperfecta delineatione antiquarum fodinarum inuenta? quantum temporis et laboris conſumitur ad fruſtulum quoddam intra ruinas eruendum, quo facto noua deludimur ſpe? Sed maiores excuſandi, quorum ſilentium ignorantiae conſcientia ſaepius erat: hiſce vero temporibus nonne erit noſtrum, impedire, quominus poſteri nubem pro Iunone arripiant?

In poſtremo capite breuis applicatio venarum p. 224.
theoriae ad Fribergenſem metallicum diſtrictum fit, vbi Cl. Auctor octo praecipuas formationes inuenit, quarum maxima pars plura metalla continet: omnes iuxta vetuſtatem adducuntur. Primum igitur et antiquius, quod a primis temporibus vsque ad praeſens multum plumbi, argenti, et nonnihil cupri dedit, conſtat

ex plumbo mineraliſato galena vulgari (cuius diſpartitae partes granulares grandes et groſſae) cum tribus aut quinque argenti ſemunciis,
ex arſenico mineraliſato pyritaceo vulgari,
ex zinco mineraliſato blenda nigra partibus diſpartitis vti in galena,
ex ferro mineraliſato pyrite vulgari et hepatico, nonnunquam

ex

ex aliqua parte cupri mineraliſati pyritacei, et iamque nonnihil ferri ochracei ſpathiformis: venarum lapides ſunt praecipue ſilex quarzum, interdum
nonnihil calcarei ſpathi bruneſcentis et raro
paulisper calcarei lamelloſi ſpathi fere ſemper in criſtallis.
Ex his omnibus quarzum antiquiſſimum: galena e contra, blenda, arſenicum, ferrum, et cuprum pyritaceum vno eodemque tempore poſt quarzum orta videntur. Si quod autem quandoquidem diſcrimen adſit, blenda prior aetate et vltima galena erit: recentiora ſunt ferrum ſpathiforme et ſpathum bruneſcens, quae fere nunquam non medium venarum tenent, et vacuas cauitates relinquunt; exigua copia calcarei lamelloſi ſpathi, quippe quod nouiſſimum, ſemper in criſtallis ſupra reliqua collocata.

Praeter quinque commemorata, quae praecipuam harum venarum maſſam conficiunt, non raro quidpiam recentioris cupri pyritacei et galenae vulgaris ſaepius cum pauco quarzo criſtalliſatum ſupra ſpathum bruneſcens ſeſe conſpectui offert; ſed tria haec foſſilia pari ratione ſub calcareo ſpatho iacent, ideoque recentiora illis. Quae huc referuntur venae, ſaepe ad ſeptentrionem pertinent; non procul ab vrbe verſus ortum et meridiem effodiuntur; a ſex pollicibus vsque ad duos pedes latae; numerus earum minime exiguus. Extra Fribergenſem diſtrictum etiam duo exilia huius formationis repoſitoria alterum apud Munzig, alterum ad Grunde, primum in argilla ſchiſtoſa, ſecundum in ſaxo porphyreo: formatio igitur hisce montium ſaxis poſterior.

Aeque

Aeque diligenter ceterae enarrantur; ſed ego tantum animaduertam ſecundum argenti repoſitorium prae ceteris omnibus Fribergenſibus ditiſſimum ex galena partibus diſpartitis granularibus groſſis et minusculis, tertium ex galena ſaepius partibus diſpartitis teſtaceis fere vnciam argenti continente, quartum itidem ex galena lamellis floriformiter curuatis, quae ex vna vsque ad tres vnciae quadrantes tantum porrigit, conſtare. Quam mirus hic ordo in venarum natura! Vltimum etiam ad Peak in Darbienſi comitatu in calcarei denſi vulgaris montibus et apud Gislof in Scania Sueciae prouincia occurrit. Quinta formatio argenti natiui, et argenti aeque ac cobalti mineraliſati nitidi: ſexta demum arſenici natiui et argenti mineraliſati rubri receptaculum eſt: poſtremum etiam prope Ioachimsthal in Bohemia inuenitur. Hucusque de argenti formationibus; ceterae leuiſſimi momenti, vti ſeptima ferri ochracei rubri et octaua cupri. Denique aliorum in externo Fribergenſis iudicii metallarii territorio receptaculorum maxime notandorum mentio fit. Praecipue eminet Scharffenbergenſe argento diuitis galenae, cupri mineraliſati chalybei et zinci mineraliſati blendae flauae, cuius ſimile apud Kapnik in Tranſylvania extat.

En exemplar quoddam omnium huius generis disquiſitionum alibi inſtituendarum! Generatim aliae theoriae poſt aliqua phaenomena explicata nihil amplius, nihil quod agamus aut cogitemus, relinquere videntur: contra vero haec dum plurimas globi viciſſitudines maximopere dilucidat, iis, qui Auctoris veſtigia prement, campum longe patentem nouis aperit obſeruationibus et inuentis.

VI.

## VI.

Transactions of the Royal ſociety of Edinburgh. Vol. I. Edinburgh: printed for I. Dickſon, bookſeller to the Royal Society. Sold in London by T. Cadell, in the Strand. MDCC-LXXXVIII. 4. Dedicatio (regi dicatum eſt opus) et contentorum index pagg. XII. Pars I. hiſtoriam ſocietatis complectens pagg. 100. Pars II. A) Commentationes phyſicae pagg. 336. B) Commentationes literariae pagg. 209. Cum tabb. aenn.

i. e.

Acta ſocietatis regiae Edinenſis. Volumen primum.

Ex parte huius voluminis hiſtorica ſequentia videntur cum lectoribus commentariorum noſtrorum communicanda.

Hiſtor. p. 5. Edinburgi ſocietas anno 1731 fundata fuit, quae tentamina et obſeruationes ſuper variis medicinae et chirurgiae partibus a ſociis ſcripta aut cum iis communicata colligendo et euulgando ſcientiam medicam augeret. A ſecretis ei erat ALEXAND. MONRO ſenior, primus anatomiae in vniuerſitate Edinburgenſi profeſſor, fundatorque ſcholae medicae, quae nunc ſummam eſt nacta celebritatem. Eo curante huius ſocietatis transactiones variis temporibus, quinque voluminibus forma octaua, ſub titulo *medical eſſays and obſervations* etc., prodierunt. Breui poſt publicationem horum tentaminum medicorum, anno 1739, ſummus geometra MACLAVRINVS, matheſeos in vniuerſitate Edinburgenſi profeſſor, ideam concepit huius ſocietatis rationem ita mutandi, vt etiam res ad philoſophiam naturalem ac literatu-

ram

ram ſpectantes ab ea tractarentur. Placuit conſilium: auctus eſt ſociorum numerus, ſocietasque iam vocata *ſocietas artibus et ſcientiis promouendis*, aut nomine generaliori *ſocietas philoſophica Edinburgenſis*. Facti tum ſunt IACOBVS, comes Mortonenſis, praeſes, IOANNES CLERK, baro curiae theſauri, et D. IO. CLERK vicepraeſides, MACLAVRINVS et D. PLVMMER ſecretarii. Paucis annis poſtquam ſocietas ita immutata fuerat, eius conſeſſus diu interrupti ſunt, cum anno 1745 bellum ciuile in Scotia exarſiſſet: vixque quies Scotiae reddita erat, cum graviſſimum ſocietati vulnus per MACLAVRINI mortem infligeretur. Conſeſſus tamen circa annum 1752 denuo habiti ſunt, nouique ſecretarii, DAVIDES HVME et ALEX. MONRO iunior, iuſſi euulgare diſſertationes dignas a ſocietate habitas, quae in lucem publicam emitterentur. Itaque primum volumen tranſactionum ſocietatis philoſophicae Edinburgenſis, ſub titulo *Eſſays and Obſervations, Phyſical and Literary*, anno 1754, alterum 1756, tertium 1771 prodiit. Nec vero haec ſocietas communem taliuni inſtitutorum ſortem potuit effugere. Etſi enim conſeſſus non prorſus intermitterentur, videtur tamen ſociorum ardor aliquamdiu languuiſſe, donec circa annum 1777, HENRICO HOME electo praeſide, antiquus feruor conſeſſuumque frequentia redirent. Circa finem anni 1782 in conſeſſu profeſſorum vniuerſitatis Edinburgenſis, quorum plures eſſent ſocietati philoſophicae adſcripti eiusque commoda promouere ſtudioſiſſime ſatagerent, a ROBERTSONO, vniuerſitatis Edinburgenſis praefecto, propoſitum eſt conſilium nouae ſocietatis ad normam exterarum nonnullarum academiarum omnem ſcientiarum ambitum complectentium inſtituendae, idque regia auctoritate. Placuit res, precibusque vniuerſitatis ac ſocietatis philoſophicae iunctis rex annuens *ſocietatem regiam Edinburgenſem*

*genſem* charta publica anno 1783 fundauit. Ita ſocietas philoſophica priuatis ſtudiis hucusque ſuſten-
p. 7. tata in regiam tranſiit. Charta regia latine ſcripta hic legitur. Conſtat ſocietas e membris ordinariis atque honorariis: honoraria fiunt viri docti extra Magnam Britanniam et Hiberniam degentes. Duas eſt in claſſes diuiſa, phyſicam et literariam. Phyſica operam nauat diſciplinis mathematicis, philoſophiae naturali, chemiae, medicinae, hiſtoriae naturali, artibus et manufacturis: literaria literaturae, philologiae, hiſtoriae, antiquitatibus et philoſophiae ſpeculatiuae. Singulae claſſes quaternos habent praeſides binosque ſecretarios, qui muneribus ſuis per vices funguntur.

p. 16. In conſeſſu die 8 Decembris 1783 habito clar. IACOBVS RVSSELL, chirurgus, ad ſocietatem de nonnullis experimentis cum antimonio captis retulit. Conſilium ceperat methodo facili nec ſumtuoſa ſolutionem reguli antimonii ſolitam obtinendi, qua ad tartarum emeticum parandum vteretur. Igitur vt acidum muriaticum dephlogiſticatum purum obtineret, acidum muriaticum vulgare cum magneſia nigra deſtillauit, quam prius a particulis martialibus digeſtione cum acido vitriolico tumque calcinatione liberauerat. Sed vapores acidi dephlogiſticati condenſari non potuerunt, etſi retortae collum longiſſimum excipulumque aquam continens niui immerſum eſſet. Iam vaporibus huius acidi muriatici dephlogiſticati regulum antimonii in excipulo colloque retortae collocatum expoſuit. Res ex voto ſucceſſit, regulusque protinus magnaque cōpia ſolutus eſt. Cum regulus antimonii non ſine impenſis praeparetur, R. antimonium crudum tentauit, viditque, vapores muriaticos metallicam eius partem breui ſoluere, tandemque etiam ſulphur decomponere; quam illorum vim etiam tum reperit, cum flores ſulphuris

iis

iis expoſuiſſet. Arbitratur, hanc ſulphuris decompoſitionem fini huius proceſſus primario vix quidquam obeſſe, cum acidi muriatici cum antimonio affinitas longe maior quam vitriolici ſit. Itaque e retorta, in quam nonnihil magneſiae nigrae indiderat, quinque vncias acidi muriatici ſuper duabus vnciis antimonii crudi aqua humectati deſtillauit, igne ad finem ita auctо, vt catinus ad rubedinem excandeſceret. Deſtillatione finita, in excipulo reperit aliquid ſulphuris, antimonii integri aliquid, perfectamque ſolutionem antimonii ſalitam. Haec ſolutio omnes habuit butyri antimonii proprietates, eiusque praecipitatum vel aqua vel alcalibus obtentum vulgari ſimillimum fuit. Tartarus emeticus ex eo paratus optimus viſus eſt. Quantitas praecipitati e quinque acidi duabusque antimonii vnciis obtenti circiter ſemiunciam aequauit. Hoc praecipitatum nemo negabit ab omni admiſtione ſalis mercurialis liberrimum eſſe. Praeterea haec methodus tartari emetici parandi commodiſſima eſt minimorumque ſumtuum.

Die 5 Ianuarii 1784 D. ROEHVCK obſeruationes ſuper frumenti maturitate recitauit. Sequitur inde, grana etiam temperatura atmoſphaerae parum calida volumine creſcere. Igitur male agunt agricolae, qui autumno frigidiore fruges nondum maturas protinus ſecant. p. 17.

Die 2 Februarii 1784 recitata eſt a WALKERO ſcriptio comitis A DVNDONALD, complectens relationem de noua methodo ſalis marini purificandi a DVNDONALDO inuenta. Conſtat, ſali marino vulgari magnam copiam corporum peregrinorum admixtam eſſe, qui illum cibis ſeruandis admodum ineptum reddunt. Sunt haec ſales nauſeoſi, amari, cathartici, baſi terrea (magneſia ſalita et magneſia vitriolata), qui cum ſale marino proprie ſic dicto intime coniuncti ſunt. Iam ad ſalem marinum vulgarem p. 19.

purificandum admodum taedioſum ſumtuoſumque foret, eum aqua ſoluere, ſales amaros admixtos decomponere baſesque eorum terreas alcali fixo, vegetabili aut minerali, praecipitare. Adde quod haec purificatio imperfecta eſt, nam vix ac ne vix quidem fieri poteſt, vt poſt illum proceſſum ſal Glauberianus aut tartarus vitriolatus a ſale marino ſeparetur. DVNDONALDVS igitur cum obſeruaſſet, aquam calidam ſale marino ſaturatam magnam adhuc quantitatem ſalium terreſtrium amarorum ſoluere poſſe, nouam excogitauit ſalis huius purgandi rationem. Sumatur vas conicum, in minore extremitate foramine inſtructum, ſicque collocetur, vt illud foramen infra poſitum ſit. Repletum ſale communi calori modico exponatur. Iam viceſima pars ſalis in eo contenti lebeti ferreo ingeratur, iuſta aquae quantitate ſoluatur, ſic vt aqua ſale penitus ſaturetur. Tum haec ſolutio ebulliens ſali in vaſe conico adfundatur. Aqua ebulliens, ſale marino iamiam ſaturata, nihil eius amplius ſuſcipit, ſed magnam ſoluit quantitatem ſalium terreſtrium amarorum; haecque ſolutio per foramen in coni fundo paullatim, effluit. Vbi nihil amplius effluit, idem proceſſus repetendus eſt, donec ſal penitus ſit purgatus. DVNDONALDVS aſſerit, tres huiusmodi lotiones ſalem communem Scotiae quolibet peregrino puriorem reddere. Cum omnis ſal coctione paratus aliquid magneſiae liberae ſibi iunctum habeat, D. auctor eſt, vt primo lixiuio ſali adfundendo paullulum acidi muriatici addatur, quod magneſiam diſſoluat eliminetque.

p. 22. Die 12 Aprilis 1784 WALKERVS recitauit literas DVNDONALDI ſuper eodem argumento ſcriptas. Tabula hic addita docet, quantum ſalis puri quantumque magneſiae ſalitae et magneſiae vitriolatae in variis ſalis marini ſpeciebus inſit.

Die

Die 2 Auguſti 1784 ANDREAS DVNCAN M. D. p. 27.
ad ſocietatem retulit de ſingultu obſtinato, maxime acidi vitriolici vſu ſanato. Quidam annos 73 natus ſingultum vehementem experiebatur, qui plures horas ſine vlla intermiſſione duraret. Propinauit ei DVNCANVS drachmam acidi vitriolici tenuis quatuor vnciis aquae menthae iunctam, cuius menſura cochlearis quauis ſemihora ſumeretur. Prima ſtatim doſis ſingultum ſuſtulit. Circiter duodecim horis elapſis ſingultus rediit; ſed ſecundae doſi protinus ceſſit, ſic vt nunquam rediret.

Die 3 Ianuarii 1785 D. GREGORY praelegit D. p. 30.
BLANII narrationem de vehementiſſima tempeſtate (*hurricam*) die 10 Octobris 1780 in inſula Barbados graſſata. Inſerta eſt haec narratio hiſtoriae ſocietatis. Nos, miſſis ceteris, ea excerpemus, quae tem- p. 35.
peſtatis in hominum ſanitatem influxum ſane admodum notabilem ſpectant. Nullos gignebat morbos tempeſtas, adeoque contrarium effectum producere videbatur. Certe poſt eam minor aegrorum numerus fuit, quam antea fuerat; multique eorum, qui, cum ingrueret tempeſtas, aegrotabant, conualuerunt, ſi ſenes excipias decrepitos delicatosque homines, quos violentia mechanica aut aedificiorum penuria male habuit. Climatis morbi, febres fluxusque, eius beneficio ſanati ſunt. Etiam diarrhoeae chronicae, a dyſenteriis oriundae. Inprimis affectiones pulmonum efficaciſſimae ſanate ſunt. Nonnullorum phthiſes recentes adeoque ſtatus acutus pleuritidis euanuerunt. Etiam in phthiſi inueterata et inſanabili febris hectica magnam partem ſublata, ſaltemque ad aliquod tempus tanquam induciae factae ſunt. BLANIVS feminam memorat pleuritide laborantem, cum tempeſtas inciperet. Quae cum amplius decem horas aëre libero inque loco pluuia inundato transegiſſet, morbo ſuo prorſus liberata eſt.

p. 37. Die 4 Iulii 1785 D. WALKER praelegit tentamen ſuper floribus plantarum muſcoſarum. Ipſum tentamen aut eius compendium altero volumine forſitan euulgabitur.

p. 39. Die 1 Auguſti 1785 D. GREGORY recitauit commentationem a D. HOPE communicatam, in qua de morbo notabili, cum ſymptomatis anomalis coniuncto, atque lethali refertur. Cadauere diſſecto, apparuit, morbum a calculo biliario ingenti, collo veſicae felleae infixo, ortum fuiſſe.

p. 40. Die 5 Decembris 1785 GVILIELMVS SMELLIE tentamen ſuper inſtinctu praelegit, quod partem maioris operis ab eo conſcripti *) conſtituit, cuiusque haec eſt epitome. Variae theoriae ad actionum animalium ab inſtinctu oriundarum reddendam rationem inuentae ſunt, ſed nulla earum omnium omnino philoſophorum plauſum tulit. Cuius rei plures ſunt cauſſae: parum diligens conſideratio oeconomiae vniuerſalis morumque animalium; ideae peruerſae de dignitate humanae naturae; inprimis omnium naturae ſcrutatorum vanus conatus inſtinctum a ratione ita ſeiungendi, vt nihil amplius commune habeant. Clariſſ. SMELLIE conatur oſtendere, huiusmodi diſtinctionem non dari, ipſamque ratiocinandi facultatem ab inſtinctu ortum ſuum neceſſario trahere. Monet, ad tales res cum ſucceſſu inueſtigandas facta hucusque inuenta colligenda et ordinanda eſſe, conſiderandumque, num generales concluſiones

*) The philoſophy of Natural Hiſtory. By WILLIAM SMELLIE. Edinburgh. Elliot, 1790. 4. Operis huius nuper prodiit verſio germanica virorum clariſſimorum ZIMMERMANNI et LICHTENSTEINI notis et additamentis aucta. Hanc verſionem in noſtris commentariis propediem recenſebimus.

nes inde queant deriuari. Huic methodo conueni-enter exempla exhibet, *primo* inſtinctuum purorum, *ſecundo* eorum inſtinctuum, qui peculiaribus circumſtantiis ſeſe accommodare poſſunt, *tertio* eorum, qui experientia aut obſeruatione perfectiores reddi poſſunt, *quarto* denique aliquot concluſiones inde deducit. Puri inſtinctus illi dicuntur, qui, nulla praegreſſa inſtructione aut experientia, protinus certas producunt actiones, quando certa obiecta animalibus praeſentantur, aut quando ſenſus peculiares animalia afficiunt. Huc pertinent in ſpecie humana inſtinctus ſugendi, quem neonati protinus exſerunt, excrementorum excluſio, muſculorum retractio ſtimulo quouis dolorifico adplicato. Lucis amor ab infantibus exhibetur tertio iam, poſtquam nati ſunt, die. Paſſio metus iam in infante duos menſes nato detegitur. Apud animalia inferiora innumerabiles dantur puri inſtinctus. Erucae de arbore ſecundum quamuis directionem deturbatae protinus ſeſe ad truncum conuertunt, perque eum in arborem reaſcendunt. Pulli auium ſtrepitu quouis audito aut voce matris os aperiunt. Quaelibet inſectorum ſpecies oua ſua eo in loco ponit, vbi futura ſoboles optime poſſit excludi cibosque reperire. Nonnullae ſpecies animalium futurae penuriae non occurrunt; aliae, vt apis et caſtor, inſtinctu inſtructae ſunt, qui fere prouidentia quaedam videatur. Horrea exſtruunt, alimentisque adimplent. Inprimis apes varios inſtinctus perquam notabiles exſerunt. Reginam ſuam colunt nutriuntque. Ea orbatae omnes intermittunt labores, donec noua obtineatur. Cellas exſtruunt trium diuerſarum capacitatum: pro apibus laborantibus, maribus, feminisque; reginaque oua ponens quemlibet ſpeciem in cellis propriis deponit. Omnes feminas deſtruunt, excepta vna, ne alueare nimis repleatur. Varii inſtinctus apis vulgaris, apis lignum

penetrantis (apis violaceae), illiusque ſpeciei, quae e foliis roſae nidos cylindricos exſtruit (apis centuncularis) attentione ſunt digniſſimi. Nec minus ſingulares ſunt inſtinctus veſparum et ichneumonum, qui etſi erucis ipſi non veſcuntur, tamen ad ſobolem nutriendam magnam earum copiam colligunt. Aues nidos ſuos ex iisdem materiebus, eadem forma eodemque ſitu exaedificant, etſi climata diuerſiſſima inhabitant. Oua ſua inuertunt varieque ponunt, vt aequaliter calefiant. Anſeres anatesque oua ſua contegunt, donec in nidum reuertantur. Hirundo pullos ſuos cogit excrementa ſuper nidum excernere, iisque hac in re opem fert. Araneae variaque inſecta e genere ſcarabaeorum, terrore percuſſa, mortua ſe eſſe ſimulant. Id non eſt, vt nonnullis viſum fuit, conuulſio aut ſtupor, ſed artificium, terroris enim cauſa remota, protinus ad ſtatum priorem redeunt. — Inſtinctuum, qui circumſtantiis peculiaribus ſeſe poſſunt accommodare, varia exempla ſpecies humana exhibet; ſed cum hi poſſint perfectiores reddi, potius ad claſſem tertiam pertinent. Illa animalia perfectiſſima ſunt, quae plurimarum rerum habent cognitionem. Si eorum operationes forte interrumpuntur, labores ſuos poſtea reſumunt, finemque propoſitum variis modis aſſequuntur. Nonnulla animalia ſola gaudent corporis contrahendi aut extendendi poteſtate. Sed falco, canis, vulpesque praedam ſuam intelligenter ingenioſeque perſequuntur. In regione Africae Senegalenſi Struthio Camelus oua tantummodo noctu incubat, interdiuque calori ſolis ea relinquit. In promontorio bonae ſpei, vbi atmoſphaerae calor minor eſt, die ac nocte ea incubat. Cuniculi cicurati terram non effodiunt. Apes, occaſione data, cellularum ſuarum augent profunditatem, numerumque. Veſpa e nido cadauer veſpae auferens, ſi nimis ponderoſum reperitur, caput abſcindit,

ſeindit, ſicque cadauer duabus vicibus exportat. In terris, vbi ſimiae incolunt, aues, quae in aliis terris nidos in dumetis aut fiſſuris arborum exſtruunt, eos e finibus ramulorum tenuium ſuſpendunt. Conſtat, catum in conclaui inclusum obicem ianuae pedibus ſuis remouere ſolere. — Tertia inſtinctuum claſſis omnes illos complectitur, qui experientia et obſeruatione perfectiores poſſunt reddi. Quod homo ceteris animalibus tantopere excellit, id inprimis a magno numero inſtinctuum, quibus eſt inſtructus, dependere videtur. Veſtigia cuiuslibet inſtinctuum, quos poſſidet, etiam in brutis deteguntur, ſed nulla datur brutorum ſpecies, quae omnes ſimul habeat. E contrario plurima animalia exiguum numerum inſtinctuum poſſident. Haec cauſa videtur, cur inſtinctus brutorum ſint fortiores inque operatione ſua conſtantiores, quam hominum, eorumque actiones magis aequabiles. Plerique inſtinctuum humanorum experientia et obſeruatione perfici plurimisque modis alterari poſſunt. Alius inſtinctus alii oppoſitus eſt aut eum modificat, ſaepe tollit id, quod actionem produxiſſet. Inſtinctui timoris ſaepe contrariae ſunt ambitio ac vindictae cupido: inſtinctui irae timor, pudor, contemtus, miſericordia. Inſtinctuum modificatorum, compoſitorum, extenſorum multa dantur exempla. Deuotio quid aliud eſt, quam extenſus inſtinctus amoris erga parentem auctoremque huius vniuerſi? Superſtitio quid aliud, quam inſtinctus timoris ad imaginarias terroris cauſas extenſus? Spes eſt inſtinctus amoris ad bonum futurum directus. Auaritia inſtinctus amoris ad eas res directus, ad quas dirigi non debebat. Timor etiam in hanc animi paſſionem ingreditur. Inuidia compoſita eſt ex amore, auaritia, ambitione et timore. Sympathia eſt inſtinctus timoris ad alium hominem translatus inque nos reflexus. Hac ratione

omnium mentis humanae paſſionum modificatarum, compoſitarum aut extenſarum tanquam elementa, hoc eſt, inſtinctus originales, definiri poſſunt. Inſtinctus brutorum perinde obſeruatione et experientia perfectiores fiunt. Argumento ſunt canis, elephas, equus, camelus. — Ex his aliisque exemplis diuerſarum claſſium inſtinctuum, clariſſimus SMELLIE cogit, inſtinctum eſſe originalem mentis qualitatem, quae tam in homine, quam in ceteris animalibus, per experientiam perfectior fieri, modificari extendique poſſit. Senſus ſine principio ſentiente, id eſt, mente eſſe nequit. Quicquid igitur ſentit, mens eſt. Ergo infima animalium ſpecies mente inſtructa eſt. Sed mentes animalium vires habent admodum diuerſas; haeque vires per peculiares actiones exſeruntur. Structura corporis eorum ſemper accommodata eſt viribus mentis, nec vllum animal maturum actiones tentat, quas ipſi natura negauit. Inſtinctus tamen animalium ſaepe prius apparent, quam illa inſtrumenta euoluuntur, quibus, natura ſic iubente, vti animalia debent. Haec inſtinctus notio ſimplex eſt: omnes tollit obiectiones mentis in brutis exiſtentiae, explicatque omnes illorum actiones, cum a viribus eas repetat ſimillimis illis, quibus humanae actiones diriguntur. Forſitan maius diſcrimen eſt inter mentis vires nonnullorum animalium, quam inter vires mentis hominis brutorumque ſagaciſſimorum. Inſtinctus poſſunt conſiderari pro ſenſibus internis, quorum alia animalia maiorem, alia minorem numerum poſſident. Hi ſenſus in diuerſis ſpeciebus pariter ſunt plus minusue ductiles, ideoque animalia iis inſtructa maiorem minoremue perfectionem ac ſcientiam nanciſci poſſunt. Opinio itaque illa, animalia machinas eſſe, nimis abſurda eſt, quam vt refutari mereatur. Etſi mentis viribus, quales hominis ſunt, carent, tamen quadam-

tenus

tenus omnes mentis humanae facultates habent. Senſus, memoria, imaginatio, principium imitationis, curioſitas, aſtutia, acumen, deuotio, aut ſuperiorum cultus, gratitudo, in brutis reperiuntur. Adde, quod quaeuis ſpecies proprium ſibi habet ſermonem vel ſonorum vel geſtuum, nonnullaque animalia linguam hominum partim intelligunt. Infantum lingua linguae brutorum fere aequalis eſt. Bruta niſi aliquid haberent rationis, ſenſibus ſuis recte vti nullo modo poſſent. Multa animalia, priusquam agunt, deliberant; id quod magnum rationis gradum indicat. Animalia nondum adulta, quicquid reperiunt, examinant, inque hac inueſtigatione omnibus ſuis organis vtuntur. Prima tempora vitae eorum ſtudio dicata ſunt. Quando diſcurrunt, ludunt-que, inter luſus iocosque diſcunt. Ita facultates eorum paullatim perficiuntur, ſcientiaque paratur perfecta rerum circumpoſitarum. Homines, qui ab aliorum hominum ſocietate variisque iuuentutis ludis exercitationibusque remoti adoleuerunt, ſemper ſunt in motibus plumbei, organis ſuis facile commodeque vti nequeunt, ac ſaepe per totam vitam res maxime vulgares ignorant.

Sequitur iam appendix, in qua haec continentur.

Catalogus ſociorum mortuorum. p. 46.

Biographia GVLIELMI LOTHIAN, Theol. Doct., ſocietatis membri, mortui die 17 Decembris 1783. p. 47—50.

Biographia GEORGII CLERK-MAXWELL, Baroneti, ſocietatis membri, mortui die 29 Ianuar 1784. p. 51—56.

Biographia MATTHAEI STEWART, Theol. Doct., profeſſoris matheſeos emeriti in vniuerſitate Edinburgenſi, ſocietatis membri, mortui die 23 Ianuar. 1785. (Recitata a IO. PLAYFAIR, matheſeos in vniuerſitate Edinburgenſi profeſſore.) Eius de matheſi merita diligenter recenſentur. A ſummi nominis geo- p. 57—76.

metris, R. SIMSONO (analyſeos veterum mathematicorum geometricae peritiſſimo) et MACLAVRINO, inſtitutus, inprimis analyſin veterum geometricam mire calluit, eamque problematis recentiorum difficillimis ſoluendis cum ſucceſſu adhibuit.

P. 77—81. Catalogus donorum ſocietati datorum.

P. 83—100. Catalogus omnium membrorum ſocietatis.

Iam commentationes phyſicas videamus.

Commentt. P. 3-40. *I. Experimenta ſuper motu ſucci in arboribus. Auctore* IOANNE WALKER, *ſocietatis Edinburgenſis membro, regio profeſſore hiſtoriae naturalis in vniuerſitate Edinburgenſi. Recitata ab auctore die* 8. *Decembr*, 1783, *et* 5 *Ianuar* 1785. Detecta ſanguinis in animalibus circulatione, mox ſuſpicati ſunt viri docti, ſimilem circulationem in ſucco plantarum dari. His coniecturis prima debentur augmenta phyſiologiae regni vegetabilis, quorum origo repeti poteſt a quaeſtionibus ſuper ſuccorum in plantis motu in transactionibus philoſophicis anno 1668 publice propoſitis. His quaeſtionibus ſoluendis protinus operam nauabant D. BEALE et D. TONGE, poſtque D. GREW, WILLOUGHBY, RAY atque D. LISTER, qui magna obſeruationum varietate oeconomiam vegetabilem primi illuſtrarunt. Nihil tamen certi de ſuccorum in plantis circulatione docuerunt: nec maior lux huic rei ab inſequentium naturae ſcrutatorum obſeruationibus affulſit, vt etiamnunc tenebris inuoluta denſis videatur. Ad experimenta, quibus haec res illuſtretur, inſtituenda accommodatiſſimae videntur arbores lacrymantes. Igitur clariſſimus WALKER cum betula platanoque plurima tentamina inſtituit, quae hac in diſſertatione accurate recenſentur. Ex his tentaminibus noſter ſequentia concludit. Succus arboris lacrymantis primum ad radicem profluit, tum

tarde

tarde aſcendit ſemperque in loco altiore prorumpit, donec ipſas arboris extremitates attingat. Quamdiu arbor lacrymat, nulla dantur deſcenſus aut circulationis ſucci indicia, ſed ſuccus ſemper magis magisque adſcendit. Isque adſcenſus fit per lignum, interque lignum et corticem. Adſcendit ſuccus tam in ſubſtantia circulorum lignoreum, quam in venis, quae illos circulos dirimunt: in venis quidem facilius, quam in circulis, inque circulis recentibus facilius, quam in vetuſtis, adeoque facilius in exteriore quam interiore parte truncorum atque ramorum. Quae ſit cauſa adſcenſus ſucci in arboribus, noſter definire non audet, cum ſumma adhuc obſcuritate inuoluta ſit. Id monet, adſcenſum hunc fere ſemper calore promoueri, ſed frigore retardari adeoque prorſus impediri. Probabile ipſi videtur, alias praeterea cauſas hic efficaces eſſe, easque forſitan in plantarum ſtructura eſſe poſitas. Omnino ex noſtri experimentis videtur concludi poſſe, nullam dari in vegetabilibus ſuccorum circulationem; certe a lacrymarum arborum initio ad foliorum euolutionem, poſtea enim alium eſſe ſuccorum motum noſter ſuſpicatur. Mittimus alias ſuper plantarum natura obſeruationes phyſiologicas haud parui momenti, ex iisdem tentaminibus deriuatas. — Tabula aenea adiuncta betulam ſiſtit variis locis inciſam, quo melius auctoris verba intelligantur.

*II. Theoria pluuiae.* *Auctore* IACOBO HVTTON, *M. D., ſocietatis regiae Edinburgenſis et academiae regiae agriculturae Pariſinae membro.* p. 41—86.

*Pars I. Inueſtigatio legis naturae, cui theoria pluuiae ſuperſtruenda eſt. Praelecta ab auctore die 2 Februarii,* 1784. Atmoſphaericum eſt phaenomenon, cuius nulla poteſt dari ratio, ſi tantummodo ad leges caloris frigorisque hucusque detectas reſpiciatur. Eſt hoc ſpiritus animalium, qui viſibilis fit, p. 41—51.

ſi

ſi in atmoſphaeram frigidam aut humidam exſpiratur; vaporisque pellucidi mutatio in ſtatum nebuloſum, ſi aëri miſcetur frigidiori. Igitur clar. HVTTON hac inſcriptione legem, quae in iſto caſu actionem et effectus caloris frigorisque dirigat, inueſtigare, huicque legi theoriam pluuiae ſuperſtruere inſtituit. Haec lex ſic ſeſe habet. Si aquae in aëre ſolutio cum calore ratione aequali creſcit, portiones variis caloris gradibus non poſſunt ita miſceri, vt miſtura aut non aut nimis ſaturetur; ſed miſtura, quemadmodum portiones eam conſtituentes, ſemper eſt ſaturata. Si aquae in aëre ſolutio cum calore ratione decreſcente creſcit, miſtura duarum portionum ſaturatarum variis caloris gradibus nullam producit condenſationem humoris, ſed e contrario plus ſubſtantiae aquoſae ſoluere poteſt. Sin vero aquae in aëre ſolutio cum calore ratione creſcente creſcit, miſtura duarum portionum ſaturatarum variis caloris gradibus condenſationem producit humoris, cum in media caloris temperatura ſuperſaturata ſit. Varios hos caſus auctor in diagrammate geometrico repraeſentat. Vltimus caſus proprie ſpectat phaenomena ſpiritus vaporisque miſtione cum aëre frigidiore viſibilium factorum; explicatque varia phaenomena, quae occurrere poſſunt, quando variae aëris portiones, plus minusue humiditate ſaturatae, diuerſasque habentes caloris ac frigoris temperaturas, commiſcentur. Iam auctor hac condenſationis lege tanquam principio ad theoriam pluuiae conſtruendam vtitur. Pluuiam definit deſtillationem aquae, quae prius in atmoſphaera ſoluta fuit, poſtque ex hoc ſtatu vaporis vel ſolutionis condenſata eſt. Huius condenſationis explicatio theoriam pluuiae conſtituit. —

p. 52— 86. *Pars II. Theoria pluuiae phaenomenis naturalibus applicata. Praelecta ab auctore die* 12 *Aprilis*, 1784. Varia hic ab auctore pertractantur. 1) Explicat, cur in tota telluris ſuperficie ſemper ſint tempeſta-

peſtates pluuioſae, vel regulares vel irregulares. 2) Conſiderant pluuias regulares periodicasque. 3) Examinat illas irregularitates naturae, quae a theoria pluuiae non videntur poſſe deriuari, etſi cum ea optime concordant. 4) Climata reſpectu pluuiae contemplatur. 5) Denique theoriam obſeruationibus meteorologicis ſingulorum locorum adplicat.

Monemus, hac ſuper theoria pluuiae inter auctorem clariſſimumque DE LVC litem ortam eſſe. HVTTONI aduerſus celeberrimi huius phyſici obiectiones reſponſio in altero volumine actorum ſocietatis Edinburgenſis nuper admodum euulgato, quod nobis nondum videre licuit, legitur.

III. *Commentatio de cauſis, quae menſurationum barometricarum altitudinum accurationem officiunt. Auctore* IOANNE PLAYFAIR, *A. M., ſocietatis Edinburgenſis membro, et profeſſore matheſeos in vniuerſitate Edinburgenſi. Praelecta ab auctore die* 1 *Martii*, 1784, *et die* 10 *Ianuarii*, 1785. p. 87—130.

IV. *Diſſertatio de vſu quantitatum negatiuarum in ſolutione problematum per aequationes algebraicas. Auctore* GVILIELMO GREENFIELD, *M. A., ſocietatis Edinburgenſis membro, verbi diuini miniſtro ad St. Andreae, et profeſſore rhetorices in vniuerſitate Edinburgenſi. Recitata ab auctore die* 12 *Aprilis* 1784. p. 131—145.

V. *Experimenta atque obſeruationes ſuper inſigni frigore ſeparationem pruinae ex aëre puro comitante. Auctore* PATRICK WILSON, *M. A., ſocietatis Edinburgenſis membro, et profeſſore aſtronomiae in vniuerſitate Glasguenſi. Communicata a D.* BLACK, *et recitata a D.* WALKER, *ſecretario ſocietatis, die* 5 *Iulii*, 1784. p. 146—177.

Oblatum eſt clariſſimo WILSONO phaenomenon novum phyſicorumque attentione digniſſimum, frigus niuis maius frigore aëris vicini. Primum huius phaenomeni rationem cenſuit repetendam a niuis euaporatione, quae ob ſpongiöſam niuis texturam admodum

dum copioſa ipſi eſſe debere videretur. Sed mox intellexit, longe aliam eius cauſam eſſe. Scilicet didicit niuem aëre quatuor pedes ſuper ipſa eleuato frigidiorem tamdiu manere, quamdiu ſua in ſuperficie pruinam attrahit, hacque attractione ceſſante, aut euaporatione lenta inſequente, protinus aëris calorem nanciſci, vel adeo magis calidam fieri. Idem fere locum habet, ſi ſubſtantiae aliae textura laxa niuem aequantes pruinam ex aëre attrahunt. Ex ſuis itaque experimentis et obſeruationibus clariſſimus WILSON concludit: ſi corpora pruinam ex aëre puro attrahant, frigus in eorum ſuperficiebus oriri; hoc frigus a peculiari corporum pruinam attrahentium indole tantummodo hactenus dependere, quatenus illa tempore certo plus minusue pruinae attrahere poſſint; denique hanc pruinae ex aëre ſeparationem frigusque cum ea coniunctum non poſſe locum habere, niſi atmoſphaera ſerena ſit, adeoque ſemper interrumpi, ſi coelum nubibus aut nebula, inprimis prope locum, vbi obſeruatio inſtituitur, obtegatur. — Semel tamen WILSONVS frigoris exceſſum in niuis ſuperficie ab euaporatione manifeſta naſci vidit. — Hortatur noſter naturae ſcrutatores in climatibus degentes, vbi hiems diutius, quam in Scotia, durat, atque vehementior cumque conſtantiore aëris atmoſphaerici ſerenitate coniuncta eſt, vt huic rei nouae tamque graui, ſed adhuc obſcurae, illuſtrandae operam nauare ne dedignentur.

p. 178–190. VI. *Narratio de methodo parandi vinum, quod a Tataris Koumiſs dicitur, vna cum obſeruationibus ſuper vſu eius medico. Auctore* IOANNE GRIEVE, *M. D., ſocietatis Edinburgenſis membro, nuper medico copiarum Roſſicarum. Praelecta a D.* BLACK, *die 12 Iulii*, 1784. Liquoris vinoſi e lacte equino per fermentationem extricatio diutiſſime ignota manſit. Docuerunt eam nos Tatari, gens barbara, quos nemo facile

facile exſpectaſſet chemiam Europaeorum tantopere excultam inuento tam inſigni locupletaturos eſſe. In auctoribus, qui huius liquoris mentionem fecerunt, nihil reperias, quod in eius praeparationem, naturam vſumque inquirenti admodum ſatisfaciat. Id omnes narrant, liquorem vinoſum e lacte equino elicitum a nonnullis nationibus Tatarorum vſurpari; ſed nullus eorum nec proceſſum, quo praeparatur, nec vſum eius in oeconomia et medicina accurate deſcribit. Commemoratus eſt hic liquor iam ſeculo aerae noſtrae decimo tertio a MARCO PAVLO VENETO, recentioribus autem temporibns a STRAHLENBERGIO, GMELINO, PALLASIO: ſed quae hi de illo narrant, partim manca ſunt et imperfecta, partim etiam (vt STRAHLENBERGII relatio) veritati repugnant. Praeterea quae de lactis fermentatione NEVMANNVS, VOLTELENVS, et MACQVERVS prodiderunt, non ſunt ita comparata, vt adſenſum mereantur. Igitur laudandus eſt GRIEVIVS, quod rei hucusque tam obſcurae lucem adfudit. Quam deſcribit liquoris iſtius vinoſi parandi methodum, a Baſchkiris recepta eſt, qui in prouincia Orenburgenſi inter fluuios Kamam et Volgam habitant. Ea vero ſic habet. Sumitur lac equinum recens, eique ſexta pars aquae additur, miſturaque in vas ligneum infunditur. Tum pro fermento adhibetur octaua pars lactis bubuli quantum fieri poteſt acidi, vasque contegitur linteo craſſo, inque loco modice calente ponitur. Viginti quatuor horis elapſis lac acuit, eiusque ſuperficies materia ſpiſſa contegitur. Tum lac piſtillo agitatur, donec materia illa ſpiſſa cum liquore intime coëat. Vbi liquor rurſus viginti quatuor horas quietus manſit, ingeritur in vas altius, ſed minoris diametri, vbi agitatio repetenda eſt, donec liquor perfecte homogeneus appareat. Hoc in ſtatu *Koumiſs* audit. Sapore eſt e dulci acidoque mixto.

Semper

Semper agitandus eſt, priusquam bibitur. — Vt lactis, quantum ſatis eſt, obtineatur, Tatari pullum ab equa interdiu ſeparant, tantummodoque noctu ſugere ſinunt. Quando vero lac ex vberibus equae extrahendum eſt, quod ſingulis diebus fere quinquies fit, ſemper pullum adducunt, arbitrantes, equam plus lactis dare, ſi pullum adeſſe ſciat. — Si fermentationem placet accelerare, aliquid lactis calidi et, ſi quidem opus eſt, plus fermenti adiungitur. Omnino proceſſus multo citius abſolui poteſt, ſi lac prius, quàm fermentum additur, calefiat, ſimulque partes inuicem ſecedere incipiunt, inque ſuperficie materia craſſa apparet, ſingulis horis aut ſaepius agitetur. Hoc artificio duodecim horis omnis poteſt labor finiri. Nonnulli Tatari vinum hoc per aeſtatem vno die praeparant, idque tantummodo duabus tribusue agitationibus; ſed hieme, quando ob lactis equini penuriam multum bubuli addendum eſt, plus agitationis temporisque requiritur. — Etſi hoc vinum iam paucis diebus poſt praeparationem bibitur, tamen, ſi in vaſis clauſis bene adſeruatur, inque loco frigido reponitur, tres menſes diutiusque durat, ſic vt eius bonitas nihil detrimenti accipiat. — Fermenti vices praeter lac bubulum acidum maſſa acida farinae ſecalinae, ventriculus vitulinus, aut portio huius ipſius vini eiusque vetuſti gerere poteſt. — Apparet igitur, ad vinoſam lactis fermentationem tres requiri conditiones. Sunt hae calor, fermentum, et agitatio. Lactis fermentatio maxime ab agitatione dependet. Haec conditio chemicorum attentionem penitus effugit, etſi cum operationibus naturae in aliis fermentationis ſpeciebus congruere videatur. In fermentatione ſuccorum infuſionumque vegetabilium natura artis auxilio opus non habet; inteſtinus enim motus fermentationem concomitans ſufficit ad gradum agitationis producendum, qui neceſſarius videtur

tur, vt partes fluidi ſeſe mutuo contingant, aut in ſe inuicem agere poſſint. E contrario lac ſimul acuit, partes eius a ſe inuicem ſecedunt. Quodſi hae partes agitando in contactum intimum coguntur, haecque agitatio iuſtis interuallis repetitur, liquor vinoſus prodit. — — Quod ad vſum huius liquoris vinoſi medicum attinet, e ſuis noſter obſeruationibus concludit, eum in pluribus morbis tam chronicis quam acutis cum vtilitate poſſe vſurpari. Ob acidum enim principium pro antiſeptico refrigerante, ob ſpiritum vinoſum pro ſtimulante, cardiaco tonicoque vtili, denique ob partes oleoſas et mucilagineas pro nutriente praeſtantiſſimo haberi debet. Sed quiuis intelligit, vſum hunc iſtius liquoris apud nos ob lactis equini inopiam non poſſe non admodum circumſcriptum eſſe. Quapropter auctor ſuadet, vt tentamina inſtituantur, num forte aliae lactis ſpecies ſimilem fermentationem vinoſam ſubire poſſint, vtque inquiratur, quam ſpiritus quantitatem contineant. Cum ipſe huiusmodi experimenta non ceperit, ne hoc argumentum hac in ſcriptione prorſus neglexiſſe videatur, addit in compendium redacta, quae PALLAS et OSERETSKOWSKY de lactis bubuli fermentatione, ille in itinerario ſuo, hic in peculiari diſſertatione, docuerunt.

VII. *Emendatio methodi diſtantiam lunae a ſole aut ſtella fixa obſeruatam corrigendi. Auctore* THOMA ELLIOT, *verbi diuini miniſtro. Communicata a* ROBISONO, *ſecretario ſocietatis, die* 2. *Auguſti*, 1784. p. 191–199.

VIII. *Narratio de notabili agitatione aquarum lacus Loch Tay, perſcripta a* THOMA FLEMING, *verbi diuini miniſtro in pago Kenmore ad* IOANNEM PLAYFAIR, *M. A., ſocietatis Edinburgenſis membrum, et matheſeos in vniuerſitate Edinburgenſi profeſſorem. Praelecta a* IOANNE PLAYFAIR, *die* 6. *Decembris* 1784. Phaenomenon narratur, nulla addita eius explicatione. p. 200–202.

p. 203–208. IX. *Epitome catalogi tempeſtatis Branxholmi per decem annos vsque ad 31 diem Decembris* 1783 *obſervatae. Communicata a duce* DE BVCCLEVGH, *ſocietatis Edinburgenſis praeſide, die* 3 *Ianuarii*, 1785.

p. 209–304. X. *Theoria telluris, ſiue inueſtigatio legum, quibus compoſitio, diſſolutio et reſtauratio corticis telluris reguntur. Auctore* IACOBO HVTTON, *M. D., ſocietatis Edinburgenſis membro, et regiae academiae agriculturae Pariſinae ſodali. Praelecta die* 7 *Martii et die* 4 *Aprilis* 1785. Quatuor in partes haec commentatio diuiſa eſt. In prima parte argumenti, de quo clariſſimus HVTTON agere inſtituit, ratio declaratur. Altera operationes inueſtigat a natura ad ſtrata globi conſolidanda adhibitas. Tertia in eas inquirit operationes, quibus natura ad terram ſuper maris ſuperficie producendam vſa eſt. Quarta denique ſyſtema ſiſtit interitus renouationisque in tellure obſeruatae. — Accedunt duae tabulae aeneae foſſilia exhibentes, quibus auctor ad theoriam ſuam demonſtrandam vtitur. — Aſſentitur noſter iis, qui corticem globi noſtri via humida formatum eſſe contendunt. — Obiter notamus, huius theoriae Huttonianae nuper prodiiſſe verſionem germanicam auctam adnotationibus interpretis, in quibus contra HVTTONVM varia monentur *).

p. 305–332. XI. *Orbita et motus georgii ſideris (vrani) ſecundum methodum facillimam et ſimpliciſſimam ex obſeruationibus directe determinata. Auctore* IOANNE ROBISON, *M. A., ſocietatis Edinburgenſis membro, et profeſſore philoſophiae naturalis in vniuerſitate Edinburgenſi. Praelecta ab auctore die* 6 *Martii* 1786.

XII.

*) *Sammlungen zur Phyſik und Naturgeſchichte, IVter Band, 6tes Stück.*

XII. *Epitome catalogi tempeſtatis Hawkhilli prope Edinburgum obſeruatae, complectens obſeruationes, thermometricas, et quantitatem pluuiae atque euaporationis ab anno* 1771 *vsque ad annum* 1776. *Communicata cum ſocietate a* MACGOWANO. p. 333—336.

Commentationum literariarum tantummodo titulos indicabimus.

I. *Tentamen ſuper origine atque natura legislationum Europaearum. Auctore* ALLAN MACONOCHIE, *ſocietatis Edinburgenſis membro, et profeſſore iuris publici in vniuerſitate Edinburgenſi. Pars I.* p. 3-42.

II. *Diſſertatio, qua demonſtratur, Troiam a Graecis non captam eſſe. Auctore* IOANNE MACLAVRIN, *ſocietatis Edinburgenſis membro.* p. 43—62.

III. *Ode de ſuperſtitionibus popularibus monticularum Scotiae. Auctore b.* GVLIELMO COLLINS. *Communicata cum ſocietate ab* ALEXANDRO CARLYLE, *ſocietatis Edinburgenſis membro.* p. 63—75.

IV. *Tentamen ſuper principiis compoſitionis hiſtoricae, cum applicatione horum principiorum ad ſcripta Taciti. Auctore* IOANNE HILL, *ſocietatis Edinburgenſis membro, et profeſſore literarum humaniorum in vniuerſitate Edinburgenſi. Pars I.* p. 76—89.

V. *Diſſertatio de forma dramatica ſiue antiqua compoſitionis hiſtoricae. Auctore* GVLIELMO RICHARDSON, *M. A, ſocietatis Edinburgenſis membro, et profeſſore literarum humaniorum in vniuerſitate Glasguenſi.* p. 99—112.

VI. *Tentamen grammaticum ſuper natura, vi et effectu certarum coniunctionum, inprimis graecae &c. Auctore* IOANNE HVNTER, *M. A., ſocietatis Edinburgenſis membro, et profeſſore literarum humaniorum in vniuerſitate St. Andreana.* p. 113—134.

VII. *Tentamen ſuper origine atque natura legislationum Europaearum. Auctore* ALLAN MACONOCHIE, *ſocietatis Edinburgenſis membro, et profeſſore iuris publici in vniuerſitate Edinburgenſi. Pars II.* p. 135—180.

p. 101–209. VIII. *Tentamen ſuper principiis compoſitionis loricae, una cum applicatione horum principiorum ad ſcripta Taciti. Auctore* IOANNE HILL, *ſocietatis Edinburgenſis membro, et profeſſore literarum humaniorum in vniuerſitate Edinburgenſi. Pars II.*

## VII.

Che la Platina Americana era un metallo conoſciuto dagli antichi, Diſſertazione di N. N. Segret. dell' Acad. e della Soc. d' Agricolt. d' Vdine. Baſſano 1790. a Speſe Remondini di Venezia, pll. 56. ſine titul.

i. e.

Platinam Americanam fuiſſe metallum veteribus cognitum, diſſertatio N. N. Secret. acad. et ſoc. agricult. Vtinenſ.

p. 4. p. 6. p. 7. p. 8. p. 9. p. 10. p. 8. p. 11. p. 14. 16. p. 19. p. 25. Cap. I. de. nominibus, quibus veteres platinam denominauerint. Cap. II. de hebraicis, *Chaſmal*, i. e. electrum, aes candens, ex Ezech. I. 4. 7. et Dan. X. 6. *Neehoſſet memorath* et *maruch*. ſ. aurichalcum, aes mundiſſimum, ex 2. Sam. VIII. 8. 1. Paralip. XIX. 7. 8. 1. Reg. VII. 40. 43 — 45. 2. Paralip. IV. 16. 1. Eſrae VIII. 25 — 27. 3. Eſrae VIII. 56. 58. et graeco, *Chalcolibanon* ſ. aurichalcum Libani ex apocalypſ. Ioh. I. 15. et II. 18. horumque locorum commentatoribus illuſtratis. Cap. III – V. de vulgatiſſimo nomine, *electrum* locis poëtarum, proſaicorum, ſcriptorumque poſt Pauſaniae tempora factitii tantum electri mentionem facientium, explicato. Cap. VI. de nominum, *aurichalcum*, *orichalcum*, apud veteres vſu. Cap. VII. antea adductorum locorum teſtimoniis comprobatur, metallum auro et argento comparatum ante Dauidis tempora

pora prope Libani montem, et in Atlantide insula effossum fodiendi, fundendi, et poliendi artem Tyrios et Phoenices intellexisse; insula vero submersa, Syriaque in barbariem illapsa metallum istud oblivioni datum, nec nisi in ornamentis muliebribus, aliisque minutissimis a Romanis inter Orientis et Graeciae praedas repertum, et in museis camerisque diuitum asseruatum; nomina tunc aurichalci et orichalci adulterinis metallis, electri succino, Neronis tempore ex Prussia in Italiam delato et ad ornamenta muliebria adhibito data; natiuum vero electrum ex auriferis mineris Hispaniae, fabulisque Padi fluminis statuae Augusti Traiani temporibus exstruendae gratia comparatum fuisse; in quod illudere fabulam de Electra fratris Phaëtontis iacturam deflente et lacrymas in fabula illa fundente. Cap. VIII. traditur historia inuentionis platinae Americanae, et ex qualitate vtensilium et ornamentorum apud Americanos, inprimis Caraibes, repertorum, et ex origine Phoenicea nominum *Caracoly*, ornamenti in collo a Caraibibus gesti, et *Cabiri*, potentem hominem significantis, artem metallum istud tractandi a Cabiris Syriae ad Hispanos, ab iis ad Atlantidis incolas, et ab his cum primis forte colonis ad Americam, cuius ciues Hispanis in ea arte dexteriores, translatam esse coniicitur. Cap. IX. similitudo, quae aes vel electrum veterum, et platinam Americanam respectu fontis, duritiei, difficultatis ea fundendi, coloris, comparationis cum auro et argento, ornamentorum et vtensilium ex iis paratorum, et facultatis, qua calcinari se non patiantur, in solutione nil perdant, rubiginosa non fiant, et polita splendeant, radiosque reflectant, intercedit, distinctissime comprobatur. Cap. X. ostenditur, platinam nil chalybis continere, sed magnetismum in ea obseruatum a ferruginosis fabulis semper puluere platinae commixtis et

p. 26. p. 49. p. 27. p. 28. p. 31. p. 32. p. 33. p. 34. p. 35. p. 36. p. 37. p. 38. p. 41. p. 44.

pro vero aethiope habendis pendere, vtrumque ve-
p. 45. ro metallum, auro et argento licet ſimile ſit, nil ta-
men partium eorum continere, ſuique generis eſſe.
p. 46. Cap. XI. ratio demonſtratur, cur tam pretioſum me-
tallum obliuioni datum fuerit; quae iam ex Cap.
p. 50. VII. apparet. Cap. XII. ſuadet Cl. Auctor, vt plati-
tinae vel electri in Europa reperiendi gratia minerae
auriferae Pado, fluuiis in eum confluentibus, nec non
aliis auriferis fluminibus vicinae diſquirantur, ad id
p. 53. prouocans, quod elapſo ſeculo Balbinus aurum al-
p. 54. bum in mineris Bohemiae repererit; et Cap. XIII. vt
ſedulo examinentur ornamenta ex America in Euro-
pam translata, et quae ex natiuo vel factitio electro
parata in muſeis v. c. magno illo Porticenſi, conti-
nentur, qualia et ſint nummi Alexandrum Seuerum
p. 55. in magni Alexandri figura repraeſentantes, quorum
nonnullos ex electro paratos eſſe Lampridius nar-
ret; talem vero in Piſano muſeo reperiundum ex ſo-
lito bronzo confectum eſſe, deſcriptio a bibliothe-
cario Bonizello facta Auctorem docuit.

## VIII.

Diſſertazione fiſico-medica, che addita un me-
thodo ſicuro di preſervare i popoli dal vajuo-
lo, e di ottenerne la di lui totale eſtinzione
di Don FRANCESCO GIL, chirurgo del real
monaſtero di S. Lorenzo e membro della real
Academia di Madrid, tradotta dallo Spagnuo-
lo in Italiano, ed illuſtr. con un diſcorſo ſpet-
tante a queſto methodo dal Sign. ANT. LAR-
BER, protomed. di Baſſano c. l'aggiunta del-
le rifleſſioni critiche fatte per commiſſione del
conſiglio di Quito ſopra il ſuddetto dal D. di

SANTA

SANTA CRUZ E ESPEJO. Baſſano 1789. a ſpeſe Remondini di Venezia, pll. 195. et praef. 48.

i. e.

Diſſertatio phyſico-medica, demonſtrans methodum tutam populos variolis praeſeruandi, et plenariam earum exſtinctionem obtinendi, auctore FRANC. GIL. translat. ex Hiſp. in Ital. et illuſtr. diſcurſu hanc methodum ſpectante ab ANT. LARBERO, adi. medit. critic. a D. DI SANTA CRUZ ET ESPEIO fact. ſuper hoc propoſito mandato conſil. Quitenſ.

Varioloſos ſtatim eſſe a ſanis ſeparandos, omne cum iis commercium impediendum, omnesque in peſte ſolitas cautiones adhibendas, et hiſce mediis perficiendam variolarum exſtirpationem, inſitione vtique praeſtantiorem, varii iam Auctores *), et ex his diſtinctiſſime PAVLETVS **), hoc modo p. 10.
Galliam trium annorum ſpatio a variolis immunem fieri putans, demonſtrarunt; GILIVS autem methodum



*) v. c. Raſtius, cuius ſcriptum 1761. le CAMVS edidit; KRAVSE de exſtirpatione variolarum, inſitioni ſubſtituenda. Lipſ. 1762. ROSEN Anw. z. Kennt. u. Cur. d. Kinderkr. aus d. Schwed. v. Murray Gotting. 1768. p. 104. ſq. ESCOBAR des maladies contagieuſes 1776. inprimisque a nobis Comment. Vol. XXV. p. 690. ſqq. laudatus SARCONE v. d. Kinderpocken u. d. Nothwend. d. Ausrottung derſ. zu verſuchen, aus d. Ital. v. LENTIN, Gotting. 1782.

**) l'art de préſerver les peuples de la petite verole, et hiſtoire de la petite verole, Paris 1768.

p. 11. dum ſuam (quam, quum ea Hiſpaniam duo intra annos a variolis liberari poſſe arbitretur, illa PAVLETI, in adhibendis mediis parum tantum aliena, praeſtantiorem iudicat) experientia in Scoriaco multos
p. 4. iam per annos feliciter facta fundaſſe, a nullo didiciſſe, PAVLETIque libros non niſi diſſertatione ſua, quae anno 1768. iam abſoluta, variisque, praeſertim
p. 9. D. AMARO, eam in libro de variolis medendi ratione laudante, communicata fuerit, in Madritenſi
p. 10. regia academia iam praelecta, conſpexiſſe contendit:
p. IV. LARBERVS vero, SCVDERVM *) eandem variolas
p. V. exſtinguendi rationem commendare, et, vti in ſupplemento 1788. edito aſſerat, GILIANAM diſſertationem
p. XI. libro ſuo iam edito obtinuiſſe, ſe vero nouam auctamque diſſertationis editionem, quae prioris quatuor millibus exemplaribus in Hiſpanica America diſtributis anno 1786. prodierit, transtuliſſe enarrat.
p. 13. GILII aſſerta ſunt: omnes epidemicos morbos coniunctim non tantam ſtragem, quantam variolae, crea-
p. 16. re poſſe; Africam ob varias hic enumeratas cauſas omnium peſtilentium morborum, igiturque et variolarum morbillorumque, matrem eſſe habendam;
p. 14. variolas morbillosque ex Aethiopia, in qua quonam tempore endemii facti, ignotum, anno 572. in Ara-
p. 19. biam, indeque in Aegyptum, ſeculo ſeptimo per Saracenos in Hiſpaniam translatos, vndecimo belli ad Palaeſtinam Turcis eripiendam ſuſcepti occaſione per totam Europam diffuſos eſſe, (idem
p. VIII. LARBERVS, anno 622. in Arabia, 640. in Aegypto morbos illos primum eſſe obſeruatos ſtatuens,) a
p. 19. Batauis eos ad Indiam orientalem, ab aethiope Zem-
p. VIII. poalenſi ad expugnatam Americam anno 1520. delatos eſſe: variolas, licet Fracaſtorius contrarium do-
p. 20. 47. ceat,

*) Mem. per ſervire all' intera e perfetta eſtinzione del vajuolo, Napoli 1787.

ceat, non niſi contagio inferri; omnes de earum cau- p. 23.
ſa hypotheſes ridiculas eſſe; earum, vti omnium p. 26.
morborum ſemen, corpori, eiusque ſolidis aeque ac
fluidis ineſſe quidem, potentiam vero nocentem il-
lud eulouentem ante ſeptimum ſeculum in Europa p. 27.
non extitiſſe; ex decem Hiſpaniae incolarum myria- p. 31.
dibus vnam intra ſeptuaginta annos variolis obire;
(in Venetiae terris ſeptem octoue hominum millia p. VI.
quotannis variolis enecari, Larberus narrat) omnia p. 40—
a variis laudata ſpecifica fruſtranea eſſe; inſitionem 44.
variolarum, (cuius hiſtoria additur,) ſi caute adhi- p. 32—
beatur, ad eas mites reddendas multum quidem fa- 39.
cere, ea tamen, quum perpetuis epidemiis occaſio- p. 64.
nem praebeat, ad eamque caute adhibendam ſepara-
ta noſocomia requirantur, (vti et Larberus iudicat,) p. 45.
exſtinctionem praeſtare; errare eos, qui vere et ae-
ſtate variolas mitiores, quam autumno, cenſeant;
Scoriaci, (in quo aliquoties tantum, inprimis anno p. 49.
1767. ob varioloſorum quorundam regia familia abſen-
te neglectam ſeparationem epidemia varioloſa oborta
fuerit,) inſularum maris mediterranei, vrbis Hiero p. 46.
inſulis Canariis, Calmucorum, Hottentottarum, et p. 5.
Louiſianae, (in qua vrbis Neuorleans imperium te-
nens GALVEZ pluribus licet diſſentientibus GILII
methodum proſpere ſequutus ſit,) exempla exſtin-
guendarum variolarum poſſibilitatem ſatis ſuperque
comprobare; ante ſtadium ſuppurationis variolas p. 49.
non eſſe contagioſas; contagium vero, vti peſtis pri-
mum Veronae et Tridenti, ſequenti anno Venetiis p. 60.
et Patauii, tertio demum anno Vicentiae, illas inter
vrbes ſitae, graſſantis exemplum perſpicue doceat,
aëre non propagari. De infectis varioloſis ad le-
proſae Mariae, ſororis Moſis, duorumque Hiſpa- p. 73.
niae principum varioloſorum exempla nullo perſo-
narum diſcrimine habito, ſtatim indicandis, in villas-
que aliasue quartam ſaltem milliaris Gallici partem p. 51.

ab vrbibus pagisue diſtantes domus, ſumtibus publicis vel aedificandas, vel, ſi iam conſtructae, ſuſten-
p. 52. tandas, (quod, ſi caute fiat, iis magis proſit, quam noceat) transferendis; de varioloſorum cura iis, qui
p. 53. hunc morbum iam perpeſſi ſint, committenda; de horum veſtibus linteis a collo ad calcem vſque corpus obtegentibus, (qualibus et ſacerdotes, medici chirurgiue vtantur, qui vero aegros non niſi neceſſitate vrgente adeant, manus tum, vti famuli, aceto ſpirituoſo lauaturi;) de ſquamis varioloſis ſedulo col-
p. 54. ligendis, et cum quiſquiliis ſepeliendis; de aegris
p. 55. non niſi perfecte ſanis, nec, prout ipſi eorum famuli, niſi aliis veſtibus indutis, et aqua calida roſarum, roriſmarini, iuniperique lotis, perque quoddam tempus in aliis domibus commoratis, in hominum ſocietatem recipiendis, de aegrorum veſtibus per aliquot dies aquae fluuiatili immergendis, repetita vice lauan-
p. 56. dis, et ſulphure, pice vel aromaticis ſuffumigandis; de cameris aegrorum deradendis, gypſo denuo obducendis, diffumigandis, earumque portis nec non feneſtris, quae diutiſſime pateant, aceto lauandis; de mortuis non niſi in noſocomii vicinia, eorumque veſtibus in profundas foſſas ſepeliendis; deque magiſtratuum his in
p. 69. rebus ſedula temeratoribusque grauiſſimas poenas ir-
p. 70. rogante cura rite praecipit. GILIVS legem Hiſpanicam de leproſis ſeparandis ad varioloſos, quorum morbus, lepra vtique grauior, applicandam, variaque Hiſpanica noſocomia diuerſorum aegrorum cúrae quondam inſeruientia in iſtum vſum adhibenda
p. 75. eſſe monens, erroremque de variolis ineuitabilibus
p. XXI. damnans. LARBERVS eadem quidem commendat,
p. XXIII. addit tamen, quatuor illis hominum generibus, nobilibus, ciuibus, mercatoribus, opulentis, ſingulares villas deſtinari, iisque permitti poſſe, vt cognati, ſi iisdem legibus ac famuli, obediant, eos comitentur;
p. XLIV. omnes impenſas ab aegris, ſin autem pauperes, ex aliis,

aliis, v. c. noſodochiorum inſitioni variolarum inſer-
vientium, reditibus perſoluendas, aegris, qui| be-
nignis variolis affecti, quadraginta, qui malignis, ſe- p. XXX.
xaginta diebus elapſis ad ſanos demum redeundum;
eorum veſtes et vtenſilia cuidam famulo, quo depu p.XXXII
rentur, et per trimeſtre aëre perflentur, tradenda; -XXXIX
cadauera, et quae ſepeliri debeant, in arcis picatis in
profundum ſex ſaltem pedum abiicienda; easdem-
que cautiones in morbillis et tuſſi conuulſiua adhi- p. XLV.
bendas eſſe; diſtincte ſimul exponens, quae nauibus p.XXXV
aduecti in locis maritimis obſeruare debeant. Quo-
modo GILIVS obiectiones, legem varioloſos ſeparan- p. 76.
di ob periculum cum eorum translatione coniunctum,
opemque iis in domiciliis aptius ferendam duram eſ-
ſe; magnis eſſe opus ſumtibus ad illas domus exſtru- p. 84.
endas; non omnes ad hanc ſeparationem commoue- p. 86.
ri ſe paſſuros eſſe; variolasque eſſe haereditarias, p. 87.
propagari aëre, nec, quum a Deo creatae, annihi-
landas eſſe refellat, ex iam adductis ſatis apparebit.
De variolarum varietatibus, ſtadiis, (ſolum tertium p. 101.
breuiter nimis nec ſatis accurate deſcriptum eſt) et p. 121.
cura docte diſſeritur; antiphlogiſtica methodus prae-
ſertim commendatur; rectus venaeſectionis, clysma-
tum, opii et ſinapiſmorum vſus exacte demonſtra-
tur; vt oculi quotidie vicies triciesue aqua et lacte
foueantur, praecipitur; in hiſtoria quarti ſtadii ſimul, p. 116.
quae in varioloſorum cadaueribus reperta, enarran- p. 125.
tur; induſia aegrorum ab aliis primum induendi et p. 128.
ita calefaciendi conſuetudo reprehenditur; indexque
ſcriptorum Hiſpanicorum de variolis additur. An- p. 129.
nexas meditationes D. DI SANTA CRUZ ET ESPEJO
manuſcriptas *Marchio* DI SONORA communicauit p. 130.
cum GILIO, qui iis praemittit exemplum Saleſiana- p. 131.
rum, in Madritenſi coenobio viſitationis S. Mariae
ſuaſu D. FRANSERI *Gilianam* methodum ſequentium
tam ſtrenue, vt ex locis, in quibus variolae, neme,

nec

nec ipſi filiarum parentes, variolisque affecti non niſi quadraginta diebus poſt recuperatam ſanitatem elapſis eas adire debeant; tamque feliciter, vt, licet in vicinia variae variolarum epidemiae graſſarentur, in coenobioque filiae a quarto ad quindecimum vſque aetatis annum reciperentur, per ſeptemdecim iam annos a variolis immunes fuerint. Argumenta ad commendandam *Gilianam* methodum
p. 139. DI SANTA CRUZ ET ESPEJO repetit ab obedientia
p. 140. omnibus regiis mandatis praeſtanda; a magno hono-
p. 141. re, quem extinctio variolarum nobis tribuat; a pulchritudine cum ſequioris tum et potioris ſexus (cu-
p. 144. ius in rempublicam redundantia commoda perſpicue
p. 146. exponit,) conſeruanda, a conſeruatione vitae tot tantorumque hominum. Ex viginti millibus enim
p. 147. Quitenſium tria variolis obire, morbillis maligniſſimis non tot enecari, quot benigniſſimis variolis, in quibus ſemper exitus dubius maneat, in hisque pernicioſiſſima ſymptomata eſſentialia eſſe, quae in illis, non tot ſtadiis diſtinctis, tantum accidentalia ſint.
p. 148. Repetit porro argumenta a publico vſu priuato prae-
p. 151. ferendo, a patefacta clementia regis, a diuitum et pauperum communi in vnum eundemque vſum ſtu-
p. 152. dio, ab vtilitate, quam methodus in epidemia morbillorum nuper vltra duo millia enecante praeſtare po-
p. 156. tuerit, a politia veterum, inprimis Romanorum, in populo augendo valde ſcrupuloſa. Refutat errorem
p. 158. Quitenſium, extinctionem variolarum ſibi ignominioſam putantium; proponit villam ſat remotam ſatque aptam, quam venti ab oriente ad occidentem et vice verſa perflent, non autem vrbem Quito attin-
p. 160. gant; hanc emi, debito apparatu exornari, a magi-
p. 161. ſtratu ad plebem de rei grauitate conuincendam ſolemniter conſecrari, et, ſi nulla epidemia, omni quaduordecim dierum ſpatio cum medico et chirurgo inſpici, probasque famulas trigeſimum inter et quadrage-

drageſimum annum aetatem ſuam agentes eligi; ac
populum ſimul de varioſis vere peſtiferis, nec neceſ- p. 162.
ſariis, conuinci iubet. Demonſtrat etiam, variolas pri- p. 163.
mum omni viginti annorum ſpatio Americam adiiſſe,
benignas fuiſſe 1751, malignas 1764 et 1766. ab anno
1783. vero frequentiores, raro montana loca ingredi, p. 165.
quorum incolae tum in denſiſſimas ſyluas fugiant; ea-
rumque extinctionem eo certius ſperandam eſſe, quo
minus volatile ſit earum contagium illo peſtis, et p. 169.
quo rarior haec, illis antiquior, iam in Europa fiat;
et monet, in remotiſſimis terris ſolis parentibus et p. 172.
ſacerdotibus curam varioloſorum committendam eſ-
ſe. Optat deinde, vt ad lepram, (quae Graecis et p. 175.
priſcis Romanis vere ignota, ſeculo ſeptimo vix in p. 176.
Italia orta ſapienti ſtudio Roderici, regis Langobar-
dorum, mox extincta fuerit,) in Quitenſi regno cum p. 183.
leonina, tum elephantiaſis, frequentior iam fiat, ex-
ſtinguendam eadem *Giliana* methodus adhibeatur, p. 184.
villis domibusue tamen ac famulis ab illis varioloſo-
rum ſeiungendis.

## IX.

*Neue chemiſche Nomenklatur für die deutſche Sprache,* von CHRISTOPH GIRTANNER, *der Arzneywiſſenſchaft und Wundarzneykunſt Doctor, der königlichen mediciniſchen Societäten zu Edinburg und London, ſo wie auch der litter. und philoſophiſchen Societät zu Manſcheſter Ehrenmitgliede, der königl. Societät der Wiſſenſchaften zu Edinburg ordentlichem Mitgliede, u. ſ. w.* — Les têtes ſe forment ſur les langages; les penſées prennent la teinte des idiômes. I. I. ROVSSEAV. — *Berlin. Bei Johann Friedrich Unger.* 1791. 8. *pagg.* 22.

i. e.

i. e.

Noua nomenclatura chemica pro lingua germanica. Auctore CHRISTOPHORO GIRTANNER, medicinae et chirurgiae Doctore, variarum ſocietatum ſocio.

Praefat. Noua LAVOISIERII theoria chemica inuentaque grauiſſima, quae huic theoriae debentur, in Germania parum cognita ſunt, partim quod chemici in Germania clariſſimi praeiudicio quodam occupati, priusquam nouae theoriae fundamenta ſatis perſpexerunt, eam repudiant, partim ob nouam nomenclaturam chemicam, quam chemici Galli excogitarunt, ſed quae Germanis non tanti viſa eſt, cui addiſcendae aliquid operae nauarent. Quae nomenclatura perinde, vt noua theoria, cum a plurimis viris clariſſimis in Gallia, Italia, Anglia, Belgio probata fuerit inque libris maximi momenti vſurpata, etiam Germani non poterunt amplius eius ſtudio ſuperſedere. Hoc conſilio clariſſ. GIRTANNERVS, vir doctiſſimus aliisque iam operibus nominis celebritatem adeptus, nouam nomenclaturam chemicam Gallorum in linguam Germanicam vertere conatus eſt, ſic vt nomina germanica eligeret, quae ſignificatus philoſophica accuratione gallica multum vincere videantur. Socium habuit laboris clariſſimum IACQVINVM iuniorem, cuius ingenio hanc nomenclaturam germanicam plurimum debere fatetur.

In hoc itaque libello tantummodo lingua, qua noua chemia in Germania vti queat, proponitur. Quod ipſam chemiae theoriam nouam attinet, eam noſter, illi admodum deditus, propediem in opere peculiari germanice ſcripto docebit. Ibi nouorum argumentorum et inuentorum, quae a LAVOISIERIO, BERTHOLLETO et PELLETIERIO Pariſiis ipſe nuper

nuper accepit, auctoritate veritatem nouae theoriae ita demonſtrabit, vt ei etiam Germanos veritatis tam amantes aſſenſuros eſſe ſibi polliceatur.

Nemo ignorat, doctrinam de aquae decompoſitione et compoſitione inter theoremata nouae chemiae primaria referendam eſſe. Multis haec doctrina experimentis innititur. Et experimenta quidem ſuper decompoſitione aquae notiſſima ſunt. Experimentum a phyſicis clariſſimis, TROOSTWYK et DEIMANN, hoc conſilio nuper admodum inſtitutum *) ita noſtro comparatum videtur, vt nihil contra moneri poſſit, maximumque inde pondus nouae theoriae accedat. Sed experimenta ſuper compoſitione aquae ex aëre dephlogiſticato et inflammabili minus in vulgus nota ſunt: igitur a noſtro in huius libelli praefatione breuiter recenſentur.

Prima duo experimenta ſuper compoſitione aquae LAVOISIERIVS ſuis in aedibus inſtituit. *Primum* quidem coram clariſſimis viris MONGE et DE LA PLACE, *alterum* coram commiſſariis academiae regiae ſcientiarum. Ad ambo experimenta LAVOISIERIVS machinam adhibuit a ſe ipſo inuentam. Quae cum adhuc imperfecta eſſet, experimentum cum multis difficultatibus coniunctum fuit, calculumque exhibuit admodum complicatum. Quae ex hocce experimento conſequuntur, legas in actis academiae regiae ſcientiarum.

Cum machina noua, emendata magisque perfecta, tres pedes cubicos aëris capiente, quam LAVOISIERIVS in ſuis elementis chemiae deſcripſit, experimentum nondum captum fuit.

Expe-

*) Cf. CUTHBERTSON *in den Sammlungen zur Phyſik und Naturgeſchichte, 4ten Bandes 4tes Stück, pag.* 453. *ff.*

Experimentum *tertium* FORTIN, peritus mechanicus, cum machina a se ipso parata et emendata apud LE FEVRE, professorem collegii regii, instituit, idque cum optimo successu.

Experimentum *quartum* SEGUIN cum machina in vsum gymnasii regii Gaditani confecta coram ARELULA, chemiae in hoc gymnasio professore, instituit. Aqua nata est purissima omnique libera acido, qua ipsa re PRIESTLEII obiectiones prorsus confutatae sunt.

Experimentum *quintum* Lutetiae Parisiorum IACQUINUS iunior cum machina sumtu LEOPOLDI II. (magni chemiae nouae fautoris) parata cepit. Machina haec, IACQUINO dirigente fabrefacta, vniuersitatis Viennensis vsibus destinata est, a qua vniuersitate nouam chemiam totam mox Germaniam peruasuram esse, noster auguratur.

Huic experimento noster ipse adfuit. Aqua prodiit purissima, omni carens inquinamento acido; id quod obiectiones PRIESTLEII rursus euertit. Omnes fere naturae scrutatores Lutetiae ad illud experimentum inuitati fuerant, testesque facti sunt felicissimi euentus, quem habuit.

Machinae ad quartum quintumque experimentum adhibitae longe sunt simpliciores, perfectiores, accuratiores minorumque sumtuum, quam vel illa, cuius LAVOISIERIVS descriptionem dedit. Ambae a FORTINO, academiae regiae mechanico, Lutetiae fabrefactae sunt. Huiusmodi machina, cuius recipula vnum vsque ad sesquialterum pedem cubicum aëris capiunt, constat circiter 360 thaleris, ludouico aureo = 5 thaleris posito.

Nunc in vsum gymnasii Gaditani iussu regis Hispaniarum noua machina a FORTINO summo cum splendore paratur. Recipula eius capiunt quinque pedes cubicos aëris. Haec machina cum apparatu

ad

ad ipſam neceſſario conſtabit fere 2500 thaleris.

Hactenus de praefatione actum eſt. Iam quod ad ipſius libelli rationem attinet, ſingulae paginae tres columnas ſiſtunt, quarum prima nomina hucusque apud Germanos vſu recepta, altera nomina noua Gallica, tertia denique nomina noua Germanica complectitur.

Vt, quam rationem noſter ſecutus ſit, ex aliquot exemplis appareat, vertit *Lumière Lichtſtoff*, *Calorique Wärmeſtoff*, *Oxygène Sauerſtoff*, *Hydrogène Waſſerſtoff*, *Azote Salpeterſtoff* vel *Stickſtoff*, *Carbone Kohlenſtoff*, *Circone Zirkonerde*, *Adamantine Harterde*, *Ammoniaque Ammoniak* (i. e. alcali volatile) *acide nitrique die Salpeterſäure*, *acide nitreux das Salpeterſaure*, *acide ſulphurique die Schwefelſäure* (h. e. acidum vitriolicum), *acide ſulphureux das Schwefelſaure* (h. e. acidum ſulphureum volatile), *acide muriatique ſuroxygéné die überſaure Kochſalzſäure* (h. e. acidum muriaticum dephlogiſticatum), *acide pruſſique die Blauſäure*, *oxide Halbſäure*, v. c. *oxide d'étain Zinn Halbſäure* (i. e. calx ſtanni), *ſulfate de potaſſe ſchwefelgeſäuerte Pottaſche* (i. e. tartarus vitriolatus), *ſulfite de potaſſe ſchwefelſaure Pottaſche*, *l'huile fixe das fette Oel* i. e. oleum vnguinoſum), *l'huile volatile das riechende Oel* (i. e. oleum aethereum), *ſavon fette Seife*, *ſavonule riechende Seife*, *acidifier verſäuren*, *oxider verhalbſäuren*, *baſes de acides Grundlagen der Säuren.*

## X.

ANDREAS DUSSAUSOY'S, *Oberwundarztes am großen Hoſpitale zu Lyon, Abhandlung über die Radikalkur des Waſſerbrucksdurch das Aezmittel. Aus dem*

*Franzöſiſchen* *). *Leipzig, in der Weygandſchen Buchhandlung.* 1790. 8. *pagg.* 160.

i. e.

ANDREAE DUSSAUSOY Commentatio de curatione radicali hydroceles ope cauſtici. Ex Gallico translata.

Primo pathologia hydroceles; quantum curatio radicalis palliatiuae praeſtet. Exemplum hydroceles poſt paracenteſin inunctione mercuriali internoque turpethi mineralis vſu in homine laborioſo vitae genere vtente ſenſim diſſipatae. Diuerſarum medendi rationum conſideratio turundam, cannulam, iniectionem et ſetaceum minus ſecura eſſe, quia irritatio ab iis producta iuſtis limitibus contineri nequeat; inciſione et exciſſione curationem praeſtari, ſed idem cauterio effici cum minore terrore dolorisque ſenſu cum ſub ipſa operatione tum deligatione, neque in eius applicatione quicquam metuendum eſſe ab aeris exterioris acceſſu. Aliud commodum conſiſtit in calore aquae ſtagnanti per effectum cauterii communicato, qui deſtructioni telae celluloſae, imminuendae ſenſibilitati tunicarum, facilitandaeque ipſarum ſuppurationi fauet. Conuenit in omnibus ſpeciebus hydroceles ſimplicis, cuiuscunque ſint ambitus, aetatis, craſſitiei ſacci et conditionis aquarum, maiore etiam volumine teſticuli, modo illud a ſola tunica albuginea craſſiore pendeat, quod ex aequali dolorisque experte tumore teſticuli calloſaque ſimul tunica vaginali cognoſcitur; auxilio eſt inprimis ſubiectis aetate prouectioribus et cacochymicis,

*) Cure radicale de l' hydrocèle par le cauſtique. Par ANDRÉ DUSSAUSOY, Chirurgien en chef du grand Hôtel-Dieu de Lyon. MDCCLXXXVII. 8.

micis, quia haemorrhagiam non excitat, diaeta rigoſiore non eget, largamque ſuppurationem ad deprauatos humores corrigendos (?) excitat. Verum locum non habet, vbi excreſcentiae quaecumque teſticulo vicinisue partibus adhaerent (obſ. 14. eiuſmodi eminentias piſi magnitudine tunicae vaginali inſidentes deſcripſit, quae curationem adeo difficilem reddiderunt, vt candide fateatur Cl. Auctor, ſē, ſi ſimilis ipſi rurſus caſus ſit occurſurus, protinus exſtirpationem tentaturum; qua occaſione etiam refert, ſe aliquando poſt caſtrationem in homine proiectioris iam aetatis adminiſtratam tunicam albugineam et vaginalem vbique fere punctis oſſificationis obſitam teſticulumque ipſum corruptum inueniſſe), aut hernia adeſt, ſiue ea reponi ſponte nequeat, ſiue bracherio indigeat; neque in infantibus, in quibus aqua per excitatum calorem reſorberetur. Hydrocele tunicae vaginalis funiculi ſpermatici eodem remedio ſanatur, modo tumorem cyſticum ambitus circumſcripti formet. Duratio curationis a facilitate ſuppurationis pro diuerſitate tunicae vaginalis, temperamenti, conditionis humorum corporis vniuerſi, aeris ambientis, a 30 ad 50 dies extenditur. Praeparatio duplex: altera generalis, altera ſpecialis per emollientia cataplaſmata, fomenta, vapores. Selectus remedii; triſtes ſequelae corroſiuorum metallicorum. Ad minuendos dolores efficacitatemque remedii iuſtis terminis coercendam cauſtico ſoluto opus eſt, cuius formulam hanc a Cl. REBOUL, noſocomii Lugdunenſis pharmacopoeo, inuentam tradit Cl. Auctor: calcis viuae librae duae ſufficienti copia aquae ſenſim affuſa exſtinguantur, maſſae pultaceae in lebete ferreo addatur alkali fixi vegetabilis libra vna, omniaque per bihorium coquantur, affuſa ſenſim loco euaporantis aquae recenti; dein liquidum prorſus calidum filtretur, in eodem lebete antea pro-

be mundato ad cuticulum inſpiſſandum; inde protinus remoueatur, ſubito refrigeſcat et lagenae vitreae infundatur ſimili epiſtomio probe muniendae; ſic intra paucos dies liquidum pelluciditatem oleique olivarum colorem acquirit, ad fundum deiectis ſalibus neutris. Haec praeparatio deliqueſcentiae ſpontaneae praeferenda, quia minus acidi aerei admiſcetur. Hoc remedio (quod etiam ad fonticulos curandosque alios tumores inſeruit) lintea carpta imbuuntur, et ope emplaſtri perforati imponuntur, prout magnitudo et forma tumoris poſtulant, ita vt duae tertiae eius partes eo obtegantur. Tumores minores largiorem lintei carpti impraegnationem exigunt quam maiores, quia in his cutis magis extenſa ideoque tenuior. Tumor oblongus vnicum cauterium in parte anteriori et nonnihil exteriora verſus, ſphaericus praeter illud alia duo minora ad latera in loco maxime declivi requirit. In vtroque caſu vno vel duobus diebus elapſis renouandum, aegerque in lecto detinendus eſt. Leuior haemorrhagia ex vaſis cutaneis eroſis ſolo contactu aeris ceſſat. Remotis emplaſtris eſchara margine inflammata cincta apparet; ſin autem inflammatio diſpareat, vnguentum fuſcum imponendum, cui etiam tunc locus eſt, vbi cauſticum tunicam vaginalem nonnihil tetigit et continuum effluxum aquae effecit. Tempus, quo eſcharam incidi et aquam emitti oportet, ſenſus doloris et ponderis in ſcroto et auctior calor definiunt: inciſio per totum longitudinem eſcharae, interdum admodum durae, ſcalpello acutiſſimo fiat, et plaga linteis carptis, ne coaleſcat, praeſeruetur; dolor breuis, at vehementiſſimus, ad lumbos vſque ſe extendens, praecauetur leni ſcroti compreſſione durante effluxu, et deligatione protinus poſt euacuationem facta. Poſt operationem ſcrotum rurſus intumeſcit, effluxus per triduum ſubſiſtit, praeſente in irritabilioribus febre;

tunc

tunc ſenſim ſubſidet tumor, affluxus puriformis redditur, ſecedentibus ſimul particulis corruptis tunicae vaginalis, quae ſi ceſſant, cicatrix bona formatur. Reliqua curationis ſubſidia: deligationes, iniectiones, ſuſpenſorium. Teſticuli adiacentium mox partim tumor periculo caret, lente demum diſpariturus. Symptomata interdum curationem retardantia: decubitus aquae vel puris in tunica vaginali, et oedema ſcroti; remedia aduerſus eadem, ex iam dictis facile repetenda. Reliqua in curatione obſeruanda ratione diaetae, libertatis alui, decubitus. Brevis ante dictorum repetitio. Exempla viginti curationum a Cl. Auctore methodo indicata praeſtitarum, bene enarrata.

## XI.

Oeuvres médicinales ou Recueil de prix remportés en diverſes Académies, par M. BAUMES, Docteur en médicine, membre de pluſieurs Académies. Tome premier. Contenant 1) un mémoire ſur l'influence du vice ſcrofuleux ſur les corps vivans, 2) un mémoire ſur le carreau ou atrophie des enfans, 3) un mémoire ſur la jauniſſe des nouveaux-nés. A Nismes, chez Belle, 1789. 8.

i. a

Opera medica, ſiue collectio diſſertationum in variis academiis praemiis ornatarum. Auctore BAUMES, medicinae Doctore, et variarum academiarum ſocio. Tomus primus. Complectens 1) diſſertationem ſuper influxu vitii ſcrophuloſi in corpora viuentia, 2) diſſerta-

tionem ſuper atrophia infantum, 3) diſſertationem ſuper ictero neonatorum.

Commemorandi ſunt labores vniuse doctiſſimis Galliae medicis. Clariſſimus BAUMES nuper cathedram obtinuit medicinae in vniuerſitate Montispeſſulana, merito ſuo antepoſitus candidatis digniſſimis.

Prima huius voluminis diſſertatio praemium reportauit anno 1788 a ſocietate regia medicinae Pariſina decretum ſuper quaeſtione hac: *quae ſint conditiones maxime fauentes euolutioni vitii ſcrophuloſi, quibusque mediis tam diaeteticis quam medicis eius progreſſus retardari, vehementia imminui, morbique ſecundarii, quarum iſtud vitium cauſa eſſe poteſt, caueri queant.* Vitium ſiſtit ſcrophuloſum ſub omni reſpectu hucusque cognito. Quicquid hucusque ſuper hoc argumento dictum fuit, auctor in vnum coëgit, vnde lux naſcitur tam in theoria, quam in praxi viam rectam ſatis commonſtrans.

Primo loco noſter conſtitutionem ſimpliciter ſcrophuloſam ab affectione diſtinguit, quae ſcrophularum nomine proprie inſignienda eſt. In illa vires vitales vitio ſcrophuloſo ſubiectae plus minusue manifeſtant impedimentum, quo in machinae viuentis euolutione detinentur, hominibusque illo laborantibus characterem imprimunt peculiarem ac ſpecificum, oriundum illum a peruerſione plus minusue magna functionum oeconomiae animalis. Si haec diſpoſitio ſcrophulas proprie dictas non ſemper generat, ſaltem illi homini, in quo adeſt, poteſtatem impertit, vitium ſcrophuloſum cum ſuis poſteris communicandi.

p. 4. „Signa, inquit auctor, conſtitutionem ſcro„phuloſam indicantia, vti interdum ſunt admodum „clara, ita nonnunquam abſcondita latent, cum fa-

„cies

„cies corporis exterior integram ſanitatem indicare „videatur. Sane in infantibus vitio ſcrophuloſo la„borantibus reperias cutis colorem candidum, rubori „genarum admodum viuo ac pallori labiorum egre„gie oppoſitum. In vniuerſum cutis eſt mirum in „modum laeuis ac mollis, etſi epidermis peculiari „quodam modo firma ſit. Omnia membra rotun„data videntur; ſed facile intelligas, ſi tactus tibi ſit „exercitatus, hanc formam deberi plenitudini vaſo„rum lymphaticorum ſuccorumque in contextu cel„luloſo abundantiae. Fibrae bene nutritae videntur „ob craſſitiem apparentem muſculorum; nihilominus „textus carnium mollis eſt relaxatusque. Vultus ple„nus eſt, oculi aliquantulum feri videntur, adſpectus „eſt ſingularis, corneae color pellucidus caeruleus„que, caput veſtitum capillitio pulchro coloris fere „caſtanei, collum breue craſſumque, maxilla infe„rior ſolito plus extenſa angulis magis proſilientibus, „os grandius, labia craſſiora, os zygomaticum pari„ter maius, alae narium et palpebrae craſſiores, pul„ſus minus frequens, quam infantum ſolet eſſe, pul„ſationes minus approximatae, ictusque arteriae ta„ctu mollis.“

Clariſſ. auctor docet, in fluidis ſcrophuloſorum alterationem contingere cum alteratione ſolidorum congruentem, indeque deducit diuerſos morbi gradus ad eum vsque ſtatum, vbi lympha adeo ſpiſſa fit, vt glandulae conglobatae labiumque ſuperius intumeſcant: quam labii ſuperioris intumeſcentiam pro ſigno habet characteriſtico ſcrophularum formatarum.

„In ſpecie maxime communi ſcrophularum p. 13
„agnoſcendae ſunt, apud infantes, duae periodi, „quarum differentiam eſſentialem deprauationes aci„da putridaque conſtituunt. Secundo tenendum eſt, „durationem vnius alteriusue periodi eſſe poſſe obſcu-

 „ram

„ram aut rapidam, adeo vt oculos obſeruatoris pa-
„rum periti aut attenti facile effugiat. Tertio, non-
„nullas dari varietates tam in gradu alterationis, quam
„in qualitate fluidorum, pro ſcrophulis conſtitutio-
„nalibus proque ſcrophulis accidentalibus; quae
„duae ſcrophularum ſpecies maiores admittendae ſunt,
„vt vno intuitu comprehendatur, quicquid obſerua-
„tio de his morbis docuit. Quarto, differentiam in
„ſtatu fluidorum, admodum notabilem apud mon-
„tium oppidorumque incolas, apud diuites pauperes-
„que, magnam vim habere in modificationes, quas
„vitium ſcrophuloſum in noſtris generat humoribus,
„innumeralibusque ac vix diſtinguendas producere
„mali ſcrophuloſi varietates.“

Clar. BAUMES arbitratur, vitium ſcrophuloſum tanquàm hereditarium eſſe. Etſi ſcrophularum contagium ei difficilius admitti poſſe videatur, quam earum a parentibus ad liberos transmigratio, illud tamen locum poſſe habere non negat, quoniam ei ſatis videtur demonſtratum, ſcrophulas ad infantes lactentes a nutricibus vitio ſcrophuloſo affectis transiiſſe. Vbi noſter in originem elementaque vitii ſcrophuloſi inquirit, opinionem fortiter impugnat, venenum venereum degener virus conſtituere ſcrophuloſum, poſtque varias discuſſiones huic analogas addit ſequentia.

„Quicquid definire fas eſt, ratione habita compli-
„cationis tam frequentis vitiorum ſcrophuloſi ac rha-
„chitici, analogiae mutuaeque dependentiae inter al-
„terationes ſyſtematis glanduloſi, lymphatici, et ſy-
„ſtematis oſſei orbicularis, denique vicinitatis nota-
„bilis, quam obſeruatio clinica in morbis ſcrophulo-
„ſis atque rhachiticis e claſſe affectionum calculoſa-
„rum et arthriticarum deprehendit, huc redit. For-
„ſitan olim demonſtrabitur, in ſcrophulis partes age-
„re primarias acidum phoſphoreum, hoc in morbo
„ſuccum

„ſuccum oſſeum in oeconomia animali excedere,
„praetereaque vitium radicale in diſpoſitione vaſo-
„rum abſorbentium, qua fit, vt ſubſtantiam oſſium
„imbibant, poſitum eſſe.“

Quae ſcrophularum cura a noſtro proponitur, principiis innititur ab ipſo conſtitutis. Monet vitia oſſificationis, quae hoc in morbo locum habent, tantam ei cum rhachitide analogiam conciliare, vt inde non poſſit non concludi, remedia, quae regere poſſint oſcillationem viresque confirmare, quibus iſta dirigitur functio, ad vitium ſcrophuloſum tollendum adhibenda eſſe. In his remediis fere ad tonicorum claſſem pertinentibus primarium locum de noſtri ſententia martialia occupant, quae maxime ſunt accommodata ad languorem principii vitalis tollendum. Etiam rubiam ob vires, quas haec planta in vniuerſum in oſſa exſerit, commendat. Alcalia opponit acrimoniae acidae, quae in vitio ſcrophuloſo dominari perhibetur: interque haec remedia inprimis laudat ſalem tartari, aquam calcis atque ſaponem, quemadmodum inter tonica balneis frigidis frictionibusque ſiccis palmam tribuit. Laudat ſtomachica et euacuantia, interque haec emetica ceteris omnibus iure praefert, vtpote quae ſyſtema lymphaticum concutiendo ad lymphae obſtructiones reſoluendas multum conferre poſſint. Inter ſtomachica commendat extractum plantarum amararum iunctum extracto plantarum antiſcorbuticarum. Quod alimenta attinet, reprobat cibos naturae aceſcentis: quodque aërem ſpectat, cum ſemper interſit eum purum eſſe, tum maxime in ſcrophularum cura puritas eius magni noſtro momenti videtur. Exercitatio corporis medium ei videtur ad medelam huius morbi promtius obtinendam admodum idoneum.

Haec diſſertatio ingentem complectitur numerum obſeruationum cognitu dignarum. Etſi argu-

mentum, quod in ea tractatur, ampliſſimum ſit, nihil tamen, quod alicuius eſſet momenti, noſter omiſit.

Diſſertatio altera huiusce voluminis praemium tulit a facultate medicorum Pariſina die 22 Nouembris 1787, quaeſtionemque tractat hanc: *deſcribere morbum meſenterii infantibus proprium, qui vulgo Carreau dicitur, inde ab ortu eum perſequi, cauſas indagare, a quibus oritur, accurateque media enumerare, quibus vel caueri vel ſanari poſſit.*

Nihil ſcire refert, niſi quod verum eſt, recte inquit clariſſ. BAUMES, nihilque in medicina verum eſt, niſi quod experientiae et obſeruationi tanquam fundamento innititur. Secundum haec tam certa principia noſter diagnoſin medelamque morbi docet, cuius indolem noua luce colluſtrari ordo medicorum illuſtris voluerat. Inprimis diuerſi gradus huius morbi ea ſunt accuratione definiti, quae magnam vim habeat ad regulas conſtituendas, ſecundum quas cura dirigenda eſt. Si poſt actionem cauſarum, quae morbum meſenterii gignere poſſunt, appareat, faciem infantis eſſe plumbeam aut pallidam, extremitates inferiores parum nutritas et debiles, ventrem nonnihil durum aut maſſa craſſa refertum ſine dolore, deiectiones tenues, nonnunquam remixtas materiis albidis, initium factum maciei, praegreſſis triſtitia, languore aut ſtupore, famem irregularem, denique ſitim exortam, caloremque palmarum manuum: veroſimile eſt, infantem morbo iſto laborare, morbumque in primo gradu conſtitutum eſſe. Si in eodem infante facies appareat terrea aut liuida, cutis rudis et inaequalis, extremitates inferiores notabili macie, venter prominulus, durus dolorisque expers, fames grauior, ſitis viuidior, triſtitia notabilior, diarrhoea continua, deiectiones cinereae ac foetidae, ſomnus difficilis breuisque, morbus ſecundum

dum noſtri ſententiam iam alterum gradum attigit. Si in eodem infante volumen duritiesque ventris magna ſunt, diarrhoea continua, febris hectica regularis, vultus albeſcens, labia pallida, genae perfecte ſtriatae, ſique ſigna apparent ecchymoſis in ventre aut pectore, et nonnunquam in his duabus cauitatibus ſimul, ſciendum eſt, morbum percurriſſe periodum tertiam eamque poſtremam. Si malum in primo adhuc gradu eſt, multum valent remedia cauſis morbi et circumſtantiis accommodata. In altero gradu, vbi meſenterii obſtructiones maiores ſunt ſolutuque difficiliores, noſter fatetur, prognoſin admodum dubiam eſſe. Tertium denique gradum morbi vix ac ne vix quidem poſſe ſanari, aſſerit. — Cauſae, quae hunc morbum generare poſſunt, numero ſunt plurimae, nam omnes complectuntur errores in educatione phyſica infantum commiſſos, qui fons admodum diues eſt. Pro cauſis remotis huius morbi habenda ſunt praua indoles lactis materni, inprimis initio lactationis, euacuatio incompleta meconii, abvſus panatae aut pultis, vſus lactis nimis ſpiſſi, alimenta ſolida nimis cito data, vſus faſciarum, thoracum, cohabitatio multorum infantum, vt in caritatis hoſpitiis ſolemne eſt, aër paludoſus et inſalubris, vitium ſcrophuloſum aut rhachiticum, et nonnunquam febres exanthematicae, v. c. variolae, morbilli etc. Cauſae, quae morbum producere potuerunt, ſemper ſunt cum ſymptomatibus morbum definientibus coniungendae, vt de eius natura iudicium certum feratur.

Tertia eaque vltima diſſertatio huius voluminis praemium die 29 Decembris 1785 reportauit e facultate medicorum Pariſina propoſitum ſuper hac quaeſtione: *deſcribere icterum neonatorum, et circumſtantias, vbi hic icterus artis auxilium flagitat, diſtinguere ab illis, vbi omnia a natura ſunt exſpectanda.*

Decem

Decem obſeruationes ſuper diuerſis ſpeciebus icteri, quo neonati corripiuntur, viam clariſſimo BAUMES muniunt ad aetiologiam, diagnoſin prognoſin medelamque huius morbi tradendas. Ex obſeruationibus concludit, meconium primarias agere partes in aetiologia icteri neonatorum, ceterasque eius cauſas eſſe ſaburram in duodeno accumulatam, ſpaſmum ductuum excretoriorum bilis, irritationem a ſanguine in chorda vmbilicali ſtagnante et putreſcente oriundam, denique obſtructionem hepatis. Clariſſimus BAUMES diligenter medicos hortatur, vt circumſtantias praegreſſas curioſe perpendant, ne morbum a cauſa falſa derivent, characteres hunc icterum diſtinguentes exponit, ſummaque perſpicuitate praecepta tradit, a medico ſequenda, ſiue naturae conatus, otioſus ipſe ſpectator, intueatur, ſiue ipſe quoque agere conſtituerit.

## XIII.

Oeuvres médicinales, ou Recueil de prix remportés en diverſes Académies, par M. BAUMES, Docteur en médecine, Membre de pluſieurs Academies. Tome ſecond. Contenant ſeulement un Traité des convulſions dans l'enfance, couronné par la faculté de médecine de Paris, et par le Cercle des Philadelphes du Cap François, erigé depuis en Société royale des Sciences et Arts. A Paris, chez Theophile Barrois le jeune, Libraire. 1789. 8. pagg. 464.

i. e.

Opera medica, ſiue collectio diſſertationum in variis academiis praemiis ornatarum. Auctore

re BAUMES, medicinae doctore, et variarum academiarum ſocio. Tomus ſecundus. Complectens tantummodo vnum tractatum de conuulſionibus aetatis infantilis, praemio ornatum a facultate medicorum Pariſina, et ſocietate philadelphorum in promontorio Gallico, quae poſtmodo ſocietas regia ſcientiarum et artium facta eſt.

Hic tractatus clariſſimi BAUMES doctrinam, acumen ſtudiumque indefeſſum ſatis teſtatur. Videtur auctor hanc materiam exhaurire voluiſſe, neque dubitari poteſt, eam a noſtro, omni habito reſpectu, tractatam fuiſſe. Ipſe fatetur, conſilium ſibi fuiſſe, in vnum doctrinae caput cogere et colligere primaria facta, quae argumentum illud grauiſſimum illuſtrarent, adeoque inquirere, quae ſint variae ſpecies conuulſionum in infantibus, quae cauſae eas gignant, quibus mediis tales conuulſiones poſſint caueri, quaque ratione ſingulae earum ſpecies adgrediendae ſint. Genus conuulſionum plures complectitur morbos infantibus proprios, v. c. motus conuulſiuos ſiue conuulſiones proprie dictas, ſpaſmum maxillae, colicam neonatorum, ſingultum, vomitum, incubum, icterum ſpasmodicum, ſtrabiſmum, eclampſiam et epilepſiam, tuſſim conuulſiuam et choream ſancti Viti. Hunc campum noſter percurrere inſtituit. Inter cauſas conuulſionum refert conſtitutionis vitia, noxios aëris corrupti effectus, abuſum ciborum potuumque, errores in ſomno ac quiete, vigilia et exercitatione commiſſos, ſtatum excretorum et retentorum, effectum irritamentorum phyſicorum et mechanicorum, vim morborum acutorum et chronicorum, animi pathemata, reuolutionem pubertatemque. Haec omnia auctor ordine

dine docteque perſequitur. Affectionum conuulſivarum a patre aut matre ad liberos transmiſſionem magno numero factorum analogorum demonſtrat. Tum vitia examinat conſtitutionis naturalia, quae infantes ad conuulſiones pronos reddunt. Deriuat ea a ſtatu machinae humanae in prima vitae periodo, hocque reſpectu recenſet omnes inductiones plus minusue probabiles, quas anatome largiri poteſt. Vbi vitia enumerat acquiſita, quae conuulſiones aetati infantili magis familiares reddunt, praecepta dat vtiliſſima ratione aëris, temperaturae, veſtitus, potus, alimentorum, quietis, exercitationis ſomnique. Gratia ei habenda eſt, quod e variis auctoribus omnes obſeruationes cognitu dignas ſuper hoc argumento collegit. Medelam variam, quam variae affectiones conuulſiuae exigunt, ſemper accurate accommodat cauſis, circumſtantiis, temperamento, tumque demum remedia empirica admittit, ſi effectus eorum certo demonſtrati ſunt. Praeterea haec remedia non debent omnibus in caſibus adhiberi, poſſuntque interdum nocere, niſi ad indicationes attendas, ſecundum quas aut vſurpanda aut reiicienda ſunt. Noſter diuerſas has indicationes diligenter diſtinguit, ſicque diſſertatio haec non minus vtilis quam ob doctrinam ſpectabilis eſt.

## XIII.

Oeuvres médicinales, ou Recueil de prix remportés en diverſes Académies par M. BAUMES, Docteur en médecine, Membre de pluſieurs Académies. Tome troiſième. Contenant 1) un mémoire ſur des effets des émanations marécageuſes ſur l'économie vivante, 2) un mémoire ſur l'uſage du quinquina dans le traitement

ment des différentes eſpèces de fiévres rémittentes. A Paris, chez Barrois. 1790. 8.

i. e.

Opera medica, ſiue collectio diſſertationum in variis academiis praemiis ornatarum. Auctore BAUMES, medicinae doctore, et variarum academiarum ſocio. Tomus tertius. Complectens 1) diſſertationem ſuper effectibus exhalationum paludoſarum in oeconomiam viventem, 2) diſſertationem ſuper vſu corticis peruuiani in cura variarum ſpecierum febrium remittentium.

Prima huius voluminis diſſertatio praemio anno 1789 ornata eſt a ſocietate regia medicinae Pariſina, ſpectatque quaeſtionem hanc: *obſeruationibus determinare, qui morbi oriantur ex emanationibus aquarum ſtagnantium terrarumque paludoſarum, ratione habita tum eorum, qui iuxta habitant, tum eorum, qui in illis exſiccandis occupantur, quibusque modis iſti morbi caueri curarique poſſint.*

Priusquam definiri poſſet, quinam morbi ex emanationibus paludoſis naſcantur, demonſtrandum erat, haec effluuia vere exſiſtere, noxiaque fieri, tumque examinandum, quae ſit veneni eorum indoles atque natura. Igitur clariſſ. BAUMES primo loco ſiſtit examen comparatiuum aëris atmoſphaerici locorum a paludibus remotorum eudiometro FONTANAE inſtitutum. Iam ipſi ſenſus nos docent, in aëre paludoſo humiditatem inſignem, ſpiritum rectorem, denique materias inuiſibiles flammam ſponte ſua concipientes contineri. Chemiae recentioris ope in eo detegimus aliquid aëris inflammabilis (*gaz hydrogène*), aëris phlogiſticati (*gaz azotique*), aëris fixi

fixi (*gaz acide carbonique*), et aëris alcalini (*gaz ammoniacal*); ex quibus coaleſcit illa miſtura, quae aër inflammabilis paludum (*gaz hydrogène des marais*) nuncupatur.

p. 15. „Cum atmoſphaericus aër, inquit noſter, locorum paludoſorum principia contineat, quorum „natura propemodum accuratiſſime definita eſt, non „amplius licet noxium eius in corpora viuentia influxum negare aut in dubium vocare, quandoquidem principiorum memoratorum in oeconomiam „animalem actio factis longe certiſſimis demonſtrata „eſt. Adde quod, cum aër ibi ſit ponderoſior, minus elaſticus, complectaturque materias admodum „acres, iam his de cauſis nemo non fateatur neceſſe „eſt, eum non poſſe non noxam inferre ſolidis fluidisque partibus, illas relaxando ſimulque contrahendo, has inſpiſſando inſimulque diſſoluendo; „verbo, eum debere letales in hominem in ſtatu tam „ſano quam morboſo vires exſerere. Duplex haec „aſſertio fuſius eſt explananda, adque eam demonſtrandam argumenta quaeramus apud locorum paludoſorum incolas in populationis decremento, media durationis vitae diminutione, differentiis mortalitatis relatiuis, conſtitutione phyſica ac morali „incolarum, denique natura et indole morborum „ſporadicorum ac popularium.“

Imago haec a noſtro exhibita, quaeque praeterea de hac re accurate monuit, nobis ita videntur comparata eſſe, vt aëris paludoſi inſalubritas a nemine poſſit in dubium vocari. Hac occaſione oblata ſimul clar. auctor multa theoriae capita obiter illuſtrat. Ex iis, quae de conſtitutione particulari incolarum locorum paludoſorum morbisque illis propriis expoſuit, ſatis apparet, quam praeclare machinae humanae rationem et oeconomiam calleat. Quae de cachexia bilioſa endemica in locis paludoſis etc. docuit,

docuit, digna ſunt, quae inprimis diligenter conſiderentur. Clariſſimus auctor argumenta enumerat certiſſima horum variorum effectuum aëris paludoſi, poſtque confutat ceteras harum ſanitatis perturbationum explicandarum rationes. Inquirit, quousque influxus miaſmatum paludum peruenire queat, quae cauſae illis faueant aut contrariae ſint, quo tempore iſta miaſmata indigeant ad febrem intermittentem gignendam, qua ratione in oeconomiam viventem ſeſe inſinuent effectusque ſuos producant, denique qui verus ſit character febrium paludoſarum. Monet, conſuetudinem corpus ita disponere, vt ab hisce effluuiis inſalubribus minus violenter afficiatur, cum illi, qui e locis ſanis in paludoſos deuenerunt, rariſſime diu ab effectibus noxiis horum miaſmatum liberi maneant. Iam ſeſe ad media conuertit, quibus emanationes iſtae noxiae tolli queant. Paludes ſunt exſiccandae aut ſub aqua ſubmergendae; medium hoc eſt primarium et efficaciſſimum. Ad finem huius diſſertationis medela proponitur variis ſanitatis perturbationibus accommodata, quae ab effluuiis lacuſtribus oriundae ſunt.

Altera diſſertatio huius voluminis tertii anno 1785 praemium reportauit a ſocietate regia medicinae primarium ſuper hac quaeſtione: *quae ſit vtilitas, et quae noxa corticis peruuiani in medela variarum ſpecierum febrium remittentium adhibiti.*

Priusquam de vſu corticis peruuiani in febribus remittentibus noſter agit, primum accurate copioſeque de natura et characteribus variarum ſpecierum febrium in vniuerſum, ſingulatimque earum, quae claſſem remittentium conſtituunt, diſſerit.

„Vt febris, inquit, ad ordinem remittentium p. 14.
„vere pertineat, non ſatis eſt, eam incrementa et
„decrementa relatiua motuum febrilium habere;
„ſed praeterea oportet, vt ſucceſſio paroxyſmorum

„et remiſſionum propemodum periodica ſit, vtque „inuaſio paroxyſmi ſine cauſa peregrina accidat, at„que etiam remiſſio ſponte ſua fiat. Sine his condi„tionibus eſſentialibus omnes febres forent remitten„tes, quoniam nulla fere febris datur, quae vere ſit „*homotonos*. Ad notam magis characteriſticam huius „generis remittentis obtinendam, neglecta illa ratio„ne, quam inſultus febriles reſpectu totalitatis, du„rationis, aut ſymptomatum diuerſa eorum tem„pora definientium inter ſeſe habent, quoniam haec „tempora in nonnullis circumſtantiis confunduntur, „poteſt curſus rapiditasque paroxyſmi vſurpari. Igi„tur qualiscunque febris remittens fuerit, morbus „ſemper motu accelerato ad ſummum gradum ten„dit, poſtque ab eo rurſus recedit. Ideoque exacer„batio febris remittentis ſemper agnoſci poterit, ſi „mutatio ſtatus aegroti in peiorem melioremue cum „temporis, quo haec mutatio facta eſt, breuitate „coniungatur.“

His praemiſſis, clar. BAUMES curſum deſcribit huius febris, adque febres remittentes peripneumonicas, hepaticas et ſoporoſas delatus accurate expendit horum morborum cauſas, typum, indolem characteriſticam, denique complicationes eorum naturam immutantes. Accuratio his in conſiderationibus conſpicua textum auctoris ad verbum transcribere nos cogeret, ſi eum preſſo pede ſequi vellemus. Igitur ſatis eſſe debet, obſeruationes ipſius in epitomen coëgiſſe. Miaſmata, quae febres remittentes generant, duas conſtituunt ſpecies. Quod indolem harum febrium ſpectat, agnoſcit noſter putridas, inflammatorias, bilioſas et pituitoſas, praetereaque obſeruat, hanc indolem ab anni tempeſtatibus, quibus graſſantur, dependere. Vbi haec omnia fuſe ſicque, vt nihil amplius deſideres, pertractavit, tranſit ad complicationes. Sub complicationis

voca-

vocabulo, inquit, intelligenda ſunt tum certa vitia conſtitutionis, v. g. exceſſus irritabilitatis aut atoniae, tum imbecillitas relatiua alicuius organi, et cerebri, pulmonum, meſenterii, tum principium morbificum in partibus ſolidis infixum, vt nimia rigiditas aut mollities, vel fluidis inhaerens, vt virus herpeticum, arthriticum, pſoricum, venereum, ſcorbuticum, tum certae laeſiones conſtitutiuae affectionis chronicae, v. c. obſtructiones, vlcerationes viſcerum, tum denique morbus acutus coincidens, ſed maior, vt febris ſtercoralis, verminoſa. Ad finem diſſertationis huius meditationes leguntur de cortice peruuiano flauo et rubro, variaque ſuccedanea huius medicamenti enumerantur.

Volumen quartum operum medicorum clariſſimi BAUMES propediem prodibit, continebitque tractatum integrum de phthiſi pulmonum, a ſocietate regia medicinae Pariſina praemio ornatum.

## XIV.

## Noua literaria.

*Conſeſſus publicus academiae ſcientiarum, artium literarumque elegantiorum* Diuionenſis.

Die 28 Auguſti anni 1791 academia Diuionenſis ſcientiarum, artium, literarumque elegantiorum conſeſſum publice habuit. Et primum quidem clar. CHAUSSIER, ſecretarius academiae perpetuus, ſequentia ad academicos retulit.

Academia propoſuerat quaeſtionem, cuius optima ſolutio hoc in conſeſſu praemio ornaretur, hanc: *determinare rationes, quae noſtris diebus febres catarrhales tam frequentes reddunt, cum tamen febres inflammatoriae morbique bilioſi, qui ſeculis praeterlapſis admodum vulgares fuerunt, quotidie rariores fiant.*

Quam quaeſtionem cum academia doctis disceptandam proponeret, probe intellexit, quantum eius ſolutio ſtudii, ſcientiae meditationisque requireret. Profecto non ſatis eſt, praecepta aliquot generalia obſeruationesque nonnullas a ſe inuicem disiunctas ſuper natura decurſuque morborum collegiſſe; ſed definiendum eſt, quasnam reuolutiones climata apud nos ac temperamenta ſubierint, vt character morborum tantopere immutaretur. Quo conſilio examinandus eſt influxus regiminis, habitudinum, morum ipſiusque adeo rationis imperii, quandoquidem nequit negari, harum omnium rerum magnam eſſe vim in characterem populorum tam moralem quam phyſicum effingendum. Etſi enim haec illarum vis pedetentim clanculumque exſeritur, mutatio tamen populorum characteri per eam inducta neminem, qui tales res diligenter intuetur, poteſt effugere. Id quidem conſtat, experientiaque certiſſime confirmatur, in populo per luxum facto ac ſub iugo deſpotiſmi gemente morbos eſſe frequentiores, diuturnos, irregulares, remedia poſtulare multiplicia, omnibusque notam impreſſam eſſe, qua debilitas nimiaque ſenſibilitas indicantur. E contrario apud populum liberum omnesque ſuas facultates exſerentem morbi non modo rariores ſunt minusque longi, ſed etiam ſuo in decurſu regularitatem ſeruant characteremque gerunt, vnde ſatis apparet, quantum roboris viriumque talium hominum natura habeat. His penſitatis credere fas eſt, tempus, et quidem mox, venturum eſſe, quo omnes iſti morbi a languore et debilitate profecti, omnes affectiones neruoſae noſtris diebus tam frequentes euaneſcant: hocque beneficium in Galliâ morum regenerationi politicae conſtitutionique liberae ſapienter inſtitutae vnice debebitur.

Hoc

Hoc reſpectu ſi quaeſtionem ab academia propoſitam intueare, digniſſimam eſſe concedas neceſſe eſt, quam perinde Philoſophi, ac Medici ſumma attentione animi complectantur. Sed quantumuis gravis ſit, alia res maioris ſane momenti omnium in Gallia eruditorum animos occupauit, quo minus, quod academia ſperauerat, praeſtarent. Intellexit id academia; ne tamen haec quaeſtio tam grauis negligatur, vtque eruditi ſat otii habeant ad ſcriptiones ſuas ſuper hoc argumento, quoad eius fieri poſſit, expoliendas ac perficiendas, placuit academiae in annum usque 1792 iudicium de quaeſtionis ſolutionibus ferendum prorogare. Igitur ad primum vsque diem Aprilis 1792 diſſertationes ſuper hoc argumento ad ipſam mitti poterunt. Praemium eſt 600 librarum Gallicarum, dabiturque in conſeſſu publico menſe Auguſto 1792 habendo.

In eodem conſeſſu academia aliud dabit praemium pro ſolutione quaeſtionis ad proceſſum artificii perquam neceſſarii perficiendum ſpectantis. Notum eſt, pileos fabrefieri ex lana aut variis animalium pilis, ex quibus conflatur materies illa, quae *feutre* dicitur. Sed ad hanc materiem formandam media mechanica hucusque cognita non ſufficiunt, oportetque, vt prius operatio inſtituatur, quae ab artificibus *ſecretage* dicitur, quoniam diu in artificum ſecretis numerata fuit. Haec operatio principiis chemicis innititur, hucque redit. Pili leuiter humectantur penicillo ſolutioni hydrargyri nitroſae immerſo. Haec ſolutio hunc quidem vſum habet, quod proceſſus *feutrage* dictus facilior fit; ſed praeter impenſas tunc neceſſarias hoc habet incommodum, quod diligentiſſime praeparanda eſt, pileorum indolem immutat, quodque grauius eſt, ſanitati artificum noxam poteſt inferre. Mouit res academiam, vt quaeſtionem, cuius ſolutionem optimam praemio ornabit,

proponat hanc: *non modo determinare, quae ſit actio ſolutionum metallorum acidarum in pilos ad pileos conficiendos adhibitos, ſed etiam experientia praeeunte media indicare, quibus idem finis per praeparationes ſimpliciores, minorum ſumtuum, inprimisque ſanitati artificum minus noxias obtineri queat* (*non ſeulement déterminer quelle eſt l'action de diſſolutions acides métalliques ſur les poils employés dans la fabrication des chapeaux, mais encore indiquer d'après l'expérience les moyens de remplir le méme objet par des préparations plus ſimples, plus économiques, et ſurtout moins nuiſibles à la ſanté des ouvriers.*

Poſtremo CHAUSSIER literas praelegit ab academia ad agricolas mittendas, quibus illi inuitantur, vt cum academia cogitata ſua et obſeruationes non modo ſuper variis culturae agri methodis mediisque eius perficiendae, verum etiam ſuper educatione, cura, morbisque pecudum, omninoque tota oeconomia rurali communicent.

Clariſſ. GROSSART recitauit *commentationem ſuper mediis inſtrumenta parandi e reſina elaſtica, lagenis, quae e Braſilia ad nos transuehuntur, ad id adhibitis.*

Iam dudum reſina elaſtica Cayennenſis (*Caoutchouc*) eruditis artificibusque digna viſa fuit, cuius proprietates accurate perquirerent. Singularis huius ſubſtantiae elaſticitas, flexibilitas eius, quodque a plerisque corporibus vix quidquam immutatur, effecerunt, vt variis in artibus vtilitatem inſignem praeſtare poſſe videretur. Sed ad nos fere ita formata affertur, vt vſus eius non poſſit non perquam exiguus eſſe. Satis conſtat, hanc ſubſtantiam natam eſſe a ſucco arboris ad familiam Euphorbiarum pertinentis, quae in Cayenna ſponte creſcit, nuperque etiam in Inſula Franciae reperta eſt. Is ſuccus, qui ex arbore per inciſionem elicitur, reſinarum ad in-

ſtar

ſtar concreſcit, ſique adhucdum fluido vti liceret, facile ex eo confici poſſent vaſa, tubi, aliaque inſtrumenta in artibus neceſſaria: ſed temporis proceſſu mutatur, calore decomponitur, tumque ſuas perdit proprietates. Dubitari nequit, ſi alcohol, aether aliaue ſubſtantia congrua adiungeretur, iſtum ſuccum poſſe facilius conſeruari, ſic vt eius proprietates nihil paterentur mutationis: ſed talia nondum fuerunt tentata, et quidquid huiusce ſucci hactenus ad nos allatum eſt, iam aliquam decompoſitionem ſubierat. Nimis taedioſum arduumque foret, in illa loca, vbi arbor hunc ſuccum generans reperitur, inſtrumentorum, quibus indigemus, formam mittere, vt illic e ſucco arboris recenti conficerentur. Cum igitur magnam copiam lagenarum e reſina elaſtica factarum habeamus, viſum eſt viris doctis, fieri poſſe, vt ex huiusmodi lagenis inſtrumenta, quibus indigemus, conflarentur. Quo conſilio varia tentamina inſtituta ſunt, vt reſinae elaſticae fluiditas primitiua rurſus conciliaretur, eaque ita ſoluerentur, vt nulla proprietatum ipſius periret. Aqua quidem, alcholque eam vix adgrediuntur. Ignis eam liquat funditque, ſed ſimul eius naturam alterat. Olea pinguia, in quibus calces metallicas coxeris, calore accedente reſinam hanc penitus ſoluunt, ſicque obtinetur vernix mollis, aëri et aquae impervia, acidisque ſat diu reſiſtens. Notum eſt, aëronautas claros, CHARLES et ROBERT hac vernice machinam ſuam aëroſtaticam obduxiſſe. BERNIARD, artifex ingenioſus, ſolutione ſimili contexta ſericea aut lintea obueſtit, eodemque artificio ſpecilla flexibilia aliaque inſtrumenta in chirurgia vtiliſſima fabricat.

(Reliqua proxime.)

---

Contenta

## Contenta in hac parte.


I. Giornale per ſervire alla ſtoria ragionata della medicina di queſto ſecolo. Tom. V. p. 3
II. BANGS *Auswahl a. d. Tageb. d. königl. Friedrichskrankenh zu Kopenh. 1 u. 2ter Th.* p. 56
III. VASSALLI letere fiſico-meteorologiche p. 96
IV. PICI meletemata inauguralia; et DARDANA in Agaricum Campeſtrem veneno infamem Acta p. 102
V. WERNERS *neue Theorie v. d. Entſteh. d. Gänge m. Anwend. auf den Bergbau* p. 113
VI. Transactions of the Royal Society of Edinburgh. Vol. I. p. 126
VII. Che la Platina Americana era un metallo conoſciuto dagli antichi p. 148
VIII. GIL Diſſertazione fiſico-medica p. 150
IX. GIRTANNERS *neue chemiſche Nomenclatur für die deutſche Sprache.* p. 157
X. DUSSAUSOY'S *Abhandl. üb. d. Radikalkur des Waſſerbruchs durch das Aezmittel* p. 161
XI — XIII. BAVMES Oeuvres médicinales. T. I—III. p. 165. 172. 174
XIV. Noua Literaria p. 179

# COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.




## VOLVMINIS XXXIV. PARS II.

LIPSIAE, MDCCXCII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Pr. Elmsly, Edinburgi apud Elph. Balfour, Lugd. Bat. ap- Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi Iunior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Mediolani apud Ios. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Gui bert et Orgeas, Florentiae apud Ios. Molini, Holmiae apud M. Swederum, Lisbonnae apud M. Borell et Socios, Lausannae apud I. H. Pott.


Jos: Banks

I.

Hiſtoire et Mémoires de la Société des Sciences Phyſiques de Lauſanne. Tome troiſieme. Années 1787 et 1788. A Lauſanne, chez Mourer, Libraire. MDCCXC. 4. Hiſtoria pagg. 80. Diſſertationes pagg. 404. Cum tabb. aenn. 4.

i. e.

Hiſtoria et commentationes ſocietatis diſciplinarum phyſicarum Lauſonenſis. Tomus tertius. Pro annis 1787. 1788.

De tomis duobus prioribus actorum huius ſocietatis alio eſt tempore in noſtris commentariis actum *).

Iam tertii tomi contenta videamus.

Ex hiſtoria ſocietatis huic tomo actorum ipſius praemiſſa ſequentia videntur excerpenda.

Ex quo tempore alterum actorum volumen pro- Hiſtor.
diit, facti ſunt clar. DE LA METHERIE membrum p. 1.
honorarium, clar. GAVSSEN, clar. DE GE'LIEU et clar LANGSDORF, director ſalinarum Baruthinarum, membra ordinaria.

Clariſſimus WILD nonnulla experimenta ſuper p. 13.
electricitate catarractarum cum ſocietate communicauit. Sub certis circumſtantiis haec electricitas maximum electrometri Sauſſuriani attingit. Semper eſt negatiua. WILDIVS eam ſemper reperit for-



*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXXIII. Part. I. p. 95. ff.

tiorem iis in locis, vbi aqua in particulas diuiſa perquam exiguas ab aëre, qui ex aqua cadente elicitur, vehementius agitaretur. Vidit, iſtos aquae vapores ab hoc aëre ſolui, ſuſpicaturque, ingentem horum fluminum electricitatem vaporum ſolutionem facilem reddere. Iam quod cauſam huius electricitatis ſpectat, quaerit w., num fluidum electricum prius in aqua inſit, et, quemadmodum aër, eliciatur; num ortum ſuum ab attritu trahat; num ſuper particulis aquoſis, vti ſuper vitro, reſinis etc. accumuletur. Has quaeſtiones in poſterum examinabit. — — Clariſſ. VOLTA, qui hoc experimentum in multis catarractis repetiit, hoc phaenomenon in literis ad clariſſ. LICHTENBERGIVM datis ingenioſe explicat. Obſeruauit, catarractas vel minimas, modo ſint in loco aperto, pariter electricitatem negatiuam producere: quid, quod in aquis artificio hydraulico in altum proſilientibus talis electricitas apparet. Iam VOLTAE explicatio huc redit. Aqua dum per euaporationem in vapores elaſticos mutatur, omnem ſibi vindicat ſtratorum aëris ambientium electricitatem, quae cum in aquae vaporibus lateat, aër fluido ſuo electrico priuatus non poteſt non electricitatis negativae phaenomena exhibere. Hinc fit, vt eo in loco, vbi aqua maxime diuiſa eſt, electricitatis gradus ſummus ſit, quoniam ibi euaporatio maxima eſt. Apparet quoque, cur, etſi inſtrumentum in ipſam pluviam non immerſeris, ſed tantummodo iuxta poſueris, tamen ſigna cernantur electricitatis perquam fortis. Simulque intelligas, aërem ex aqua euolutum, cum fluido careat electrico, non poſſe non in inſtrumentum vehementer agere. Denique facile eſt intellectu, cum electricitas ſemper ſit negatiua, ſemperque fortior illic, vbi euaporatio eſt maxima. Obiiciat quis, nebulam aqua factam, quae ibi, vbi catarrhacta eſt, ſurgit, quoniam cum terra coniuncta eſt, aër

aëri electricitatem amiſſam reddere debere. Sed clar. VOLTA regerit, hanc nebulam, cum conductor malus ſit, aëri non poſſe tantum reddere electricitatis, quantum illi per euaporationem aufertur, adeoque aërem ſemper manere electricitate priuatum. Hanc theoriam VOLTA in ſcriptione peculiari, cuius pars iam in diario Italico prodiit *) longe fuſius expoſuit.

Clariſſ. REYNIER in litteris ad clar. VAN BERCHEM filium datis de fulgure, quo eccleſia cathedralis Veveyenſis die 7 Iulii 1787 icta fuit, phaenomenisque in hoc aedificio tum oblatis refert. p. 14.

Clariſſ. LEVADE, Medic. Doct., deſcribit maxillam humanam in ſepulchris ſuper Vevey repertam, ob numerum ſitumque dentium notabilem. Icon addita eſt hanc maxillam exhibens. — In iis ſepulchris, in quae aqua non potuit penetrare materiasque peregrinas conuehere, inuenta eſt terra rubra, ſubtilis, exigua quantitate, genuina humus animalis. p. 16.

Clar. THOMAS, Fenaleti in terra Aigle degens, per literas cum ſocietate communicauit nonnullas obſeruationes ſuper motacilla phoenicuro (*roſſignol de muraille*, vulgo *rouge-queue*, et idiotiſmo plebis *rodze cua*). Haec auis a montium incolis magni aeſtimatur, quoniam veris eſt nuntia. Credit THOMAS variis motus argumentis, quae hic enumerantur, motacillam phoenicurum, quemadmodum marmotam, hyemem in rupium foraminibus tranſigere ſopore ſepultam.

Clar. BREZ obſeruationes entomologicas ſuper larua ſtaphylini cum ſocietate communicauit. Hoc p. 18.



*) Intelligenda videtur bibliotheca phyſica BRUGNATELLI. Huius Bibliothecae recenſionem breui nos in commentariis noſtris daturos eſſe ſperamus.

genus inſectorum iam antiquiſſimis naturae ſcrutatoribus, vt Plinio, Ionſtono etc., notum fuit. Sed quae de iis cognita ſunt, fere mera ſterilique nomenclatura continentur. Inprimis laruae eorum nymphaeque, perinde ac plerorumque coleopterorum, fere neglectae manſerunt. DEGEERIVS quidem ac GEOFFROY quae de illis retulerunt, perpauca ſunt nec ita comparata, vt naturae ſcrutatori in horum animalium naturam diligentius inquirenti ſatisfaciant. Contigit BREZIO, vt laruam ſtaphylini in excrementis vaccae reperiret. Domum eam detulit, vt eius tum oeconomiam commodius obſervaret, tum deſcriptionem accuratius conſignaret. Sperabat, ſe hiſtoriam eius completam daturum eſſe, ſed cum ante vltimam metamorphoſin mortua ſint, non potuit BREZIVS niſi de ſola larua, ac ne de hac quidem ſic, vt omnia exhauriret, ad ſocietatem referre. Haec relatio tanquam prodromus eſt obſeruationum, quas BREZIVS ſuper laruis non modo huius generis, ſed omnino coleopterorum, inprimisque ſcarabaeorum colligere inſtituit. Deſcriptio huius laruae a BREZIO data eius tum anatomen tum phyſiologiam ſpectat, admodumque adcurata eſt. In icone adiuncta ipſa larua nonnullaeque eius partes maxime notabiles exhibentur. Monet B., ſtaphylinorum laruas non minus, quam ipſos ſtaphylinos, carniuoras eſſe. Horum quanta ſit voracitas, quantumque ſint inſectis metuendi, ſatis conſtat. Vidit B., ſtaphylinum murinum, etſi iam ante plures horas acu perfixum, tamen duas formicas alatas deuoraſſe. Senſibilitas ſtaphylinis perquam exigua eſt. — Obiter B. entomologos hortatur, vt in inſectis denominandis nomina ſignificantia, id eſt, inſectorum naturae accommodata, eligant.

p. 23. Sequuntur obſeruationes clariſſ. LEVADE de hiſtoria veſparum naturali. Veſpas vulgares toto fere menſe

menſe Octobre 1788. vidit L. in muſcas ingruere, eas prehendere, pedes earum alasque euellere, ſicque mutilatas in ſuas, vt videbatur, habitationes auferre. Cum certis temporibus inteſtinum in veſparum republica bellum veſpis exitioſum cooriri dicatur, qua de re pulcher apud BOMARIVM locus eſt *), etiam ALEVADIO laudatus, primum L. arbitratus eſt, veſpas iſtas eſſe reliquias alicuius examinis, quae fugere coactae vitam agerent ſolitariam, illasque muſcas in habitationes ſuas hiemales deferrent, vt ad veris vsque reditum viuere poſſent. Sed didicit forte fortuna, has veſpas adhuc rempublicam conſtituere integram. Credit iam, bellum illud, quo perire veſpae dicuntur, fabulam eſſe, haecque inſecta potius hieme aduentante ob cibi inopiam talparumque, murium etc. inſidias perire. Matres tamen fecundas arbitratur ad rempublicam vere inſequente reſtaurandam muſcas colligere, vt illis neceſſitate vrgente veſcantur. ARISTOTELIS, quem fidum dicit naturae obſeruatorem, locum de viuendi ratione trium ſpecierum veſparum laudat. Veſpas poſſe cicurari, ſua ipſius experientia didicit. Pollicetur, ſe veſparum oeconomiae perueſtigandae operam porro daturum eſſe.

Idem vir clariſſimus cum ſocietate obſeruationes ſuper balneis Luëchenſibus (*les bains de Louëth*) in Helvetia communicauit. Primum de ſitu horum balneorum agit, naturamque montium vicinorum deſcribit. Reperiuntur ibi montes calcarei primitiui. Fons maior calorem habet 42 — 45 graduum ſcalae Reaumurianae. Tanta ibi aquae copia ſcaturit, vt rotam molae verſare poſſet. Aqua haec etſi per- p. 46.

 quam

*) Dictionaire raiſonné univerſel d' hiſtoire naturelle, etc. Troiſieme édition. Lyon. 1776.

quam calida, non eſt guſtu ingrato, ac fere omni caret ſapore. Nihil tenet ſulphuris, nec aëris fixi, crocum tamen martialem vehit, eumque in curſu ſuo deponit. Praeterea duae ſunt res notandae. Prima, quod haec aqua plantas marcidas immerſas virides denuo reddit, cum tamen huiusmodi plantae in aqua vulgari ad eandem temperaturam calefacta protinus coquantur. Altera, quod, etſi haec aqua iam natura ſua tantopere calet, tamen ad ebullitionis gradum ei impertiendum fere tantum temporis neceſſarium eſt, quantum requiritur, vt aqua alia frigida prope iſtam featuriens, cuius calor eſt tantummodo ſeptem octove graduum ſuper puncto congelationis, ad ebulliendum perducatur. — Alii fontes nec tam copioſi ſunt, neque tantum calent. Calor eorum eſt 30-40 graduum. Nonnulli maiorem vehunt quantitatem croci martialis, alii deponunt ſedimentum limoſum nigrum, quod limus martialis eſſe videtur, ſulphure niger factus, aut potius a decompoſitione ſchiſtorum pyriticorum ortus; quae decompoſitio veroſimiliter caloris conſtantis harum aquarum cauſa eſt. — Mittimus ceteros a noſtro commemoratos. — Quod ad vires harum aquarum medicas attinet, in vniuerſum efficaces noſtro videntur contra dolores rheumaticos; vel tum, cum humor articulationibus infixus omnem motum impedit. Praeterea videntur illis in morbis vtiles eſſe, quorum cauſa primaria principium aliquod herpeticum aut pſorae reperculſae eſt. Preſſio enim, quam hae aquae excitant, ad iſtos humores eliminandos purificandosque plurimum confert. Inprimis videntur efficaces in omnibus morbis a nimia rigiditate fibrarum muſcularium vel neurearum oriundis. Hinc multum iuuant ſenes, quorum partes ſolidas conſtat obrigeſcere et exſiccari, qua re curſus fluidarum impeditur. Partes ferruginoſae magneſiaque vitriolata, quas hae aquae tenent, poſ-

ſunt

sunt eas aperientes reddere. Quod si earum potus cum balneis coniungitur, vtiles fiunt in sexus sequioris infirmitatibus, obstructionibus, menstruis per nimiam rigiditatem fibrarum vasorum vteri sanguiferorum aut nimiam sanguinis menstrui spissitudinem retardatis.

Clariss. REYNIER coram societate recitauit ob p. 49.
seruationes mineralogicas, super colle, cui pagus Cossonay in Heluetia superstructus est. Strata hunc collem efformantia diligenter describuntur. Sunt haec: 1) terra vegetabilis, 2) argilla plus minusue obscure cinerea, hic illic gypsi striati venas continens, 3) lapis arenaceus, 4) marga, 5) terra calcarea grisea, fortem odorem bituminis exhalans, quando diffringitur aut vehementer teritur, cui hic illic marga est interiecta, nihil, quod mirum, materiae bituminosae continens. Sub colle positum est stratum lapidis arenacei, qui adeo peruetustus sit oportet. — Prope pagum dictum aqua scaturit mineralis, quae REYNIERO continere videtur nonnihil ferri sulphurisque, nam album sedimentum demittit. Nisi forte solummodo acidum vitriolicum in ea insit, id quod cum sententia comitis DE RAZOUMOWSKY congrueret, qui demonstrauit, hoc principium maxime commune aquarum esse, quae pro sulphureis vulgo habentur, idemque videtur inde consequi, quod aqua ista sub strato gypseo prorumpit. Certiora discemus, vbi haec aqua, vt noster pollicetur, a comite DE RAZOUMOWSKY chemice explorata fuerit.

Clarissimus WILD communicauit cum societate p. 51.
iconem quadrupedis petrificati, inque museo Zieglerriano Winterthuri asseruati. Petrificatio haec in Helvetia reperta est. Nulla accedit eius descriptio. Icon tamen in tabula aenea sistitur.

Comes DE RAZOUMOWSKY misit ad societatem descriptionem oculi mundi vulcanici. Repertus est hic

lapis in foro Vulcani (*Solfatera*). Maſſam conſtituit irregularem, ſed magnam, vbique poros habentem exiguos, ſaepiſſime rotundos, interdum quadratos, elongatos aut irregulares. In nonnullis cauernulis veſtigia ſiſtit rubra, orta illa a decompoſitione ferri, qualia in aliquot lauis poroſis fereque argillaceis Veſuuii apparent. Vnde conſequitur, hunc lapidem ſingularem pro ſpecie lauae decompoſitae perque vapores acidos e vulcanis emergentes decoloratae haberi poſſe. Proprietates eius, quibus cum oculo mundi a clariſſimo RAZOUMOWSKY alibi *) deſcripto haud parum congruere videtur, ſunt hae. Colore eſt lacteo, opacus parumque ſplendens. Fractura plus minusue notabiliter concauo-conuexa. Durities minor, quam ſilicis, quandoquidem chalybi alliſus nullas ſpargit ſcintillas inque fragmenta exigua diſſilit. Pondus ſpecificum exiguum eſt, fragmentaque illa minuta, modo ſint fere plana cauteque aquae immergantur, ſic vt aliqua ex eorum ſuperficiebus aquam princeps ſubeat, veluti corpora leuiſſima in aqua ſuſpenſa tenentur. Linguae vehementer adhaereſcit. In aqua paucis momentis fit pellucidus, tumque colorem ſuecini contrahit. Igni expoſitus tinctum carneum nanciſcitur, ſique tum aquae denuo immergitur, rurſus, vt antea, pellucidus fit, ſed longiori temporis ſpatio, ſicque, vt colorem pulchrum rubrum carneoli contrahat.

p. 53. Clariſſimus WILD in literis ad clar. VAN BERCHEM, filium, ſcriptis refert, ſe fontem aquae ſalſae ditiſſimum ſtratumque lithanthracum, vt videtur, vberrimum detexiſſe. Prope hoc ſtratum, vsque ad alti-

*) Hiſtoire et Mémoires de la Societé des ſciences phyſique de Lauſanne. Tome premier. pag. 72. Vid. Comm. noſtr. Vol. XXXIII. P. I. p. 97.

altitudinem 8373 pedum Parisinorum, immensam vim petrificatorum maxime diuersorum reperit.

Etsi antiquitatum Heluetiae studium a societate tantummodo disciplinarum physiarum culturam profitente alienum est, tamen, cum haud contemnenda lux historiae ac geographiae Heluetiae haud raro inde affulgeat, placuit societati, inscriptiones Romanas in Heluetiae duabus regionibus (*le Pays-de-Vaud* et *le Vallais*) repertas ac nondum euulgatas historiae huic actorum suorum tomo praemissae a pagina 64 ad paginam 76 inserere. — Obiter de monte S. Bernardi, tempestatis maxime habita ratione, agitur. Hacque occasione etiam saxi peculiaris calcareo-micacei mentio fit. p. 73. f. p. 75. f.

Iam ad ipsas dissertationes nos conuertimus.

I. *Dissertatio super theoria incendiorum, eorum causis, mediisque ea cauendi et exstinguendi. Auctore Abb.* BERTHOLON. *Praelecta die* 1 *mensis Iulii* 1787. Dissertt. p. 1-30.

Incendia nemo dubitat inter acerbissimas humani generis calamitates referenda esse; vt praeclarissime de hominum salute mereri dicendus sit, qui ad hoc malum, quoad fieri potest, tollendum animum aduertat. Interdum incendia hominum imprudentia oriuntur, tumque politiae est, ea iubere, quibus caueri possint. Sed saepe etiam sponte sua nascuntur, tumque eorum causa fere ita abscondita est, vt malo non nisi magna cum difficultate occurratur. Constat, omnes materias flammae alendae idoneas maiorem minoremue quantitatem aëris inflammabilis continere. Iam clarissimi BERTHOLON theoria incendiorum huc redit. Pori lignorum sunt tanquam cauernulae, quibus particulae oleosae continentur, quae igne admoto rarae fiunt, tumque in vapores expanduntur ac decomponuntur, vnde nascitur magna vis aëris inflamma-

flammabilis, qui pedetentim e variis corporibus combuſtibilibus extricatur, paulatimque totus flammam concipit, quoniam partes inflammatis propinquae varios iſtos decompoſitionis ſtatus paſſu citato percurrunt, donec aër eliciatur: quod ſi cogites, quam mira quantitas aëris inflammabilis in corporibus inſit, quamque facile hic aër inflammetur, non amplius miraberis, incendia tam velocia ac grauia eſſe. Hac inflammationis theoria diligenter explicata, clariſſimus BERTHOLON plura exempla incendiorum ſponte ortorum enumerat. Apparet exinde, e ſubſtantiis animalibus aut vegetabilibus coaceruatis fermentando extricari ob partium oleoſarum decompoſitionem copiam ſufficientem aëris inflammabilis, qui vbi aërem atmoſphaericum contingit, per calorem iſtam fermentationem concomitantem inflammatur. Iam auctor varia proponit media incendiorum arcendorum. Facile intelligitur, cardinem rei verti in eo, vt ad aedificia parum eiusmodi materiae adhibeatur, vnde aër inflammabilis facile ſecedat, vel vt huius aëris euolutio inprimisque aëris atmoſphaerici contactus euitetur. Igitur multo minor lignorum copia ad aedificia exſtruenda ſumi debet. Adhibenda eſt contignationis methodus ab ANGO reperta, quae ipſa vulgari minus ſumtuoſa eſt. Ligna caeteraeque materiae inflammabiles, quibus opus eſt, prius ſunt oblinenda liquoribus ſalinis inflammationem impedientibus, v. c. ſolutionibus aluminis, vitrioli, ſalis eulinaris, ſalis alcalini etc. Ob hanc ſalium proprietatem vtiliſſimum foret, cineres clauellatos in ſiphonum recipula ingerere, ſiquidem aqua ſalina ignem efficacius, quam pura, exſtinguit. Poſſent aedificia etiam ſecundum methodos MAHONI aliorumque contra incendia ſic tuta praeſtari, vt ligna omnia ſubſtantia terrea inducerentur. Denique in vſum trahi poſſet FAXII lithopapyrus nuper reper-

perta, nec vero adhuc ita, vt meretur, cognita. — Haec vero omnia vt fiant, inprimis sunt principes cohortandi, vt in suis aedificiis exstruendis exemplum ciuibus imitandum proponant, praemiaque illis promittenda, qui media ista incendiorum arcendorum adhibuerint. — Tum auctor transit ad varios modos siphonum perficiendorum, vt aqua facilius efficaciusque proiiciatur. Describit et icone illustrat ventilatorem hydraulicum a CASTELLIO repertum, cuius vsum commendat. — Ad finem agit de politia incendiorum, ac mechanismo ad incendia a theatris arcenda necessario. Obiter docet, quo artificio aër in theatris aliisque huiusmodi locis publicis corrigi commode tutoque possit.

II. *Relatio accurata de somnambulismo a capitis ictibus orto. Auctore* L. LEVADE, *medicinae doctore. Praelecta die 6 Iulii* 1787. Adolescens quidam, ANTONIVS MONNET, Veveyensis, a magistro suo ebenista Yverduni verberibus male habitus, cum caput ei tempusque sinistrum plagis icta fuissent, in morbum neruosum, somnambulismum dictum, incidit. Aegro in oppidum Vevey delato, malum summa cum violentia prorupit. Arcessitus LEVADIVS miserum offendit, cum morbi insultu teneretur. Quatuor homines robusti eum prehenderant: oculi erant clausi, bulbi tamen ab vno cantho ad alterum motu continuo agitabantur; qui motus per palpebras clarissime apparebat. Videbatur aegrotus sese contra magistri verbera velle defendere, vimque vi arcere: conquerebatur acerbissime de ictibus, quos sibi infligi putaret, affirmabatque, nihil se fecisse, quod hanc poenam mereret, seque de hac violentia questurum esse. Haec viua voce admodumque distincte proferebat. Post tranquillus factus videbatur organi registra educere organoque quinque minuta p. 31—40.

nuta ludere: citharam ſuam aptabat ad eamque ſuaviſſime canebat. Saepe videbatur laboribus ſuis conſuetis ebeniſtae intentus, tumque motus varios, quibus ibi opus eſt, admirabili arte faciebat. Si forte inter canendum interrumperetur, poſtmodo ibi, vbi deſierat, canere perrexit. De rebus ad ſuam profeſſionem pertinentibus perquam intelligenter ratiocinabatur. Credebat, ſe homines videre, qui opus ſibi faciendum locare vellent: his operis rationem oſtendebat, pretium definiebat, obiectionibusque, ſi quae forte fierent, reſpondebat. Haec nonnunquam interrumpebantur conuulſionibus, membrorum extenſionibus, ſtridore dentium etc., aegrotusque de doloribus conquerebatur. Nullus ſtrepitus eum poterat expergefacere. Poſtremo inſultus oſcitatione terminabatur, quam exciperet pandiculatio, tanquam ſi aeger e ſomno profundo expergiſceretur. Nonnulla remedia a LEVADIO ei data venaeque ſectiones copioſae aliquid auxilii attulerunt, quandoquidem ſic morbi inſultus minus frequentes minusque vehementes facti ſunt. Sed cum chirurgi aegro audiente imprudenter dixiſſent, trepanationem tentandam eſſe, imaginario eius metu illius operationis capta neruos vix ſedatos denuo commouit, criſisque rurſus violentiſſima accidit, inter quam miſer in aedificio dementibus coërcendis Bernae dicato concluſus ſibi videbatur, dementiam ſuam trepanationi tribuens, infauſtum ſuum fatum miſerabili modo enarrans. Idemque inſultus ſeriem exhibuit cognitu digniſſimam variarum actionum, de quibus in noſtri diſſertatione diligenter refertur. Notamus LEVADIVM ſine trepanatione eo peruenisſe, vt aeger profeſſionem ſuam laboresque conſuetos reſumere poſſet. Sed fato infauſto, quod MONNETVM perſequi videbatur, accidit, vt, cum Lutetiam Pariſiorum proficiſceretur, in caput caderet, qua re prius malum recruduit. In oppidum Vevey reuerſum LEVADIVS denuo eodem

cum

cum ſucceſſu curauit. At enim inſignis, quam miſer perpeſſus eſt, totius ſyſtematis neruoſi concuſſio omnem ſpem tollit, fore, vt vnquam perſanetur. Inſultus quidem ſomnambuliſmi poſtmodo redierunt.

III. *Analyſis aquarum mineralium Amphionenſium prope Evian. Auctore* TINGRY. *Miſſa ad ſocietatem die 24 Auguſti*, 1787. p. 41—60. Hae aquae amoeniſſime ſitae ſunt ad litus meridionale lacus Lemani inter monaſterium Ripaillenſe et pagum Amphion. Clariſſ. TINGRY harum aquarum mineralium frigidarum perfectiſſimam hic analyſin ſiſtit. Continent inprimis aërem atmoſphaerico puriorem, aërem fixum, ferrum, maximeque terram calcaream; tum etiam, quanquam minore quantitate, ſelenitem, calcem ſalitam, alcali minerale, magneſiam terramque aluminarem. Notatu dignum eſt, ferrum his in aquis aëre fixo non ſolutum eſſe, ſed per ſolam diuiſionem mechanicam ſuſpenſum teneri; id quod auctor iam in aquis Driſenſibus, quarum dedit analyſin, pariter reperit. Aër fixus intime admixtus eſt, ſic vt non poſſit extricari, niſi per deſtillationem, idque admodum difficulter. Etiam poſt longam ebullitionem aliquid eius remanet. — Centum librae harum aquarum noſtro dederunt:

| | Drachm. | Gran. |
|---|---|---|
| Acidi aërei - - | 5 | $5\frac{5}{8}$ |
| Ferri mechanice diuiſi - | 0 | 15 |
| Selenitae - - | 0 | 54 |
| Calcis ſalitae - - | 0 | 12 |
| Alcali mineralis - - | 0 | 10 |
| Terrae calcareae - - | 2 | 8 |
| Magneſiae - - | 0 | 15 |
| Terrae aluminaris ſolutae - | 0 | 8 |
| Terrae aluminaris non ſolutae et quarzoſae - - | 0 | 12 |
| Materiae extractiuae reſinoſae - | 0 | 1 |
| Summa | 8 | $68\frac{5}{8}$ |

IV. *Diſ-*

p. 61— 70. IV. *Dissertatio de amalgamatione minerarum argenti ferarum et auriferarum ab ill.* BORNIO *introducta. Auctore* STRUVE, *professore. Missa ad societatem die* 25 *Decembris* 1787. Est haec dissertatio tanquam epitome operis Borniani classici *) sic vt simul principia examinentur, quibus processus amalgamationis illic propositus tanquam fundamento superstructus est. Vbi minera auri argentique contusa et elota est, sabula obtinentur metallica (*Schlich*). Iam processus Bornianus huc redit. Primum ista sabula maiorem diuisionem mechanicam molae ope subire coguntur. Post sali culinari remixta in furno reuerberii modicoque calore vstulantur. Quo facto, cum hydrargyro ope caloris infra gradum aquae ebullientis amalgamantur. Hydrargyrum superfluum per linteum exprimitur, et amalgama in linteo relictum destillatur, vt hydrargyrum secedat. Denique aurum argentumque obtentum exurendo purificatur (*affiner*). — Primariarum huius processus operationum hanc reddit STRUVIUS rationem. Prima diuisio mechanica sabulorum metallicorum ideo fit, vt superficie illorum aucta actio salis communis hydrargyrique in operationibus subsequentibus facilius procedat. Finis vstulationis multiplex est. Primum enim vstulatio substantias destruit aurum argentumque mineralisantes, v. g. sulphur, arsenicum etc.; cumque sulphur argentum minus valide, quam cetera metalla, appetat, primum ab argento abigetur. Tum metalla imperfecta

*) *Ueber das Anquicken der gold- und silberhaltigen Erze etc. Von* IGNAZ *Edlen* VON BORN, *Wien*, 1786. 4. Compendium huius operis, sed, auctore STRUVIO, satis obscurum, legas in Diario Rozieriano, Ianuar. 1787. pag. 47.

ſta vſtulando calcinantur, ſicque ab auro et argento, quae calcinari non poſſunt, ſecedunt. Denique hoc modo ſulphur decomponitur, acidique tum ſulphurei in metalla imperfecta actio magnam vim habet, vt aurum et argentum melius denudentur. Furnus reuerberii ad hanc operationem neceſſario requiritur, quoniam conſtructio eius ita eſt comparata, vt phlogiſton in metalla imperfecta parum agere poſſit; qua re illa promtius in calcem vertuntur. Haec calcinatio potentior fit, ſi, quantum fieri poteſt, aëri atmoſphaerico liber aditus conceditur. Ignis mediocris ſit oportet, ne minera conglutinetur, id quod eius vſtilationem praepediret. Sed primaria huius proceſſus pars haec eſt, quod ſal culinaris in vſtulatione minerarum additur. Ita enim accidit duplex decompoſitio, quandoquidem acidum vitriolicum cum baſi ſalis culinaris alcalina ſalem glauberianum producit, et acidum muriaticum cum metallis ſales metallicos generat. Sic obtinentur ſales magis ſolubiles: impeditur, ne acidum vitriolicum ſalesque vitriolici aurum argentumque adoriantur: denique acidum muriaticum liberum factum inque vapores euolutum maxima vi metalla imperfecta adgreditur inque calcem vertit; cumque metallum calcinatum minus potenter quam phlogiſto onuſtum appetat, vbi quantitas acidi extricata certam metalli portionem calcinauit, aliam adoritur, hacque ratione exigua portio acidi maximam metalli quantitatem poteſt calcinare. STRUVIUS adeo arbitratur, hanc acidi muriatici actionem eſſe longe potentiorem, quam auctam per ſales vitriolicos generatos ſolubilitatem. Eidem innitens principio adque incommoda vſtulationis cum ſale culinari euitanda clariſſimus STRUVIUS auctor eſt, vt ſal culinaris poſt vſtulationem addatur, hoc eſt, vt minera vſtulata ſalque culinaris cum exigua aquae portione conterantur. Conſtat enim, ſalem culinarem via humida

mida metalla calcinata adgredi. Iam facile intelligitur, per diuerſas iſtas compoſitiones et decompoſitiones, quae inter vſtulationem fiunt, aurum argentumque a materiis mineraliſantibus, quae ſublimantur, vel decomponuntur, metallisque imperfectis, quae in calces abeunt, ita purgari, vt cum hydrargyro amalgamari queant, quae ipſa operatio calore promouetur. Clariſſ. STR. explicat, quanam proportione hydrargyrum mineraque vſtulata commiſcenda ſint, quamque formam vaſa amalgamatoria habere debeant. Notandum eſt, ea cuprea eſſe, non ferrea; id quod aliquis miretur, quoniam conſtat, hydrargyrum cum cupro, non item cum ferro coniungi; ſed ſales ferrum adorirentur, cumque cuprum cortice exiguo mercuriali obducatur, a maiore hydrargyri actione ſimulque a ſalium corroſione ſatis defenditur. Mittimus ea, quae STR. de ceteris operationibus cum amalgamate inſtituendis accurate diſſerit, cum nihil habeant, quod theoriam admodum illuſtret. Hoc modo monemus, per varios proceſſus chemicos omnia metalla auro argentoque iuncta perinde, ac hydrargyrum reliquasque materias inter operationem adhibitas, extricari. Minerae, quibus proceſſus amalgamationis accommodatiſſimus videtur, ſunt minerae cupri argentiferae. Non eſt accommodatus mineris plumbi parum argenti tenentibus. Plures minerae cobalticae, pluresque pyritae auriferae eundem proceſſum requirunt. — Clariſſ. STRUVIUS alia in diſſertatione exponet rationem a BORNIO repertam ſine igne ſolaque trituratione amalgamandi.

p. 71 — 97. V. *Tractatus ſuper origine et formatione fungorum. Auctore* FRIDERICO CASIMIRO MEDICO. *Praelectus die* 16 *Ianuarii* 1788. Primum variae de fungis hypotheſes ab antiquis temporibus ad noſtros vsque dies enumerantur. THEOPHRASTVS, DIOSCORI-

SCORIDES, PLINIVS omninoque omnes naturae ſcrutatores antiquitatis fungorum originem repetierunt a certa quadam viſcoſitate e vegetabilibus per putredinem euoluta. Alii crediderunt, fungos ortum habere animalem, cum motum ſpontaneum in nonnullis clauariis reperiſſent. Denique tertia hypotheſis eſt ſyſtematis ſexualis aſſeclarum, qui fungos e ſeminibus naſci ſibi perſuadent; haecque hypotheſis principatum fere obtinet, inprimis cum clariſſimus HEDWIGIVS nuper admodum ipſa fungorum ſemina ſe vidiſſe docuerit, eorumque dederit deſcriptiones. Sed MEDICI theoria magis veterum hypotheſi analoga eſt, creditque vir clariſſimus, ſe eam ex ſuis experimentis deducere poſſe, quae ita ſunt comparata, vt intra vnius anni ſpatium eorum repetitio inſtitui ſicque de huius theoriae veritate aut falſitate iudicari queat. Secundum hancce theoriam fungi inprimis e regno vegetabili oriuntur, quando plantarum medulla ſuccique condenſati, initio facto decompoſitionis partium plantae mortuarum, in fungos ope quantitatis aquae ad id neceſſariae gradusque caloris proportionati excreſcunt; vnde conſequitur, fungos pro productis cryſtalliſationis vegetabilis habendos eſſe. Fungi fere reperiuntur in arboribus truncisque igne laeſis, inſignique copia in ſtercore equino recenti excreſcunt. Ex his duobus fungorum locis natalibus MEDICVS concludit, in vniuerſum omnia vegetabilia vita ſua vegetabili orbata, adeoque partes quascunque plantae ſanae et viuentis laeſione quadam externa morboue corruptas inque primo gradu decompoſitionis exiſtentes pro vera genuinaque fungorum matre haberi poſſe. Haec decompoſitio fit ope gradus mediocris caloris et humiditatis; qui ſi maior fit, putrefactio oritur productioni fungorum aduerſa. — Ex magno numero experimentorum ſuper fungis captorum, quae hic accurate recenſen-

tur, varias noſter concluſiones deriuat. Primariae hae ſunt. Quicquid veram ſubiit putredinem, fungis gignendis non amplius poteſt ſeruire. E contrario omnia vegetabilia vita ſua vegetabili priuata primamque decompoſitionem experientia genuina ſunt fungorum mater. Initium formationis fungorum agnoſcitur quodam textu, qui partes, vbi iſta decompoſitio fit, obducere incipit. Is textus admodum ſubtilis paullatim augetur, poſtremoque in longitudinem excreſcit, formamque fungi nanciſcitur. Credit noſter, materiam primariam, ex qua fungi naſcuntur, ſuccos eſſe plantarum morte inſpiſſatos, quando nouam patiuntur decompoſitionem. Credit etiam, ſemina fungorum, quae dicuntur nihil eſſe, aliud, quam materiam fungis gignendis, ſed quae perfectionis gradum ad fungorum formationem neceſſarium non attigit. Denique concludit, ſi partes vegetabiles mortuae in primo gradu decompoſitionis conſtitutae ſimul gradum habeant iuſtum caloris et humiditatis, materiam naſci peculiarem, cuius niſus formatiuus a vi quadam elaſtica et attractiua adiutus fungos producat: idque cryſtalliſationem vegetabilem appellat. — Ad finem tractatus clariſſ. MEDICVS inquiſitiones nonnullas experimentaque ſuper indole fungorum inſtituenda proponit. Suadet, vt tentamina cum variis vegetabilibus capiantur, hoc conſilio, vt appareat, num ſemper eandem fungorum ſpeciem producant etc.

p. 98—125. VI. *Relatio ad ſocietatem ſcientiarum phyſicarum Lauſonenſem ſuper ſomnambuliſmo naturali facta a D.* LEVADE, REYNIER, *et* BERTHOUT VAN BERCHEM, *filio. Praelecta die* 6 *Februarii* 1788. Somnambulus, de quo hic agitur, fuit puer tredecim annos cum dimidio natus, nomine DEVAUD, nunc in oppido Vevey degens. Vt morbi tam ſingularis indoles melius intelligeretur, nominauit ſocietas commiſſarios viros doctiſſimos, qui puero diligenter viſitato

ad

ad ipſam de morbi natura accurate referrent. Eorum relatio ſequentia videtur demonſtraſſe. Somnambuliſmus eſt affectio neruoſa, quae hominem hoc malo laborantem inter ſomnum occupat relinquitque. Durante ſomnambuliſmo imaginatio aegroto ea repraeſentat, quibus inter vigilandum adfecta fuit, idque ea energia, vt illa ſenſus vere ferire videantur, cum tamen iis, quae nunc in ſenſus vere cadunt, non afficiatur, niſi quatenus haec cum illis coniuncta ſunt. Sin imaginatio inter ſomnambuliſmum nihil certi habet, quo occupetur, aegrotus ab obiectis, vti vigilans, afficitur, ſed tantummodo tum, cum imaginatio ad ea attendere cogitur. Haec ſenſuum perceptio admodum exacta eſt, eaque ſemel facta, imaginatio ſibi eam poſtmodo non minus clare repraeſentare poteſt, quam ſi ſenſus denuo afficerentur. Denique impreſſiones inter ſomnambuliſmum factae euigilatione prorſus euaneſcunt, neque redeunt niſi cum reditu eiusdem affectionis neruoſae. Apparet itaque, ſomnambulorum omnes ſenſus efficaces eſſe, ſed imaginationis imperio ſubiectos, huiusque imaginationis tanquam exaltationem veram eſſe cauſam omnium actionum talium aegrotorum, inprimisque rerum admodum ſingularium, quas in ſumma agunt obſcuritate. Praeterea commiſſarii obſeruarunt, fluida magneticum electricumque, vel admodum debilia, magnam in ſomnambulos exſerere efficacitatem, ſed otio deſtituti non potuerunt experimenta ad hanc rem illuſtrandam neceſſaria perſequi. Inprimis foret indagandum, num ſomnambuli in acum agant magneticam. quae ipſos certo afficit, quandoquidem cogitari nequit, actionem ſine reactione dari. Poſtremo commiſſarii ſomnambuliſmum naturalem cum magnetico comparant, docentque, hos duos ſtatus inter ſeſe penitus concordare.

p. 125–128. Sequitur VII. *additamentum ad relationem ſuper ſomnambuliſmo naturali, auctore* BERTHOVT VAN BERCHEM, *filio.*

p. 129–133. VIII. *Deſcriptio nouae ſpeciei lapidis. Auctore Com.* DE RAZOUMOWSKY. *Miſſa ad ſocietatem die 25 Iunii* 1788. Hic lapis hucusque pro quarzo rubro habitus eſt. Reperitur Rauenſteini in palatinatu ſuperiore, vbi ſtratum horizontale quadraginta pedes cum dimidio craſſum efformat. Colore eſt pulchre roſeo. Pellucidus eſt cryſtalli montanae ad inſtar iis in locis, vbi nubeculis non eſt obfuſcatus. Ad chalybem vehementer ſcintillat, vitrumque ſecat, fere vt adamas. Admodum ponderoſus eſt, ſpato ponderoſo, vt videtur, parum aut nihil cedens. Conſtat e ſtratis ſex lineas vsque ad pollicem craſſis, multis rimis fiſſurisque ſcatens. Si diffringitur, in partes angulosas fere diſſilit, quapropter raro fragmenta non admodum exigua obtineri poſſunt: et quanquam generatim maſſas irregulares conſtituit, tamen partes eius ad cryſtalliſationem inclinare figuramque cubicam affectare videntur, ſuperficiesque eius ſaepe ſtriatae ſunt. Si fracturam attente examines, compoſitam videbis e foliis tam arcte coniunctis, vt ea oculo non armato vix liceat diſtinguere; hisque foliis ſuperficies ſtriata debetur. Si lapis radiis lucis reflexis videatur, quemadmodum oculus cati, radios albidos, mobilesque a fundo rubro reflectit. Radiis refractis viſus tinctum habet ſapphirinum. Polituram ſuſcipit ſplendidam lapidum pretioſorum ad inſtar. Tubo ferruminatorio ſi tentatur, ſic ſeſe habet. Igni repentino obiectus, violenter decrepitat. Sin pedetentim aucto igne caleſcit, primus flammae contactus eum ſaepe in lamellas parallelas diuidit, aut fiſſuris implet irregularibus, coloremque, non vero pelluciditatem deſtruit. Igne vehementiore diuque continuato in ſuperficiebus aperte liqueſcit,

ſic

ſic vt duo fragmenta hoc modo coaleſcant: poſtque refrigerationem hae ipſae ſuperficies tanquam vernice vitrea obductae videntur: praeterea oculo armato apparet, angulos maxime acutos pariter liquatos rotundatosque eſſe. Borax calcinatus lapidem cum efferueſcentia adoritur, perparum tamen eius, etiam quantitate ſuperflua additus, ſoluit: reliquam portionem in magnum numerum particularum exiguarum dirimit, quas videas in globulo liquato rapide huc illuc moueri: circa hunc globulum, quoties aër adflari ceſſat, exiguus fumus apparet admodum ſubtilis, vnde intelligitur, hunc lapidem principium volatile continere. Alcali fixum lapidem noſtrum adoritur cum minori, quam borax, efferueſcentia, tantummodoque imperfecte ſoluit. Sal microcoſmicus in eum promtius, quam alcali, agit. Fragmenta huius lapidis in vaſculo procellaneo incluſa ignique vehementi duas per horas cum dimidia expoſita fundo vaſculi leuiter adhaeſerunt: ſolummodo ſuperficies fuſionem ſubierunt, ſed longe maiorem, quam ante tubum ferruminatorium; multisque locis maſſae exiguae vitro bullarum pleno contectae erant; quod ſaltem demonſtrat, eas igne vehementiore aut longius continuato vitrificationem perfectam ſubituras fuiſſe. Natura haec noſtri lapidis tantopere refractaria eum a feldſpato, cui primo intuitu admodum ſimilis videtur, eſſentialiter diſtinguit. — Hic lapis maxime ad adulariam accedit, ſi eius texturam, proprietatem illam, qua oculo cati analogus eſt, duritiem, gradumque fuſibilitatis ſpectes. Sed etiam aliis notis ab illa multum differt. Etenim colores exhibet alios per reflexionem, per refractionem alios: hi ipſi colores per artem alterantur: denique nunquam cryſtalliſatus occurrit, inque igne decrepitat. Sequitur hinc, eſſe lapidem ſui generis. Noſtro audit *lapis Ravenſteinienſis*. Poſſit etiam *ſpatum*

*phirinum* vocari. Inter lapides pretioſos referendus eſt, interque ſmaragdum et chryſolithum orientalem, habita duritiei ratione, collocandus.

p. 134–147. VIIII. *Diſſertatio de lithanthracis natura, origine locisque natalibus. Auctore Com.* DE RAZOUMOWSKY. *Miſſa ad ſocietatem die* 1 *Iulii* 1788. Lithanthracem ill. auctor definit bitumen perfectum, eſſentialiter compoſitum ex acido oleoque ſuperfluo, intime coniunctis ope coctionis naturalis, quae, cum lithanthrax formaretur, in terrae viſceribus accidit; in cuius compoſitionem intrant vt principia remota variae ſpecies ſalium, variae ſubſtantiae terreae, denique ſulphur cum terra calcarea copulatum, adeoque ſub forma hepatis ſulphuris terreſtris, aut cum ferro vnitum, adeoque ſub forma pyritae. A ceteris corporibus eiusdem generis lithanthrax his notis diſtinguitur. Semper eſt niger ſplendidusque in tota ſua ſubſtantia, vti omnis materies oleoſa, quae ignis actionem experta eſt. Exigua eſt duritie, et quanquam interdum ſatis compactus polituramque admittens, vt gagas, (vnde huiusmodi lithanthrax iure meritoque *lithanthrax gagas* audit), tamen ſemper plus minusue fragilis, nonnunquamque adeo fere friabilis, qualis *lithanthrax terreus* recte dicitur. Omnium bituminum maximum pondus habet, aliusque alio eſt ponderoſior: ponderoſiſſimus pro optimo habetur. Plus minusue difficulter ignem concipit, eo difficilius, quo magis eſt denſus ac ponderoſus: tum vero etiam diutius ardet, ac longe plus caloris gignit. Omnes fere flammam caeruleam eructant. Habitant ſemper plus minusue profundi in terrae viſceribus, vbi nunquam non ſtrata certa terrea vicina habent ab iisque conteguntur. — Quod ad originem lithanthracis attinet, de ea naturae ſcrutatores parum conſentiunt. Pauciſſimi inque his

WAL-

WALLERIVS asserunt, lithanthracem, cum oleum, principium eius proximum, ortum suum regno debeat minerali, inter fossilia referendum esse. Longe plures contendunt, lithanthracem suam debere formationem corporibus organicis regni vegetabilis: alii denique eam a regno animali repetunt. Hanc sententiarum diuersitatem deriuat noster inde, quod alius alio loco aliisque circumstantiis rem intuitus est. Hinc etsi ipse alibi *) demonstrauit, lithanthracem dari terreum originis vere animalis, multum tamen abest, vt hunc ortum generalem constantemque credat, e contrario sibi suis innitens obseruationibus persuasit, lithanthracis ortum modo ex animali regno, modo ex vegetabili repetendum esse. E. g. in regionibus schisto foetis multasque vegetabilium reliquias continentibus nemo non lithanthracum formationem vegetabilibus ab aqua depositis et decompositis assignauit. Sed in regionibus calcareis aut arenaceis magnam vim testaceorum petrificatorum tenentibus productio lithanthracum e regno est animali repetenda. Ceterum qui sit lithanthracum ortus, animalis an vegetabilis, nec strata corporaque peregrina (petrefacta etc.) lithanthracibus vicina, neque producta per analysin chemicam ex ipsis elicita satis clare ostendunt. Certiora huius rei indicia praebet incineratio lithanthracis, si cineres exhibet. Etenim noster in vniuersum reperit, cineres lithanthracis vegetabilis esse flauos, rubros aut fuscos atque martiales, animalis autem albos, calcareos inque acidis solubiles. Igitur tanquam principium certissimum ponit omnem lithanthracem vegetabilem per incinerationem dare cineres plerumque rubros,



*) Histoire naturelle du Jorat etc. Tom. 2. Sect. 2. et Sect. 6.

bros, martiales, et neutiquam cum acidis efferue-ſcentes, ſed omnem animalem ſemper producere cineres albos, cum acidis efferueſcentes, inque his menſtruis facile ſolubiles. Praeter duas iſtas lithanthracum ſpecies tertia datur, multo illa rarior, cuiusque originem longe difficilius intelligas: ſchiſtoſa eſt inque montibus reperitur antiquiſſimae, vt videtur, formationis, remixta ſubſtantiis quarzoſis horum montium; forſitan bitumen, quod lithanthraces efformat tumque fluidum eſt, forte fortuna in illorum montium fiſſuras ſeſe inſinuauit. — Ex iis, quae dicta ſunt, neutiquam conſequitur, in ſyſtemate mineralogico lithanthraces diuidendos eſſe in ligneſos et animales: e contrario cum hae ſpecies tam proprietatibus internis vſuque, quam characteribus externis inter ſeſe prorſus conueniant, lithanthracum diuiſio ſyſtematica ab his ipſis characteribus, vtpote cognitu facillimis, repetenda eſt. Iam his vſus principiis clariſſimus auctor quatuor conſtituit ſpecies haſce:

1. *Lithanthrax Gagas.*

*Charbon minéral ou charbon de pierre dur. Charbon jayet* nonnullorum auctorum. *Cannel-coal* Anglorum. Haec ſpecies maxime compacta eſt, duriſſima, minime ſplendens, ſique pondus ipſius excipias, quod maius eſt, Gagati ſimillima: polituram admittit ſat pulchram, ideoque ad artefacta ſumitur. Vix reperitur, niſi in Anglia, certe alibi non detecta ſunt ſtrata eius inſignia. — Latet, cur WALLERIUS hanc ſpeciem dixerit lithanthracem piceum.

2. *Lithanthrax piceus.*

*Lithanthrax petroſus* WALLER. ſyſtem. miner. Tom. II. Spec. 265. lit. (c). *Charbon minéral ou charbon de pierre luiſant. Charbon de pierre gras. Pechkohle* Germanorum. Conſtat e ſtratis tenuibus, ſecundum quae diuiditur. Splendet et tanquam oleo oblitus

oblitus eſt. — Talis in Heluetia reperitur. — Qui in Flandria exſtat, poſt vſtionem relinquit reſiduum leue, poroſum, ſcoriaceum, tamque durum, vt limae reſiſtat.

3. *Lithanthrax ſchiſtoſus.*

*Lithanthrax fiſſilis ſeu Schiſtus carbonarius.* WALLER. ſyſtem. miner. Tom. II. Spec. 265. lit. (d). *Charbon minéral ou charbon de pierre ſchiſteux.* In folia diuidi ſe patitur, vti ſchiſti ardeſiaeque, a quibus non differt, niſi natura ſua bituminoſa; vt credibile ſit, hanc ſpeciem natam eſſe, cum elementa bituminum elementis ſchiſtorum (plerumque limoſis vel argillaceis) intime miſcerentur.

4. *Lithanthrax terreus.*

*Lithanthrax terreus.* WALLER. ſyſtem. miner. Tom. II. Spec. 265. lit. (b). *Charbon minéral tendre ou charbon de terre. Houille proprement dite. Terrouille* Flandrorum. Haec ſpecies tenera eſt, ac longe fragilior ceteris, ſaepe adeo friabilis, fereque ſemper humida, cum effoditur. Facillime ignem concipit, fere vti lignum ardet, ſatisque cito conſumitur; minorem etiam calorem gignit, vnde minoris aeſtimatur. — Sola venas efformat exigua profunditate in collibus, aut in ſuperficie ceterarum ſpecierum, quarum interdum tectum conſtituit, vnde noſtro haud improbabile videtur, hunc lithanthracem non eſſe habendum pro ſpecie peculiari, ſed potius, ſi ita dicere fas eſt, pro accidentali, hoc eſt, eſſe lithanthracem bonum per aërem aquamque decompoſitum. *Lithanthracem ligneum* auctorum (*charbon ligneux*, *houille ligneuſe*) noſter non lithanthracibus, ſed lignis foſſilibus adnumerat. Lithanthraces variegatum (*charbon iriſé ou couleur gorge de pigeon*), pyritoſum ſulphureumque non pro ſpeciebus peculiaribus, vt nonnullis placuit, ſed pro accidentalibus habet. Denique a lithanthracibus excludit illam

lam bituminis ſpeciem, quam Germani *Holzkohle* dicunt, nam verus eſt ceſpes bituminoſus. De locis lithanthracum natalibus eorum indiciis noſter diligenter agit, ſimulque LEHMANNI aliorumque mineralogorum hac de re theorias examinat. Reperiuntur fere exigua profunditate, inque collibus potius, quam in montibus, etſi interdum etiam in montibus magnis profunditatibus occurrant. Sedes eorum ſunt ſchiſtus lapisque arenaceus. — Poſtremo loco de apparitionibus lithanthracum in telluris ſuperficie (*affleurements*) exponitur.

p. 148–177. X. *De vitis ſectione commentatio. Auctore Abb.* BERTHOLON. *Miſſa ad ſocietatem die* 10 *Septembris*, 1788. Experientia multorum annorum docuit, 1) vitis ſectione lignum huius plantae reddi fortius, 2) eam impediri, ne vitis magna ſarmentorum quantitate debilitetur, 3) reſectionem ramorum inutilium durationem eius reddere longiorem, 4) hac operatione fieri vuas maiores, melius nutritas, ſucculentiores, delicatiores omninoque praeſtantiores, praetereaque 5) citius matureſcere. Ad hos fines obtinendos ſcire intereſt et artem ſecandi et tempus ſectioni vitis maxime accommodatum habito reſpectu climatis ſitusque vineae. Poſteriorem clariſſ. quaeſtionem BERTHOLON illuſtrandam ſibi propoſuit. Duae ſunt tempeſtates vitis ſectioni idoneae, autumni exitus initiumque veris. Praeſtat tamen, hanc ſectionem autumno, quam vere, inſtitui; id quod noſter argumentis ex ipſa vegetabilium natura deſumtis demonſtrat. Sed haec regula ad climatis ſitusque vineae rationem adſtringenda eſt. Videlicet ſi clima calidum eſt, vineaque ſita in loco ſicco aut ventis ſiccis expoſito, vel in latere montis alti, vel in ſolo ſabuloſo, ceteris paribus, autumno ſectio eſt inſtituenda. Sin clima admodum frigidum eſt, ac vinea ſita in loco humido et frigido aut ventis pluuioſis humidis-

midisque ac nebulis expoſito, in terra profunda, prope fluuios, ſtagna, nemora etc., in ſolo argilloſo, vere vitis ſecanda eſt. In omnibus illis terris, vbi metus eſt, ne ſectio autumnalis vitibus noxam adferat, artificio quodam ambarum methodorum commoda ſimul poſſunt obtineri. Scilicet illic vitis bis poterit ſecari, primum autumno, ſic vt ſarmentis duplum longitudinis conſuetae relinquatur, iterumque vere, quando id quoque aufertur, quod tanquam frigoris propugnaculum autumno relictum fuit. Quod ſi frigus vehemens poſt priorem ſectionem ingruat, primus tantum pollex ligni laedetur, reliquaque pars trunco propior frigoris vim perinde effugiet, ac ſi ſarmentum integrum manſiſſet.

XI. *Ideae de formatione granitarum.* *Auctore* Com. DE RAZOUMOWSKY. *Communicatae cum ſocietate die* 25 *Octobris* 1788. Clariſſ. auctor granitae nomine non cum CRONSTEDTIO tantummodo ſaxum e quarzo, mica et feldſpato conflatum, ſed cum WALLERIO omnia ſaxa e maſſa ſolida ac granulata compoſita ipſumque adeo gneiſum inſignit. Saxa granitica ab omnibus naturae ſcrutatoribus pro antiquiſſimis habentur. Eorum geneſin quod attinet, alii nihil definire auſi ſunt, alii audaciores contenderunt, quod iam nemo in dubitationem vocauerit, granitas eſſe producta cryſtalliſationis, aut potius coagulationis, ſiue cryſtalliſationis praecipitatae. Ipſa ſaxa granitica, ſi aquae aërisque influxum nondum ſenſerunt, pyramidalem fere formam referunt, ſtrataque, quae recentioribus temporibus his in ſaxis mineralogi repererunt, ſunt tanquam laminae, e quibus cryſtalli iſtae ingentes, ſaxa granitica, conſtant. Grana, e quibus ſaxa granitica coaluerunt, pariter ſunt plus minusue regularia et cryſtallina, ſimulque plus minusue pellucida; quae proprietates a ſola cryſtalliſatione poſſunt repeti. — Quale vero fuit p. 178–182.

fuit menſtruum, quod granitarum maſſam, antequam iſta ſaxa formarentur, ſolutam teneret? Idemne fuit cum eo, quod poſtmodum ſaxa ſtratoſa (calcarea, argilloſa etc.) efformauit? Noſter quid hac de re ſentiat, iam alibi obiter expoſuit *), hocque loco diductius declarat. Primo oſtendit, fluidum, quod granitas formauit, ab illo, cui montes ſtratoſi debentur, natura ſua differre: hoc vſus argumento, quod ſaxa granitica a ſtratoſis multis notis admodum eſſentialibus diſcrepant. Iam vt intelligatur, quodnam menſtruum granitas generarit, duae modo viae noſtro patere videntur: examen actionis fluidorum aquoſorum naturalium nunc cognitorum in terram vitreſcibilem ſiue quarzoſam, vtpote partem maiorum granitarum, atque analogia. Examine iſto inſtituto, apparet, ſolum acidum fluoratum aquae iunctum terrae quarzoſae diſſoluendae vi ac proprietate inſtructum eſſe. Ergone prima mundi aetate globus, quem habitamus, immenſo mari acidi fluorati obtectus fuit, vti ſerioribus temporibus maria aquae ſalſae maribus noſtris ſimilia eum contexerunt? Haec hypotheſis vtut primo intuitu abſurda videatur, tamen ſi diligenter ponderetur, non omni eam fundamento deſtitutam eſſe, nōſter autumat Veſtigia talis menſtrui noſtro videntur vel inſignes illae fluoris mineralis in terrae viſceribus reconditi quantitates etc.

p. 183–188. XII. *Commentatio de ligno foſſili, habita ratione variarum eius ſpecierum, inprimis in Heluetia, vſusque, quem in artibus et oeconomia praeſtat. Auctore Com-*

*) *Eſſai ſur l' Hiſtoire Naturelle du Cercle de Baviere.* Inſerta eſt haec ſcriptio huic ipſi actorum ſocietatis Lauſonenſis volumini. Vid. infra (XV.)

*Com.* DE RAZOUMOWSKY. *Communicata cum ſocietate die* 1 *Decembris*, 1788. Lignum foſſile, quod in terra plus minusue profunde reperitur, ibi per reuolutionem peruetuſtam depoſitum, aut integrum neque alteratum, aut penitus immutatum adeoque mineraliſatum occurrit. Neceſſe tamen eſt, vt ſaltem veſtigia adſint textus vegetabilis; alioquin ligno foſſili adnumerari nequit. Sequentes hac in diſſertatione ſpecies clariſſ. auctor recenſet.

1. *Lignum foſſile* WALLER. Spec. 448.

*Bois foſſile non altéré.* Sunt haec fragmenta ligni adeoque arbores integrae, ſed foliis ſpoliatae, nihil paſſae mutationis, in quibus omnem textum lignoſum, ipſumque adeo librum ac corticem agnoſcas. Huiusmodi ligna reperias in omnibus fere locis turfoſis profundioribus, inque ſuperficie turfae lignoſae Vznacenſis in Heluetia. Lignum foſſile Almerodenſe pariter huc pertinet; conſtat e ſtratis tenuibus ligni, vt videtur, ſuberini. — Poſſunt haec ligna pro lignis vulgaribus vſurpari.

2. *Bois foſſile réduit en charbon, ou charbon de bois foſſile. Carbones lignoſi foſſiles* WALLERII. Sunt fragmenta cylindrica veri carbonis lignei, quae ſat raro occurrunt in cemento tufisque vulcanicis Rhenanis etc.

3. *Bois pénétré par le fer.*

*Tophus ferreus ochraceus, longitudinaliter natus.* LINN. Syſt. Nat. *Vegetabile ferreum ſ. ſideroxylon.* WALLER. Syſt. Miner. Tom. II. Spec. 446. Eſt lignum flauum aut fuſcum, digitos tactu inquinans, ſemiputridum, aut cuius fibrae per aquam martialem disiunctae fuerunt, quae per has fibras penetravit, ochramque flauam aut fuſcam in earum interſtitiis depoſuit. Talia ligna occurrunt in ferri fodinis, inque turfa lignoſa. — Eundem, quem ochrae ac

pla-

pleraque minerae ferri limoſae, vſum praeſtare poteſt.

4. *Bois changé en mine de fer terreuſe.*

*Lignum foſſile ferreum.* Plerumque ſunt fragmenta ligni aut partes radicum in mineram ferri limoſam mutata, in quibus adhuc contextus organiſatioque ligni perfecte apparent. — Dignum eſt hoc foſſile, quod in vſum vertatur.

5. *Bois minéraliſé par le fer aëré et un principe bitumineux. Bois noirs aquatiques. Bois noirs foſſiles. Matrix ſuccini* HARTMANNI. *Lignum foſſile bituminoſum* WALLERII Spec. 444. lit. (b). Ligna ſunt admodum dura ac nigra ob ferrum aëratum cum principio bituminoſo terrarum paludoſarum vnitum, et ponderoſiora lignis vulgaribus, quorum tamen characteres externos omnes ſeruarunt. Magna cum vi ardent, magnumque calorem gignunt. In aëre libero aër fixus principiumque bituminoſum auolant, reſtatque reſiduum fuſcum ferri dephlogiſticati formam retinens organicam: in vaſis vero clauſis aër fixus principiumque bituminoſum, relicta terra martiali, connubium ineunt, parietesque vaſorum obducunt ſub forma plumbaginis. Praeterea ignis ex hac ſpecie elicit exiguam quantitatem olei fuſci, petroleo ſimilis, quod refrigeratione abit in materiem pinguem picisque ad inſtar glutinantem. — Haec ligna occurrunt in paludibus Angliae, Galliae, Heluetiae. — Vſus eorum eſſe poſſunt multiplices, ab auctore recenſiti.

6. *Bois minéraliſé par le fer vitriolé et un principe bitumineux. — Houille ligneuſe.*

*Vegetabile foſſile bituminoſum. Lithanthrax ligneus* WALLERII Spec. 444. lit. (c). Plerumque ſunt fragmenta ligni, rariſſime arbores integrae in lithanthraces plus minusue perfectos conuerſae. Ardent

dent cum flamma exigua caerulea et forti odore ſulphureo, poſtque vſtionem relinquunt terram martialem rubram aut fuſcam, magneti obedientem. Saepe tecta ſunt efflorescentiis vitriolicis et aluminoſis. — Vbi magna copia occurrunt, poſſunt vt minerae vitrioli aut aluminis tractari.

7. *Bois minéraliſé par le fer ſulfuré.*

*Bois pyriteux. Vegetabile pyriticoſum.* Lithoxylon pyriticoſum. WALLERII Species 445. Ligna ſunt aut non decompoſita, vti(1), contectaque et penetrata pyritis, aut in pyritam ſulplureum penitus conuerſa. — Vt minerae vitrioli aut aluminis tractantur.

8. *Bois minéraliſé par le cuivre ſulfuré, ou bois changé en mine de cuivre.*

*Vegetabilia foſſilia cuprea.* WALLERII Spec. 447. Sunt fragmenta ligni maximam partem aut penitus in mineram cupri conuerſa.

9. *Bois minéraliſé par le plomb ſulfuré, ou bois changé en mine de plomb.*

*Lignum foſſile plumbareum.* Fragmenta ſunt ligni in mineram plumbi penitus conuerſa. Si haec ac praecedens ſpecies magna copia reperirentur, poſſent vt minerae cupri plumbique tractari.

XIII. *Deſcriptio aluéarium cylindricorum ſtramineorum et aluearium ligneorum, ſecundum idem principium conſtructorum, cum nonnullis obſeruationibus ſuper eorum commodis. Auctore* DELIGELIEU. *Miſſa ad ſocietatem die* 25 *Decembris* 1788. Horum nouorum aluearium incolis inſularum Madagaſcarenſis et Burbonenſis dudum vſitatorum, conſtructionem, dimenſiones vſumque clar. auctor accurate deſcribit. Conſtant ex cylindro cauo, e funibus ſtramineis, vt aluearia vulgaria, confecto. In cylindri extremitatibus ſiti ſunt duo fundi plani, etiam ſtraminei, qui per totam cylindri cauitatem promoueri poſſunt: figuntur clauis ferreis p. 188–203.

reis, qui inter funes immiſſi in fundum penetrant. Apparet, horum fundorum mobilium ope aluearia modo maiora, modo minora reddi poſſe. Aluearia horizontaliter ponuntur, vnusque fundorum aperturam habet, per quam apes egrediantur. Praeſtantia huius conſtructionis maxime in fundorum mobilitate cernitur, poſſuntque adeo ſecundum eandem regulam aluearia e ligno quadrata aut rotunda confici. Talium aluearium commoda haec ſunt. 1) Vt mel eximatur, fundus poſterior amouetur, poſt operationem in locum ſuum reponendus; ſic nulla apis necatur, et alueare in ſuo manet loco. 2) Nulla pars aluearis vacua relinquitur, nam melle exemto fundus promouetur vsque ad fauos relictos. 3) Aluearia pro lubitu poſſunt ampliora reddi, id quod in multis caſibus neceſſarium eſt. 4) Apes commode nutriuntur. 5) Haec aluearia calidiora ſunt, quam methodo vulgari conſtructa. 6) Interior pars aluearis ſaepe ita viſitari poteſt, vt apes non conturbentur. 7) Faui facile poſſunt renouari, ſi aluearia inuertantur, hoc eſt, ſi apes modo per hunc fundum modo per illum exire cogantur. 8) Denique haec aluearia ad examina artificialia formanda accommodatiſſima ſunt.

p. 204–236. XIV. *Obſeruationes, e quibus ſequitur, omnem Heluetiam arenaceam, totumque planum parum ſinuatum circuli Bauariae ſuam debere originem aquis dulcibus lacuſtribus. Auctore Com.* DE RAZOUMOWSKY. *Communicatae cum ſocietate die* 31 *Decembris* 1788. Hae clariſſimi auctoris obſeruationes ſuper antiquo Heluetiae fundo arenaceo continuationem efficiunt operis alius mineralogici ab ipſo ſcripti *), eiusque theoriam de origine huius fundi confirmant. Multa continent ad originem corticis telluris illuſtrandam facientia. Enumerat auctor ſedimenta fluviatilia fundi illius Heluetici, diligenterque deſcribit lapi-

*) *Hiſtoire naturelle du Jorat etc.*

lapidininam Oeningenſem prope lacum Conſtantinum, vbi pulcherrimae petrificationes animalium fluuiatilium reperiuntur. — Noſtri obſeruationes etiam Sueuiae partem complectuntur. — Arbitratur auctor, ignem olim ſubterraneum in fundis Helvetiae Bauariaeque vires ſuas exeruiſſe. Veſtigia talis ignis reperit in productis lapidininae Oeningenſis, quae per ignem mutata videntur, inque immenſa copia ſtratorum bituminoſorum, quae ſine calore continuo formari potuiſſe negat. Hunc calorem repetit ab igne vulcanico, productaque vulcanica ſe iam iſtis in oris reperiſſe credit. — Charta addita huic diſſertationi tractum illum ſiſtit.

XV. *Tentamen ſuper hiſtoria naturali circuli Bauariae. Auctore Com.* DE RAZOUMOWSKY. *Miſſum ad ſocietatem die* 31 *Decembris* 1788. Temporis anguſtiae difficilisque tempeſtas clariſſimum auctorem impediuerunt, ne ipſos iſtius circuli montes mineralogorum attentione longe digniſſimos viſitaret. Igitur libros hiſtoriam Bauariae naturalem tractantes collectionesque rerum Bauariae naturalium in doctorum Bauarorum muſeis ſeruatos accurate conſuluit, vnde hoc tentamen natum eſt. In introductione de libris agitur, qui mineralogiam Salisburgenſem tractant, adque auctoris notitiam peruenerunt. Ipſum tentamen tres eſt in ſectiones diuiſum. *Prima ſectio* complectitur ducatum Bauariae ac Palatinatum ſuperiorem. Primum deſcribuntur montes, quibus ducatus Bauariae ac Palatinatus ſuperior cinguntur. Nuclei eorum granitici ſunt, inſignesque continent granitae varietates. De terra calcarea primitiua, montes peculiares inter primitiuos, maxime a Germanis, relatos conſtituente. Omnes iſti montes ſcatent mineris omnis generis, inprimis martialibus. Recenſentur deſcribunturque a noſtro ferrum micaceum (*Eiſenrahm*), cuius vena in granita p. 237–283.

Fichtelbergenſi reperitur; haematites niger magneſio remixtus, qui ſi cum ferro illo micaceo commiſcetur, bonum ferrum exhibet; minera ferri argilloſa; minera ferri ſabuloſa; obiter lapis calcareus ſpatoſus; haematites ruber; minerae ferri limoſae, quarum vna baſaltas forma ſua refert; pyrites ſulphureus; pyrites cupreus; galaena; minera plumbi viridis; plumbum arſenicale; magneſium argentiferum; minerae variae cobalti; lapis calaminaris. Sequuntur tum inflammabilia ac bitumina; lithanthrax; turfa lignoſa; petroleum. Inprimis diligenter de turfa illa lignoſa agitur. E lapidibus terrisque notandi ſunt: granitae; lapis ollaris; ſerpentinus; filices pulchri; iaſpis; chalcedonius; carneolus; quarzi variae ſpecies; lapis Ravenſteinienſis, de quo noſter alibi expoſuit *); feldſpatum, quod ad porcellanae coctionem adhibetur; marga graueolens; marmoris variae ſpecies; alabaſtrites; ſpatum calcareum; ſtalactitae calcarei (in ſpelunca quadam Baumannianae nihil cedente); fluor mineralis (hic obiter de montium graniticorum origine ab acido fluorato repetenda, de quo argumento iam ſupra **) actum eſt); terra talcoſa; vmbra (de cuius origine ſimul agitur); terra mineralis rubra, terrae bolaris nonnihil ſabuloſae proprietatibus inſtructa; terra flaua ſimilis naturae; terra quaedam variegata miraculoſae Saxonum ſimilis; terra porcellanea in officina porcellanae Nymphenburgenſi vſurpata etc. In montibus ſecundariis occurrunt corpora peregrina: ligna petrificata; fungitae; belemnitae; orthoceratitae; ammonitae; vermiculitae; trochlitae; turbinitae; ſtrombitae; cochlitae; oſtracitae; terebratulitae; chamitae; bucarditae; echinitae; ichthyolithi; cetaceorum petrificata; amphibiolithi; petrificationes quadrupedum. Non dubitat noſter, quin, ſi diligenter

*) Vid. ſupra (VII.).
**) Vid. (IX).

ter inquiratur, etiam in ducatu Bauariae ac Palatinatu ſuperiore vulcani exſtincti reperiri poſſint; certe baſaltae ibi reperti ſunt, qui hic a noſtro deſcribuntur. — *Altera ſectio* archiepiſcopatum ac principatum Salisburgenſem terrasque adiacentes ſpectat. Primum huius regionis diuitiis ſubterraneis pleniſſimae geographia mineralogica traditur, montesque in eo ſiti deſcribuntur. Sunt hi arenacei, calcarei, argilloſi, cornei, granitici. Reperiuntur his in montibus: aurum natiuum; pyrites arſenicalis argentum tenens; pyrites cupreus; galena; pyrites ſulphureus; argentum natiuum; minera cupri flaua virideſcens; pſeudogalena; minera plumbi arſenicalis; ochra martialis etc. Aurum Salisburgenſe, non minus pulchrum, quam Hungaricum, ſemper natiuum reperitur, ideoque omnes minerae auriferae contuſae lotaeque protinus amalgamationi ſubiiciuntur. Hac in operatione minera aurifera Hohengoldbergenſis ſingulare exhibet phaenomenon. Nam etſi parum auri continet, omne tamen hydrargyrum, dum e molis amalgamatoriis egreditur, conſiſtentiam habet veri amalgamatis; id quod vulgo ingenti aquae illas molas circumagentis frigori tribuitur: ſed noſter rei cauſam repetit a minerae ipſius puluerulenta indole. Ante aliquot annos tentata fuit amalgamationis methodus Borniana, ipſeque BORNIVS arceſſitus eſt, vt operationes dirigeret: ſed res ſucceſſu ſperato caruit, ipſeque BORNIVS dicitur faſſus eſſe, methodum ſuam non accommodatam eſſe mineris parum auri tenentibus cumque matrice ſua intime coniunctis, quales ſunt Salisburgenſes, ſaltem ſi magnae earum quantitates amalgamationi ſubmittantur. — Productionum marinarum regni animalis veſtigia in gypſo. — Prope *Hamarau* maſſa ferri reperitur ſola montem integrum conſtituens. — Hydrargyrum quoque occurrit tam natiuum quam mineraliſa-

tum etc. — Praeterea notanda ſunt: ſchiſtus aluminoſus; lithanthrax; turfa; quarzum; granitae varietates; ſaxum molare graniticum WALL.; corneus; ſteatites; lapis ollaris; ſerpentinus; talcum; mica; amianthus; ſchoerlus; turmalinus (turmalini Zillerthalenſes inter producta non Tirolenſia, ſed Salisburgenſia referendi ſunt); granatus; cryſtallus montana; marmora; gypſum; fluor mineralis; terra calcarea; terra porcellanea; argilla etc. Petrefacta occurrunt porpitae, lapides frumentarii, turbinitae, chamitae, bucarditae, oſtracitae, echinitae. — Obiter de mineralogia principatus Berchtolsgadenſis. — *Tertia* denique *ſectio* de animalibus et climate circuli Bauariae exponit. Animalia ibi reperiuntur: vulpes, lynx, lutra, vrſus, meles, lepus timidus, mus, ceruus elaphus, dama, capreolus, ibex, rupicapra, aper; vultur barbatus, falco, falco niſus, ſtrix, ſcolopax, turdus, tetrao vrogallus tetrao lagopus, tetrao rufus, tetrao perdix etc.; rana bufo, rana temporaria, lacerta viridis, lacerta ſalamandra, anguis fragilis; cottus gobio, perca fluuiatilis, perca zingel, ſilurus glanis, ſalmo trutta, ſalmo hucho, ſalmo alpinus, ſalmo lavaretus, ſalmo thymallus, ſalmo renke, eſox lucius, cyprinus barbus, cyprinus carpio, cyprinus gobio, cyprinus rutilus, cyprinus naſus. Productiones vegetabiles Bauariae non videntur numeroſae. Arbores ibi ſponte creſcunt pinus ſylueſtris, pinus abies, pinus larix, populus tremula, betulus, fagus. Bauaria vndique ventis perflatur. Ver autumnusque pluuioſa et inſalubria habentur. In principatibus Salisburgenſi et Berchtolsgadenſi clima parum benignum eſt. —

p. 284–321. XVI. *Hiſtoria naturalis ſalinarum circuli Bauariae. Auctore Com.* DE RAZOUMOWSKY. *Communicata cum ſocietate die* 31 *Decembris* 1788. Has ſalinas noſter ipſe viſitauit; hinc, quae de iis refert, propriae

priae innituntur obſeruationi. Quatuor locis Bauariae ſalinae reperiuntur: Halleini in principatu Salisburgenſi; Berchtolsgadeni in principatu cognomine; Reichenhalli et Trauenſteini in ducatu Bauariae. In duabus prioribus ſalinis ſal occurrit ſolidus; ſed Reichenhallum tantummodo habet aquam ſalſam, quae ad Trauenſteinium vsque conuehitur. Salinae Salisburgenſes proprie in pago Dürrenberg leucam vnam ab Hallein diſtante, prope verticem montis ſaliniferi ſitae ſunt. Berchtolsgadenſes reperiuntur in loco quatuor leucas a Salisburgenſibus remoto, montesque eas ſeparantes calcarei ſunt. Sal in his duabus fodinis reperitur ſub nidorum, renum venarumque forma variae craſſitiei. Rubicundus eſt, albus, interdum caeruleus: aut purus ſolidusque, aut gypſo mixtus compoſitusque e ſtriis verticalibus, parallelis, coarctatis. Iacet in ſtrato argilloſo, lapideſcente, ſi tenerum eſt, cineraſcente, ſi durum fit. — Laborum ſubterraneorum his in fodinis ratio. Puluis pyrius non adhibetur, cum ſolum ferrum ſufficiat. — Methodus, qua ſal extrahitur, admodum ingenioſa eſt. Camerae in monte excauantur diuerſae magnitudinis, implenturque aqua dulci, quae ſalem parietum paullatim ſoluat eoque ſaturetur. Nonnullae tam ſunt amplae, vt aqua duos annos ibi manere debeat, vt poſſit penitus ſaturari. In aliis nonnullas modo hebdomadas relinquitur. — Araeometrum ad ſalſedinem aquae definiendam. — Fontes aquae ſalſae Reichenhallenſes e ſaxo ſcaturiunt partim e breccia calcarea, partim e lapide calcareo conſtante. Numero ſunt viginti: quatuor tamen modo in vſum conuertuntur. — Machinae ad transvehendas et euaporandas has aquas adhibitae. — Fodinae Halleinenſes et Berchtolsgadenſes noſtro videntur olim vnum idemque ſtratum efformaſſe, coniunctum illud cum ſtrato ſalinifero Gmundenſi in

Auſtria. Credit, reuolutionem telluris vehementem duas iſtas fodinas ſeparaſſe. — Stratum illud argilloſum nihil fuit niſi limus maris ſale foetus venisque ſalis remixtus, qui e mari, praecipitatus decidit. — Fontes aquae ſalſae Reichenhallenſes arbitratur noſter ſale Berchtolsgadenſi in loco harum fodinarum adhuc incognito impraegnari. — Quod ad opinionem ſatis vulgarem attinet, ſalem in fodinis regenerari, obſeruationes clariſſimi auctoris docent, rem repetendam eſſe ab aquarum ſalſarum per argillam transſtillatione. — Ad finem leguntur aliquot obſeruationes ſuper characteribus regionum ſalem culinarem tenentium. 1) Sal fere habitat ad extremitates iugorum montium valliumque. 2) Reperitur in montibus parum inclinatis interque iuga admodum alta ſitis. 3) Fere ſemper coniunctus eſt cum argilla ſubnigra, humida, lapidi calcareo innixa. 4) Interdum prope ſalis fodinas gypſum reperitur. 5) Denique in ſuperficie terrae ſalem tenentis certae plantae, vt kali, ſalicornia etc., creſcunt.

p. 322–361. XVII. *Diſſertatio ſuper frigore variorum locorum per hiemem* 1788 — 1789, *ſuperque eo, quod Lutetiae Pariſiorum eadem hieme fuit, comparato cum frigore per alias hiemes notabiles. Auctore* GAVSSEN. Clariſſimus auctor non potuit eum obſeruationum fide dignarum numerum colligere, vt hiſtoriam completam frigoris hiemis illius ſaeuiſſimae conſignaret. Igitur ſatis habuit, tabulam ſiſtere graduum frigoris variis in terris obſeruatorum, ſed redactorum ad ſcalam thermometri mercurialis octoginta in partes diuiſi; id quod omnes illas obſeruationes reddit comparabiles. Indicantur ſimul rationes, quibus reductiones innituntur, praetereaque monetur, quantum fidei variis obſeruationibus tribuendum ſit. Sequitur tum comparatio frigoris Lutetiae Pariſiorum iſtam per hiemem

mem obſeruati cum frigore aliarum hiemum notabilium. Diligenter ſubtiliterque noſter examinat omnes errores ab illis commiſſos, qui haec frigora ad terminos fixos redigere ſtuduerunt; comparataque diverſorum thermometrorum graduatione, tabulam exhibet frigorum ſummorum Lutetiae ab anno 1702 ad annum 1788 obſeruatorum adque ſcalam Delucianam octoginta partium redactorum. Cogit ex his obſeruationibus, frigus diei 31 Decembris 1788 idem fuiſſe, quod 1716, ſcilicet — 17°,40; parumque ſuperaſſe frigus anni 1709, quod fuit — 17°,10. Apparet adeo, thermometrum paullo magis deſcenſurum fuiſſe, ſi aëre in libero ſtetiſſet.

XVIII. *Obſeruatio ſuper actione ſolis ad ceram dealbandam. Auctore Ioanne Senebier, bibliothecario reipublicae Geneuenſis. Communicata cum ſocietate die 3 Decembris 1789* *). Iam dudum clariſſ. SENEBIER expiſcari conatus eſt, quem lux ſolaris in corpora trium naturae regnorum influxum habeat. Cum in proceſſum inquireret, quo cera alba redditur, mox intellexit, ſolam lucem hunc effectum producere poſſe, actionemque roris, inprimis menſis Maii, nihil conferre ad ceram colore flauo exuendam alboque tingendam. Ad hanc rem demonſtrandam ceram actioni lucis ita exponere conatus eſt, vt ab humiditate tuta maneret. Igitur ceram flauam inter duas laminas vitri tenuis, ſed transparentis, collocauit, easque cera hiſpanica hermetice concluſit, vt cera flaua lucis quidem, ſed non humiditatis vim experiretur. Hunc apparatum in loco luci ſolari expoſito per quatuor aut quinque horas aſſeruauit. Die 10 Aprilis ſimilem apparatum in loco obſcuro collocauit, perque p. 362–363.



*) Sic liber habet, etſi titulus indicat, hunc tomum annis 1787 et 1788 dicatum eſſe.

idem temporis ſpatium ibi obſeruauit. Die 10 Maii experimentum finem habuit. Die 12 noſter obſervauit, ceram inter laminas vitreas ſoli expoſitam albeſcere incipere. Sicque magis magisque alba facta eſt, donec omnibus illis locis, vbi craſſities eius duas lineas non excederet, perfecte albida eſſet. Cera in apparatu loco obſcuro poſito perfecte flaua manſit, etſi eundem calorem ſentiret. — Extendit noſter ceram flauam ſuper vitro ſimili vni e vitris prioris apparatus, vitrumque ſoli expoſuit, ſic vt lux ſolaris in ceram ipſam incideret. Cera perinde, ac prior, alba facta eſt, ſed, vt noſtro videbatur, tardius. Cera ſuper vitro ſimili extenſa ſed in loco obſcuro poſita colorem ſuum non mutauit. — Denique cera flaua humectata aut aquae ſubmerſa in luce pariter alba reddita eſt, nec tamen celerius, quam in prioribus tentaminibus, ſed potius tardius; in loco obſcuro colorem flauum retinuit, etſi perinde, vt cera ſoli expoſita, aliquot aëris bullas emitteret. Is aër, cum a noſtro aëri nitroſo miſceretur, paullo melior atmoſphaerico repertus eſt. — Apparet itaque, ſolum ſolem ceram dealbare, hancque coloris mutationem a roris humiditate potius retardari, quam accelerari. Quae ſit huius phaenomeni cauſa ac ratio, alio loco noſter docebit, vbi variam actionem diuerſorum corporum in ceram oſtendet.

XIX. *Diſſertatio I. ſuper dilatationibus reſpectiuis hydrargyri et ſpiritus vini.* *Auctore* GAUSSEN. Clariſſimi DE LUC experimenta oſtendunt, non modo vini ſpiritus expanſionem ab expanſione hydrargyri longe diuerſam eſſe, ſed etiam dilatationem relatiuam ſpiritus vini, ſi cum dilatatione hydrargyri comparetur, ſemper creſcere, quo magis liquidum in thermometro eleuetur. Minor eſt in gradibus congelationis puncto vicinis, aequalis eſſe incipit a gradu quadrageſimo vsque ad gradum quadrageſimum quintum

tum thermometri mercurialis, tumque ſemper augetur ad ſummum vsque ſcalae punctum, vbi dilatationem mercurii multum excedit, ſic vt in gradibus magni caloris recuperet, quod in gradibus inferioribus perdiderat, inque his dilatationis differentiis compenſatio perfecta reperiatur. Sed concluſiones, quas ſuis e tentaminibus clar. DE LUC deriuauerat, irregularitates exhibent ab imperfectionibus inſtrumentorum nulla arte vitandis obſeruationisque difficultate repetendas. Clariſſ. igitur huius diſſertationis auctor per comparationes admodum ingenioſas progreſſionem clariſſimi DE LUC corrigere ſtuduit. Haecque correctio eo eſt fide dignior, quod cum illa, quam ipſe DE LUC aliis vſus principiis dedit, concordat. Huic correctioni haec tabula innititur.

| Hydrargyrum | | | Vini ſpiritus |
|---|---|---|---|
| 5° | | | = 3°,9 |
| 10 = | 3°,9 | + 4°,0 | = 7,9 |
| 15 = | 7,9 | + 4,2 | = 12,1 |
| 20 = | 12,1 | + 4,3 | = 16,4 |
| 25 = | 16,4 | + 4,5 | = 20,9 |
| 30 = | 20,9 | + 4,6 | = 25,5 |
| 35 = | 25,5 | + 4,7 | = 30,2 |
| 40 = | 30,2 | + 4,9 | = 35,1 |
| 45 = | 35,1 | + 5,0 | = 40,1 |
| 50 = | 40,1 | + 5,2 | = 45,3 |
| 55 = | 45,3 | + 5,4 | = 50,7 |
| 60 = | 50,7 | + 5,5 | = 56,2 |
| 65 = | 56,2 | + 5,7 | = 61,9 |
| 70 = | 61,9 | + 5,9 | = 67,8 |
| 75 = | 67,8 | + 6,0 | = 73,8 |
| 80 = | 73,8 | + 6,2 | = 80,0 |

Pro gradibus ſub puncto congelationis auctor progreſſionem clariſſimi DE LUC aſſumit.

Hydrar-

| Hydrargyrum | | | Vini ſpiritus |
|---|---|---|---|
| 5° | | | = 3°,8 |
| 10 = | 3°,8 | + 3,7 | = 7,5 |
| 15 = | 7,5 | + 3,7 | = 11,2 |
| 20 = | 11,2 | + 3,7 | = 14,9 |

Etiam clariſſ. COTTE ſuper dilatationibus relatiuis ſpiritus vini hydrargyrique experimenta inſtituit, quorum clar. GAUSSEN rationem reddit.

p. 392–402. XX. *Diſſertatio II. ſuper dilatationibus reſpectiuis hydrargyri et ſpiritus vini. Auctore* GAUSSEN. Continet haec diſſertatio tabulas comparatiuas dilatationum relatiuarum hydrargyri et ſpiritus vini per omnes gradus thermometrorum Deluciani et Micheliani, a noſtro diligenter ſupputatas, indicatis ſimul mediis, quibus ad obſeruationes Delucianas et Michelianas comparabiles reddendas vſus eſt.

## II.

*Herrn* PETER CAMPERS, *Magiſters der freyen Künſte, der Weltweisheit uud Arzneykunſt Doctors, Honorair-Lehrers der Arzney-Zergliederungs- und Wundarzneykunſt beym Athenäum zu Amſterdam, der Akademie der Wiſſenſchaften zu London, Edinburgh, Paris, Toulouſe, St. Petersburg, Göttingen, Haarlem, Rotterdam und Vliſſingen, der Akademie der Wundarzneykunſt und der mediciniſchen Geſellſchaft zu Paris, und der Naturforſcher zu Berlin Mitglieds, wie auch der Geſellſchaft zur Beförderung des Landbaues und der Mahlerakademie zu Amſterdam Ehrenmitglieds u. ſ. w. ſämmtliche kleinere Schriften die Arzney-Wundarzneykunſt und Naturgeſchichte betreffend. Erſter Band im Teutſchen mit vielen neuen Zuſätzen und Vermehrun-*

*mehrungen des Verfaſſers bereichert, von* I. F. M. HERBELL. *Mit Kupfern. Leipzig bey Siegfried Lebrecht Cruſius*, 1784. *Zweyter Band* 1785. *Dritter Band* 1788. 8. *mai.*

et ſub alio titulo:

PETER CAMPERS, *öffentlichen Lehrers der Arzneykunſt und verſchiedener Akademien Mitglieds u. ſ. w. kleinere Schriften die Arzneykunſt und fürnehmlich die Naturgeſchichte betreffend. Erſtes Bändchen, aus dem Holländiſchen überſetzt, mit vielen neuen Zuſätzen und Vermehrungen des Verfaſſers bereichert, und mit einigen Anmerkungen verſehen, herausgegeben von* I. F. M. HERBELL. *Leipzig, bey Siegfried Lebrecht Cruſius*, 1782. pagg. 157. tabb. aenn. 4. *Herrn* P. CAMPERS, *Lehrers der Arzneykunſt u. ſ. w. und verſchiedener Akademien Mitglieds u. ſ. w. Kleinere Schriften die Arzney- und Wundarzneykunſt und fürnehmlich die Naturgeſchichte betreffend. Erſten Bandes zweytes Stück. Ins Teutſche überſetzt von* I. F. M. HERBELL. — 1784. pagg. 184. ſine praef. tabb. aenn. 6. *Zweyten Bandes erſtes Stück*, 1785. pagg. 183. ſine praefat. tabb. aenn. 4. *Zweytes Stück* 1787. pagg. 182. ſine praef. et ind. tabb. aenn. 5. *Dritten Bandes erſtes Stück*, 1788. pagg. 221. ſine praef. et ind. tabb. aenn. 4. *Zweytes Stück*, 1790. pagg. 183. ſine praef. et ind. tabb. aenn. 3.

i. e.

PETRI CAMPERI opuſcula ad medicinam, chirurgiam et hiſtoriam naturalem ſpectantia, multis acceſ-

acceſſonibus ab Auctore locupletata, teutonice verſa a I. F. M. HERBELL. Volumina tria cum figuris aeri inciſis.

Cl. HERBELL, ante iam de patria noſtra traductione operum Camperianorum *) optime meritum, ſimilem apud omnes, qui CAMPERVM norunt, gratiam iniiſſe perſuaſum habemus, quum opuſcula EIVS hinc inde diſperſa vel plane nondum publici iuris facta colligendi conſilium cepiſſet; in quo labore ſe ab ipſo b. Auctore beneuole adiutum fuiſſe gratus depraedicat; ipſumque breui ante mortem tempore ſupplementa ad opuſcula haec ſibi tranſmiſiſſe refert, quae aliquot voluminibus ſufficiant. Quum autem Cl. Editorem aliis negotiis, inter quae translationem celebratiſſimi operis **) referimus, impeditum eſſe ſuſpi-

*) PETER CAMPER,S *Abhandlung von den Kennzeichen des Lebens und Todes bey neugebornen Kindern. Nebſt einigen Gedanken über die Strafen des Kindermords. Aus dem Holländiſchen überſetzt und mit neuen Zuſätzen des Verfaſſers, wie auch einigen Anmerkungen vermehrt von* I. F. M. HERBELL. *Frankfurt und Leipzig* 1777. 8. *Abhandlungen des* HIPPOCRATES, C. CELSVS *und* PAVLVS *von* AEGINA, *über die Fiſteln und Vorfälle des Afters, überſetzt und mit Anmerkungen und Beobachtungen erläutert von* PETER CAMPER. — *Aus dem Holländiſchen. Vermehrte Auflage. Leipzig* 1781. 8.

**) *Naturgeſchichte des Orangutang und einiger andern Affenarten, des afrikaniſchen Nashorns, und des Rennthiers, ins teutſche überſetzt, und mit den neueſten Vermehrungen des Verfaſſers herausgegeben von* I. F. M. HERBELL. *Düſſeldorf.* 1781. *mit Kupf. 4 mai.*

ſuſpicemur, quo minus fidem datam tam cito ſolue-
ret, quam nos in votis habemus: diutius collectio-
nis huius recenſionem differre non potuimus, eorum,
quae ſequutura ſperamus, ſuo etiam tempore ſum-
mam tradituri.

Vol. I.

*Excerpta ex praelectionibus duabus in academia* P. I.
*pictorum Amſtelaedami habitis* *). De diuerſitatibus p. 11.
aetatum et nationum ex forma capitis cognoſcendis;
de vitiis a pictoribus hac in re commiſſis; diuerſam
capitis apud varias gentes formam tractationi recens
natorum tribui non debere (quod in ſequenti oratio-
ne exemplo aethiopum vlterius pertractatur); in
quo pulchritudo ſtatuarum veterum conſiſtat; quo-
modo capitis pulchritudo delineando aſſequenda
(Harum omnium ampliorem expoſitionem b. Auctor
in praefatione pollicitus eſt, et procul dubio in libro
poſt ipſius mortem edito **), cuius verſionem addi-
tamentis auctam ab Ill. SOEMMERRING propediem
exſpectamus, promiſſis ſtetit).

*Oratio ſuper origine et colore aethiopum, habita* p. 24.
*in theatro anatomico Groningae* 14 *Nou.* 1764 ***).
Tribus exemplis b. Auctor cerebrum coloris pal-
lidioris

*) ex diario belgico: Hedendaagſche Vaderlandſche Letteroeffeningen, deſumta.

**) PETRVS CAMPER over het natuurlyck Verſchil der Weſen-Strecken in Menſchen van onderſcheiden Landaart en ouderdom, over het ſhoon in antyke Beelden en geſnedene Steenen, gevolgd door een Voorſtel van eene nieuwe Manier om Hoofden van allerleye Menſchen met zekerheid te tekenen. Te Utrecht 1791. m. K.

***) ex diario: De Rhapſodiſt, 11. Deel, No. III. Amſterd. 1772. 8.

lidioris quam Europaeorum, (idem Illuſtr. SOEMMERRING *); contrarium b. MECKEL **) et Ill. WALTER ***), ſed vterque ſemel tantum) et ſanguinem noſtro ſimilem, in duobus tantum alioque diuerſis parentibus nato (*Meſtizen*) ex purpureo nonnihil negreſcentem, ſucci mororum nigrorum ad inſtar, vidit, qui tamen color nec Europaeis prorſus alienus ſit. Calorem climatis cauſſam coloris nigri eſſe (Dubiorum Ill. PALLAS ****) Cl. HERBELL in tranſitu tantum mentionem facit, libro ipſo non viſo). Abortus ex parentibus angolenſibus, in tota ſuperficie albus, naſo, labiis, totaque facie aethiopibus adultis ſimilis †). In recens nato puero tertio die genitalia, cutis circa vngues, et areolae mammarum nigra fiebant, hoc colore 5. et 6. die ſuper totum corpus extenſo, exceptis volis et plantis, et quidem puero tempore brumali in conclaui detento et faſciis inuoluto. Sedes coloris in corpore reticulari. Paucum iſtud et ſubtile, quod cuticulam et capillos nigro colore tingit, in prima iuventute ex ſanguine ſecretum videtur: ſolem quidem plurimum ad nigredinem cutis conferre, non tamen ſolum id praeſtare, quod partes ei non expoſitae probent. Ex omnibus communem ab vno parente totius humani generis ortum ſequi, cuius probationem iam in exordio ſibi propoſuerat b. Auctor.

*Suc-*

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXVI. p. 622.

**) Eorund. Vol. V. p. 203.

***) Eorumd. III. Dec. Suppl. p. 435.

****) Act. acad. ſcient. imp. Petropol. pro anno 1777. Pars prior. Petropol. 1778. 4. Hiſtoire p. 33.

†) Conferenda, quae b. Auctor alibi tradidit, vid. Comm. noſtr. Vol. XVI. p. 594.

*Succincta relatio de anatome elephanti iunioris* *). p. 50.

Erat idem, qui in viuario principis Arauſiaci mortuus fuerat, cuius deſcriptionem anatomicam vberiorem b. Auctor ampliori tractatui reſeruauerat, tabularum aeri inciſarum eidem deſtinatarum explicationem hic ſubiungens; naturali eiuſdem hiſtoria a Cl. VOSMAER edenda cum icone a b. CAMPER confecta, cum reliquas omnes, quotquot exſtiterint, imperfectas cognouiſſet. Apertura inter oculum et aurem **) nonniſi demtis integumentis conſpicienda, diametri $\frac{1}{10}$ poll. Cilia in palpebra ſuperiore maiora quam in inferiore. Puncta lacrymalia nulla, neque ſaccus lacrymalis, neque eius in oſſe veſtigium. Muſculus orbicularis oculi inferius craſſior et latior; hinc frequentior nictitatio palpebrae inferioris. Cauda longiſſima, teres, extremitate plana, ſetis marginis interni triplo longioribus quam externi. Vngues omnes introrſum flexi ideoque detriti. Pedibus anterioribus plantae multo maiores et craſſiores, quam poſterioribus. Pullum reliquorum ad inſtar ore ſugere. Lingua parum libera. Epiglottis glottidem exacte claudens, muſculo eleuatore maiore quam in aliis animalibus: BVFFONII explicatio deglutitionis ***) vix capienda. Dentes molares iunioribus in ſingula maxilla 4, ſed adultis nonniſi 2. Teſticuli in cauo abdominis, peritonaeo arctiſſime affixi, appendicibus ſatis longis omentorum ad inſtar inſtructi; vaſa ſpermatica breuiſſima; annuli inter muſculos abdominales pro tranſitu teſtium nulli. Muſculi duo ab

*) Ex diario: Nieuwe vaderlandſche Letteroeffeningen. Amſt. 1774. 8.

**) Conf. deſcriptionem Celebb. BVFFON et D'AVBENTON; vid. Comm. noſtr. Vol. XIII. p. 181. ſeqq.

***) Ibid. p. 183.

ab anterioribus ossibus pubis orti, mox in tendinem abeuntes ad dorsum penis decurrentem et glandi insertum, penem rigidum antrorsum mouentes, non eius erectores, vti DUVERNOI putat *). Vnde patet, elephantum retro neque mingere neque coire, quod omnes statuerint. Genitalia non adeo parua (IDEM). Veru montanum, ab EODEM negatum, eodem modo vt in aliis animalibus. Proboscidis musculi ex fronte, ossibus nasi, zygomaticis, parte inferiore maxillae, male a BLAIRIO **) descripti. Sinuum frontalium simplex apertura in cauum narium et oris. In corde animalis admodum iuuenis ne cartilago quidem, multo minus os, licet in vitulis sex hebdomadum cartilago figurae eiusdem cum ossibus cordis bouis adesset; pericardium satis multum liquidi continens; arteria coronaria sub ortu ex aorta simplex, mox in duos ramos diuisa. Loco vesiculae velleae ductus amplus hepaticus, terminatus in saccum amplum oualem, valuulis transuersalibus in quatuor cauitates inter se communicantes diuisum, in duodenum apertum, superficie interna rugosa et glandulis minoribus conspersa. Pancreas exiguum, ex glandulis laxioribus compositum, quarum ductus in amplum canalem vniuntur, prope intestinum in duos diuisum, altero in ductum choledochum abeunte et in saccum felleum terminato, altero profundius in duodenum. Intestinum caecum et colon equinis simillima, sed flexurae sigmoideae arcus maior; ventriculus et intestina, aqua elota, magis saponacea quam in vllo alio animali. Renes admodum magni, in glomeres diuisi, peluis, quam BLAIRIVS negat, satis

*) Comment. acad. scient. imp. Petrop. T. II. ad annum 1727. Petropol. 1729. 4. p. 377. seqq.

**) Philosoph. Transact. n. 326.

longa et ampla, inferius, vbi in vreterem tranſit, anguſtior. Cranium ratione capitis exiguum, ob amplam cauitatem narium. Ligamentum capitis ad ſitum erectum eius ſeruandum (paxwax) iam in oſſe ſacro incipit, proceſſus ſpinoſos vertebrarum omnium coniungit, et partim cauitati ad latus ſpinae capitis immergitur, partim ſex vertebris colli, ſolo atlante libero, affigitur. Cauitas oris obliqua, palato anterius ſuper dentes molares inclinato, linguae apice deorſum poſito, ipſaque oris apertura directionem eamdem ſequente. Cerebrum non tam exiguum, quam plerique putarunt; tentorium perpendiculare; cauitates humanis ſimillimae, aeque ac glandula pinealis et corpora quadrigemina. Neruorum olfactoriorum cauitates inſignes, vt in pleriſque quadrupedibus. Nares in oſſibus maximae, antrorſum membrana clauſae; ſeptum ex protuberantia duorum oſſium naſi, ad latus eius vtrinque cartilagines turbinatae per dimidium cauitatis narium marginisque anterioris maxillae ſuperioris verſus laryngem decurrentes, multis affixis muſculis et parte inferiore proboſcidis in cartilaginum harum cauitates continuata. Muſculis iſtis cauum faucium perfecte claudi poteſt aditusque aeris arceri et aqua in proboſcide retineri, quum eodem tempore reſpiratio per os peragitur.

*Commentarius de oſſium maiorum in auibus ſtructura illorumque in diuerſis ſpeciebus diuerſitate* *). In p. 94.



*) Ex diario: Verhandelingen van het Bantaaſſche Genootſchap der proefondervindelyke Wisbegeerde, Vol. I. Amſt. 1774. 8. p. 235. Eundem etiam acad. ſcient. Pariſinae tranſmiſit b. CAMPER, quae ipſum commentariis ſibi ab exteris oblatis (Mém. préſentés cet. T. VIII. 1776.) inſerendum curauit.

femore *falconis fului* *) ſub trochantere maiore aperturam oualem detexit Cel. Auctor, per quam aerem in os ipſum medulla vacuum inflare poterat, aeque ac in humero, ſimili apertura prope caput inſtructo. Eadem ratio erat humeri *ſtrigis vlulae* et corui indici (*pſittaci macao?*), non autem femoris. Aer inflatus ex humero in pectus, ex femore in membranam pectoris per abdomen decurrentem tranſibat. Succeſſit etiam experimentum, quum in altera extremitate humerus perforaretur, et aer inflaretur; non autem in femore eiuſdem ſtrigis neque falconis. Idem euenit in *meleagride* et gallis, in quibus etiam femora eiuſmodi apertura carebant; in *vrogallo* vero aderat. In *ciconia* aeque in humero ac femore adeſt. Inde concluſit Cel. Auctor, humeros pleriſque auibus cauos eſſe, femora vero iis tantum, quae volatu in altum feruntur; quod inde probatum cognouit, quod paſſeris oſſa caua non ſint, ſed humeri alaudae. In falcone dicto et ſtrige humeros, ſcapulas earumque ſuſtentacula (clauiculas poſteriores), ſternum, coſtas omnes, vertebras pleraſque, os ſacrum et oſſa pelvis caua inuenit, aere immiſſo inflanda eumque cauo pectoris communicatura, quod etiam contigit, quum laryngem inflaſſet; oſſa antibrachii autem medulla repleta ſunt, neque aerem admittunt. Aer ille in cauitatibus pectoris et abdominis calore expanſus oſſa iſta ingreditur, et generatim aſſumi poteſt, oſſa pro ratione volatus caua eſſe. Humerus fractus et bene ferruminatus galli iunioris ſimul docet, medullam ad coalitum oſſium non requiri. In additamentis b. Auctor ſubiungit, *ſtruthionem camelum*, *diomedeam demerſam* et *colymbum immer*, aues ad volatum ine-

*) Nominibus Linnaeanis vtimur, licet in ſcriptis b. Auris non ſemper expreſſis.

ineptas, humeros medulla plenos neque apertura inſtructos habere; poſteriorum praeterea femora, loco patellae apophyſi adſcendente inſtrui, perioſteique colorem nigrum eſſe et choroideae ad inſtar inquinantem.

*Epiſtola ad editores diarii: Heedendaagſche vaderlandſche Letteroeffeningen, ſuper eodem argumento* *). Quum Cel. Auctor haec iam anno 1771 obſeruaſſet, commentario licet 1774 demum edito, ipſe inuentionis gloriam prae Cel. HVNTERO **) ſibi vindicat, et ad commentarium priorem ſupplementa quaedam annotationesque addit. Cranium per tubam Euſtachii aere repletur. In *caſuario* ſola cauitas inter os ilium et ſacrum aerem recipit, huic aui non medius, ſed intimus digitus maximus. In *ſtruthione camelo* non niſi femur aerem tranſmittit, ſed alibi quam in aliis auibus, nempe per maius in minora diuiſum foramen in ſuperficie poſteriore partis ſuperioris, et per aliud itidem poſterius inter condylos. In *coruo cornice* cauum vertebrarum colli cum humeris communicat. In *ſtruthione*, *ardea cinerea* et *ſtellari* et *cornice* apertura in parte ſuperiore apophyſeos maxillae inferioris, ex qua tubus membranaceus aſcendit et ſimili foramine ſub margine ſuperiore cauitatis tympani inſeritur, per quem aer in maxillam intrat: foramen iſtud in ſtruthione amplitudine calami ſcriptorii eſt, et procul dubio celerem huius auis curſum iuuat. *Scolopax ruſticula* et *ſterna nigra* aeque ac *fringilla domeſtica* humeris femoribusque vacuis deſtituuntur, in quibus rectrices defectum hunc quodammodo ſupplere videntur. p. 108.



*) Ex hoc diario anni 1775.

**) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXI. p. 117.

p. 123. *Appendix ad epiſtolam praecedentem: de artificio chalybem indurandi.* Cingula bracheriis deſtinata vna cum forcipe illa tenente ad ſummum gradum incandeſcant, et protinus in oleo ebulliente exſtinguantur, nulla tunc vlteriore temperatura, vt dicunt, indigentia; ex quo ſequitur, non gradum frigoris auctiorem chalybem indurare, ſed cauſſam quamdam hactenus incognitam, forſan ſubitum refrigerium *)

p. 126. *Commentarius de generatione bufonis americani ſiue pipae* **). Organon auditus in bufonibus vti in teſtudinibus membrana denſa tuberculoſa obtectum, ſub oculo poſteriora verſus inter muſculum maſſeterem et temporalem collocatum, ex cauitate tympani ouali conſiſtit, ſolum ſtapedem continente. Lingua humanae ſimilis, ſed inuerſa, radice baſi maxillae inferioris affixa, apice libero retrorſum flexo. Hepar et praecipue veſicula fellea inſignis magnitudinis; inteſtina teſtudinis admodum ſimilia.

p. 141. *Obſeruationes de cantu ranarum maſcularum* ***). In faucibus poſteriora verſus vtrinque proxime ad maxillam inferiorem duae adſunt aperturae ouales, per quas aer immiſſus veſiculas exterius ſub membrana tympani ſitas et ad humerum vſque extenſas, albicantes, pellucidas vaſisque ſanguiferis intertextas, quae alias complicatae in vtroque latere rugam profundam aperturae oris contiguam ſiſtunt, pariter ac membranam vſque ſub linguam ſe extendentem inflat. Veſiculae iſtae ex membrana muſculoſa conſtant,

*) Hoc inuentum Ill. auctor ipſe academiae chirurgicae Pariſinae 1777 coram monſtrauit.

**) Ex actis Harlemenſibus, vid. Comm. noſtr. Vol. XII. p. 270.

***) Ex ſupra allegatorum actorum Batauorum Vol. I. p. 245.

ſtant, adeo vt penitus euacuari poſſint, niſi animal aerem vi intrudat. Inſpiratione ergo maxima facta aer per glottidem inferius verſus linguam vrgetur: huius eminentia per mediam ipſius longitudinem decurrens aerem diuidit et ad vtrumque orificium veſicularum amandat; harum membrana muſculoſa aerem iterum verſus os et linquam depellit, et ſonum format. Duplici autem linguae apice (in ranis enim bifidus eſt, ſecus ac in bubonibus) animal orificia claudere poteſt, inſpiratione per choanas facta. Auget hanc vocem magnitudo et ſitus pulmonum ad longitudinem totius pectoris et abdominis. Bufonibus non ſunt iſtae veſiculae, nec ranis femellis, nec omnibus maribus; in americanis nonnullis aut minores, aut prorſus nullae.

*Supplementum ad commentarium de oſſibus auium* *). Vlterior explicatio et icon femoris *ſtruthionis*. *Otidis tardae* femur foramine ſupet trochanterem maiorem inſtructum; *columbae coronatae* femur vt in *aquila* ſuperius deſcripta, *ciconia*, *vrogallo* cet. In *platalea leucorodia* femora medulla repleta, ſed inter gluteos duae inſignes veſicae aereae, ex quibus aer ad omnia oſſa pectoris et abdominis, femur et os ſacrum penetrat. Icones maxillae inferioris *ſtruthionis*, *bucerotis rhinocerotis* et *naſuti*, *cornicis* et *ardeae maioris*. In auibus aquaticis neque maxilla inferior, neque reliqua capitis oſſa aerem recipiunt. In *ardea cinerea* tres canales aerei a parte anteriore pleurae decurrunt, vna prope vertebras colli (idem etiam in *platalea*), duae lateraliter inter muſculos inter transuerſarios vertebrarum, ſingulis vertebris ramum impertientes; quomodo autem aer inter cauum vertebrarum et membranam medullam ſpinalem p. 151.



*) ad illuſtrandam Tab. IIII. antea non editum.

lem inueſtientem penetret, nondum conſtitit. Aues, quibus oſſa caua negata ſunt, aeque ac veſpertiliones muſculis fortioribus natura inſtruxit. Remiges aquilae, ardeae, plataleae, et procul dubio aliarum, prorſus vacuae; vnde vero in eas, aeque ac in reliquas pennas auium aculeosque hyſtricis aer deducatur, nondum patet: forte ex vaſis ſanguiferis, vt in plantis.

P. II.

p. 1. *Commentatio de auditu piſcium ſquamoſorum* *). Ad diſquirendum cerebrum et auditus organon *gado aegleſino* et *morrhua* et *eſoce lucio* vſus eſt; raiarum enim, vti reliquorum chondropterygiorum, nimis diuerſum. Fluidum inter duram matrem et cerebrum admodum ſalſi ſaporis eſt, in eſoce ſpiſſius. Cerebellum ligamento ſuſpenſum, ne ventriculus quartus nimium prematur. Ventriculus anterior (in omnibus adeſſe HALLERVS **) negat); glandula pinealis in piſcibus examinatis nulla, ſed corpora quadrigemina potiſſimum in eſoce bene diſtinguenda. Valuula magna ventriculum quartum obtegens, a proceſſibus lateralibus cerebelli deſcendentibus formata. Cerebro inuerſo eminentiae candicantes maximae, infundibulum cum glandula pituitaria, corpora duo pyramidalia conſpiciuntur. Paris primi nerui in raia ſimplices, admodum ponderoſi et craſſi. Par ſecundum in aegleſino ante contactum fibris quibusdam tranſuerſalibus vnitur: in raia coniunctio in vnum quaſi truncum, in duos ramos ad ſingulum oculum

*) Ex actis Harlemenſibus: vid. Comm. noſtr. Vol. XVI. pag. 581. Conf. etiam, quae Ill. Auctor comm. acad. Pariſ. inſeruit: vid. Comm. noſtr Vol. XXI. p. 458. ſeqq.

**) Vid. Comm. noſtr. Vol. XVI. p. 432.

oculum ſub angulo recto abeuntes diuiſum. Diſtributio neruorum in oculum eadem, quae in hominibus et quadrupedibus; par quintum etiam ad externum oculum et maxillam vtramque ramos ablegat. Paris ſeptimi ortus inter quintum *) et ſextum. Par octauum variis ramis ad maxillas, nonum vno ad palatum, reliquis ad pinnam pectoralem abit. In piſcibus rotundis orificium narium ex fundo cauo venis atris pertexto conſiſtit, in quo neruus olfactorius ad modum optici in retina expanditur. In raia fundi iſtius ſuperficies membranis adiacentibus, filo centrali affixis, amplior redditur. Organon auditus in raia non membranaceum, ſed cartilagine incluſum. Burſa ſeu foſſa nauicularis ſurſum aperta, anterius velut emarginata, marginibus ſurſum directis, interius membrana nigrouariegata veſtita, retrorſum cum iugo oſſeo connexa; os petroſum libere quidem in ea collocatum videtur, veroſimile tamen, illud membranis tenuibus nutritionem eius iuuantibus adnecti. In eſoce duo, membranis firmiter inter ſe iuncta, et tertium ſub orificio canalis ſemicircularis anterioris collocatum; in aliis plura; in raia corpora duo, propria ſingulum tunica incluſum, mollia, ponderoſa tamen, poſt exſiccationem alba et friabilia. Canales ſemicirculares exterius aeque ac interius membrana glutinoſa obducti **). In altera ſectione huius tractationis in tranſitu etiam de ratione audiendi per dentes paucis exponitur.



*) non trtium, vti forte ex errore typographi in Comm. noſtr. Vol. XVI. p. 582.

**) Conferenda, quae Cl. HVNTER de organo auditus piſcium propoſuit: vid. Comm. noſtr. Vol. XXVIII. p. 517.

p. 32. *Tractatio de organo auditus phyſeteris macrocephali* *) Organon auditus in crocodilis idem, quod in aliis reptilibus terreſtribus, ſola excepta magnitudine. Cenſura LINNAEI ob locum cetaceis et chondropterygiis in ſyſtemate aſſignatum. Specimen, quo vſus eſt Ill. Auctor, partibus mollibus putredine iam abſumtis orbatum erat: vero tamen ſimillimum, membranam tympani tubamque Euſtachii adfuiſſe. Os ipſum duriſſimum, diuturno demum taediique pleniſſimo labore diuidendum, vt interiora paterent. Delineatio eius partiumque contentarum ſub diuerſo ſitu exactiſſima, interdum tamen ob litteras additas deſcriptioni non ſemper reſpondentes paullum obſcurior nobis viſa. Malleus manubrio et apophyſi Rauiana, nonniſi fibram oſſeam referente, thecae oſſeae iunctus. Os lenticulare cruri maiori incudis firmiter affixum. Feneſtra tantum oualis, ſed aperturis duabus inſtructa; rotunda nulla, veſtibulum etiam minus, vtrumque ob defectum canalium ſemicircularium. Comparatio organi auditus in hominibus, auibus, reptilibus terreſtribus, et cetaceis: curuaturam cochleae nihil ad auditum conferre, directio eius recta in auibus docet.

p. 60. *Succincta relatio de anatome quarundam ſimiarum ſatyrorum, praecipue illius, quae in viuario principis Araufiaci* 1777. *mortua eſt* **). Hiſtorica iam transimus.

*) Ex actis Harlemenſibus: vid. Comm. noſtr. Vol. XVII. p. 460.

**) In diario: Nieuwe vaderlandſche Letteroeffeningen, Vol. I. Amſt, 1778. Seorſim etiam prodiit: Kort Berigt wegens de Ontleding van verſchiedene Orang-Outangs, en inzonderheit van die in de Diergaarde van zyne D. H. d. H. Prinze van Orange geſtorven is in den Jaare 1777. Door PETRUS CAMPER.

ib.

imus. Animalis patria Borneo. Simia ecaudata, brachiis longis, manibus magnis, femoribus cruribusque multo breuioribus, pedibus magnis, digitis eorum, halluce excepto, maioribus quam reliquarum ſimiarum, extremitatibus tamen vtriſque macris, clunibus ſuriſque nullis (contra BUFFONUM *), quem tamen veram S. ſatyrum non vidiſſe, ſed TULPII TYSONIque ſimiis angolenſibus et guineenſibus deceptum fuiſſe, b. CAMPER in opere maiori perhibet); collo breui, clauiculis longis, ſincipite maiore reliquis ſimiis, roſtro producto, hasque ob cauſas naſo non prominente; oculis approximatis, bulbis exiguis, ita vt album conſpici nequeat; labiis margine rubro deſtitutis; auribus paruis ſubrotundis; mento ſub ſitu quieto medio ſterno impoſito; dorſo praecipue verſus ſuperiora gibbo, abdomine tumido prominente, mammis pectoralibus longis. Cutis nigricans, in volis et plantis picei coloris; dorſum, brachia, femora et crura, praeſertim poſteriora verſus et extrorſum, pilis longis, tenuibus, obſcure rubris obſita, item caput; ſimiles pili in dorſo digitorum manuum et pedum ſparſi. Characteriſticum ſignum defectus vnguis in halluce (in vnico ſpecimine breuiſſimus in pede dextro). Curſus artubus vna motis, aut motus progreſ-

ib. eod. 8. Conferenda etiam, quae de organo vocis Ill. Auctor Transact. philoſ. inſeruit, inferius adducenda. Maius poſtea prodiit opus: Natuurkundige Verhandelingen van PETRUS CAMPER over de Orang-Outang en eenige andere Aap-ſoorten, over de Rhinoceros met de dubbeln Horen, en over het Rendier. Amſt. 1782. 8. mai. cum tabb. 9. aeri inciſis; cuius verſionem germanicam ſuperius iam adduximus.

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XV. p. 658.

greſſiuus vna tantum manu fulciente. Plerumque pedibus ex tignis caueae pendebat. Labia longe protendere poterat. Genitalia notas quaſdam labiorum oſtendebant, minus tamen perſpicue quam in infantibus. *Gibbon* BUFF. *) (*S. longimana*), cuius ſceleton ſub nomine *wouwou* ad Ill. CAMPER tranſmiſſum, ad eamdem ſpeciem pertinens, licet halluces vnguibus inſtructi ſint (in verſione tamen germanica operis maioris fatetur, ſe ex errore vtramque inter ſe confudiſſe), in Africa nondum reperta, neque vero ſimile, GALENVM ex Aſia eam adſciuiſſe **). Longitudo S. ſatyri nondum certa, quum nullum ſpeciminum hactenus cognitorum incrementum perfectum attigerit ***): videri tamen quatuor tantum pedes aſſequi. Saccus laryngeus iam in viuo animali diſtingui poterat, manu admota bipartibilis et alternatim intumeſcens et collabens. Larynx ab humano et reliquarum ſimiarum diuerſus: epiglottis caua, ſurſum directa; os hyoides vt in homine et pygmaeo TYSONI. Ligamenta glottidem formantia admodum exigua; ſuper hanc ad latus vtrumque ſinus laryngis minores quam in homine; in vtroque latere baſeos epiglottidis foramina tranſuerſa (potius fiſſuras vocari debere, monetur in opere maiori), per quae membrana interna laryngis egreditur et ſaccos duos membranaceos format, ſuper marginem cartilaginis thyreoideae et inter hanc atque os hyoides extrorſum decurrentes et ſub muſculo latiſſimo colli aut duplicem aut (in animali, quod potiſſimum examini huic occaſionem dedit) ſimplicem ſaccum formam-

*) Ib. p. 659.

**) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXVI. p. 297.

***) Quae enim Cl. VOSMAER adducit, refutantur in *Götting. gel. Anzeigen* 1780. *Zugabe.* S. 443.

mantes, deorſum verſus medium ſternum, inde ad latera ſuper clauiculas, verſus dorſum, ſub muſculis cucullaribus, vſque ad ſcapulas decurrentem, pro lubitu muſculis iſtis comprimendum et euacuandum. Immiſſo in laryngem tubulo, aer primum pulmones ac dein ſaccum inflabat. Hoc modo ſonum quidem querulum, raucum et ingratum, quum irritatur, edere poſſe, ſed ad loquendum nullo modo aptum eſſe patet *). Egregia huius organi deſcriptio apud GALENVM **). Saccus iſte ſimplex vnicoque orificio inſtructus in *S. ſyluano*, plurimis caudatis, *S. maimone* et *ſeniculo*. Viſcera abdominis humanis admodum ſimilia, multum a ſimiis caudatis ipſaque *S. ſylvano*, in qua hepar in quatuor lobos diuiſum et proceſſus vermiformis nullus, diuerſa. Hepar, quale D'AUBERTON in *gibbon* et TYSON deſcripſerunt, ſed lobis diſtinctioribus; ligamentum rotundum per ſubſtantiam hepatis tranſiens; capſula Gliſſonii ſimul ductum hepaticum et cyſticum cingens; veſicula fellea fere amplitudinis duodeni; pancreas vt in homine. Ventriculus vt in canibus, inciſura profunda verſus pylorum. Inteſtina tenuia valuulis penitas deſtituta. Omentum vtrumque vt in homine. Lien aeque ac hepar morboſe mutatus; glandulae meſenterii tumidae, nigreſcentes. Proceſſus vermiformis in proportione maior omnino quam hominis. Caecum et colon vt in omnibus non ruminantibus ampla. Renes breuiores humanis, ideo latiores et craſſiores, ſulcis in ſuperficie carentes. Viſcera thoracis ſimilia iis, quae TYSONVS depinxit: cor magis acuminatum quam in homine; pulmones morboſe affecti, ſubſtantia tamen magis celluloſa viſa, quam

*) Comm. noſtr. l. c.

**) de vſu partium VII. 11.

quam humanis. Penis fere vt in aliis ſimiis ſub cute reconditus; ſcrotum paruum et ſurſum ductum; meatus ſeu productiones peritonaei pro teſtium tranſitu, exemtis licet inteſtinis, viſibiles, vt in omnibus ſimiis et canibus; cremaſterum et oſſis penis diſquiſitio aliis occaſionibus reſeruanda (poſterioris praeſentia in opere maiori aſſeritur). Ligamentum teres nullum, ſed marſupiale (capſulare) fortius: hinc caput femoris vbique laeue. Genu non tam profundum, quam in homine, neque fouea patellam recipiens tantae altitudinis; muſculi eius profundius in femur inſerti; ex quibus impoſſibilitas inceſſus erecti ſitusque, niſi genubus flexis, patet. In gaſtrocnemiis oſſa ſeſamoidea nulla, ſed ingens in popliteo, a DAVBENTONO in *gibbon* non viſum, quale etiam feli, vulpi multisque aliis. Oſſa pedis extremi, qualia in homine; ſeſamoidea nulla. Oſſa carpi vt in homine, accedente nono in tendine abductoris magni pollicis inter os nauiculare et multangulum maius, vt in ſimiis et canibus; decimum abeſt, in ſimiis caudatis et *ſyluano* praeſens. Tria ſupernumeraria in *S. ſyluano* a Cel. D'AUBENTON deſcripta in eadem etiam b. CAMPER inuenit. Manum a Cl. ALLAMAND in hiſt. nat. T. XV. deſcriptam nulli ſimiarum ſpeciei tribui poſſe (de quo argumento fuſius in appendice operis maioris eiusque verſione germanica). Vertebrae duae priores colli humanis ſimiles, reliquis proceſſus ſpinoſi longiſſimi, ſecus ac in *gibbon*. Os ſacrum vt in pleriſque quadrupedibus ex tribus, coccygis ex quatuor vertebris conſtat; vtriuſque ſitus rectus. Orbitae ſibi adeo propinquae, vt os cribroſum ne cogitando quidem fingi poſſit. Proceſſus condyloidei occipitis non in medio, vt in homine, ſed retrorſum, licet minus quam in reliquis ſimiis. Os intermaxillare *) ſolum ſufficiens ad

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 16.

ad locum animali inter quadrupedia aſſignandum, quum in capitibus humanis omnium nationum numquam deprehendatur.

*Epiſtola ad celeberr. Amſtelaedamenſes chirurgos* MARTENS, VAN GESSCHER, ZWAGERMAN *et* VAN HUSSEM, *ſuper lithotomia duobus temporibus peragenda* *). Cel. LOUIS Auctori noſtro methodum hanc, qua cum inſolito ſucceſſu vſus eſt, communicauit: edoctus enim, non ſectionem, ſed extractionem calculi, ſiniſtri euentus cauſſam eſſe, inciſionem methodo HAWKINSII aut qualemcumque aliam lateralem facit, ac dein ad conamina naturae attendit, adeoque quintum interdum diem exſpectat, donec calculum extrahat; eodem modo agit, vbi plures adſunt calculi. Iam ante duo ſaecula PETRVM FRANCO **) hanc methodum propoſuiſſe ipſumque ſequutum eſſe, niſi calculus vltro ſe offerret, eo tantum diſcrimine, vt vulnus glomere ex linteo carpto replendum iuſſerit, quod Cel. LOUIS ad liberiorem vrinae exitum omittit. FABRICIVS HILDANVS et MANGETVS, poſteaque COLOTVS, SAVIARIVS, HEISTERVS et SWIETENIVS eamdem, licet non adeo generatim, commendant (Plura in ſequentibus). p. 95.

*Epiſto-*

*) Ex eodem diario: Nieuwe vaderl. Letteroeff. 1777. Seorſim prodiit Amſtelaedami 1780: Brief van PETRUS CAMPER an de Heeren MARTENS — over het Steenſnyden in twee Reizen. Vid. etiam the London Medical Journal, Vol. X. P. 2. for the year 1789.

**) Traité des Hernies cet. Lyon 1561. 8. p. 128. ſeqq.

p. 108. *Epiſtola ad Cl.* B. HÜSSEM *cet. ſuper claudicatione infantum* *). Alibi iam **) monſtrauit, vitium hoc non a fracto, ſed luxato capite femoris proficiſci. Maximam admirationem inter huius cauſſae effectus excitat perfecta tam copioſae materiae oſſeae reſorptio, facilius tamen explicanda, quam conſumtio vertebrarum in gibberoſis adeo frequens. Ligamenti teretis rupturam luxationis huius non cauſſam, ſed effectum eſſe, neque inde luxationem produci, quod vel ex defectu eius in *ſimia ſatyro*, ſuperius memorato, pateat. Anatomica diſquiſitio docet, muſculos gluteos, piriformem, et tendines obturatorum, aeque ac iliacum internum, pſoam, pectineum, et quadratum femoris ſurſum trahi; caput femoris infra tendinem muſculi recti femoris extrorſum ſurſumque duci, inde tendines iliaci interni et pſoae neruosque femoris extendi et curuari, vnde atrophia pedis; obturatorem internum et externum os iſchium ſenſim extrorſum trahere, vnde angulus coniunctionis oſſium pubis maior exiſtat et profunditas peluis minuatur partusque facilitetur, inprimis femore vtroque affecto. Cauteria, ſtillicidia thermarum, vapor aceti, ſucceſſu caruerunt. Inde de euacuando liquido in ligamento capſulari collecto cogitans Illuſtr. Auctor in cadauere inciſionis locum quaeſiuit et inuenit, et ad operationem peragendam requirit, vt infans vacillando tantum incedat, pede non perſpicue breuiore, vt plica clunium in parte affecta non multum ſurſum dirigatur, multo minus ſpina dorſi ſub inceſſu introrſum flectatur, adeoque mali tantum initia ſint. Infans corpore extenſo in dorſum collocandus, pes affectus a miniſtro, digitis non

*) Ex ſaepius adducto diario anni 1782.

**) Vid. Comm. noſtr. Vol. XVI. p. 595.

non nihil introrſum tortis vt ſartorius tendatur, firmiter tenendus: poſtea cultro acuto firmo in cutim ad pollicis a ſpina ſuperiore ilii diſtantiam inter ſartorium et tenſorem vaginae femoris inciſio longitudinis ſeſquipollicis fiat; tum indice manus ſiniſtrae ligamentum capſulare et tendo muſculi recti femoris, facile inter duos muſculos dictos deprehendendus, quaerantur, dein cultro eodem ligamentum a ſuperioribus verſus inferiora longitudine oſſi adaequata, ſaltem ad $\frac{1}{2}$ vel $\frac{2}{3}$ pollicis, incidatur: liquido emiſſo vſque in cauitatem ligamenti linteum carptum complicatum immittatur, vulnere deinde, vt decet, deligando. Culter acui triquetrae, quae quidem in magno gradu extenſionis locum habere poſſit, praeferendus.

*Commentarius de optima calceorum forma — ex gallico verſus* *) Friuolum forte primo intuitu argumentum viſum, a Cl. Auctore tractatum redditum fuiſſe grauiſſimum, neminem perlecto hoc commentario inficias iturum certiſſime perſuaſi ſumus. Praeter introductionem ſeptem capita complectitur: 1. de pede, 2. oſſibus, ex quibus componitur, 3. planta pedis, 4. ineeſſu in genere, 5. requiſitis calcei, 6. optima calceorum forma, 7. morbis per calceos per- p. 123.

*) Primum inſertus in Genees Natuur- en Houshoudkundig Kabinet, uitgegeven door J. VOEGEN VAN ENGELEN. Te Leiden 1781. 8. mai. Inde ſeorſim ſine loco prodiit: Diſſertation ſur la meilleure forme des ſouliers, par M. PETRUS CAMPER. 1781. 8. c. f. *Abhandlung über die beſte Form der Schuhe, von* P. CAMPER. *Aus dem Franzöſ. m. Kupf. Berlin und Stettin* 1783. 8. Alius verſionis, Viennae 1782. 8. mai. editae, auctor eſt IOS. FRANC. Nob. ab IACQVIN.

peruerſos inductis, remediisque aduerſus eoſdem.

Iam veteres morbos pedum a mala calceorum crepidarumque conformatione productos exactiſſime deſcripſerunt. Calceos in diuerſis vrbibus pro diuerſitate pauimenti lapidei differre debere. Diuerſa longitudo pedis ſub inceſſu et quiete. Inceſſus diverſus feminarum, infantum, ſenum, grauidarum, item pro diuerſa longitudine corporis et conſuetudine pedem extrorſum vel introrſum ponendi. Figura plantae pedis a pictoribus rhomboidea aſſumitur, et eadem in modulis adhibetur: natura vero docet, rhombum iſtum linea diagonali non in partes aequales diuidi, ſed exteriorem maiorem eſſe interiore; inde compreſſionem digitorum ineuitabilem. Situs oſſium tarſi ſub inceſſu et ſitu erecto, indeque pendens totius figurae pedis mutatio. Soleae calcei breuitas nimia, inceſſu magis increſcens, nec pauco iſto ſpatio, quod addere ſolent in conficiendo calceo ſutores, ſufficienter reſarcienda. Maiora adhuc incommoda a fulcimento, praecipue in calceis feminarum nimis exaltato: dorſum pedis in formam rotundatam coactum; figura oſſium, potiſſimum calcanei et aſtragali, deprauata; dolores in ſuris, quum pedibus nudis incedant, ob muſculos illarum cum tendine Achillis cohaerentes extenſioni ferendae impares; minor firmitas in ſitu erecto, faciliorque ad luxationes propenſio, ob lineae propenſionis, quam BORELLVS dicit, directionem mutatam; ſpinae dorſi diſtorſio *) indeque ſequens peluis anguſtatio; vnde crebrior in nobilioribus partus difficultas, quam in inferiore hominum claſſe; facilior propenſio in lapſum

*) L'Orthopédie — par ANDRY, à Bruxelles 1743. 12. T. I. p. 68.

lapſum fracturamque patellae, in viris, baiulis exceptis, rariſſimam. Mos ruſticorum Belgii commendabilis, ſinguló pedi ſingulum calceum adaptandi, qualis etiam calceorum ligneorum ratio eſſe ſolet; neque enim alternam mutationem calceorum mala ab vtriuſque calcei figura aequali oriunda auertere, ſcilicet compreſſionem mutatamque figuram digitorum, pedis medii ſuper ſoleam protuberantiam, articulationisque pollicis tumorem et inflammationem. Fulcimenti altitudo pauimento, per quod incedendum eſt, adaptanda: ſoleis prorſus planis alliſus ad lapides facilior, quam illarum apicibus, vt olim moris erat et hodienum in calceis ligneis calopodiisque ferratis eſt, paullum eleuatis. Incommoda ſolearum ex ſubere confectarum. Claudi, ſi prouectiore aetate articulatio femoris firmata eſt, fulcimento exaltato ſub breuiore reddito pede indigent, ne flexio genu ſani id efficiat, vt pes morboſus eo violentius deorſum agatur, caput femoris ſurſum vrgeatur et pes marceſcat. Pes in vtero ob deficiens ſpatium introrſum diſtortus, interdum alteruter, interdum vterque: in ſectione eiuſmodi infantis vidit Cel. Auctor collum vtriuſque aſtragali valde compreſſum, ideoque pedem muſculis tibiali antico et poſtico vehementer introrſum tractum, peronaeis debilitatis nec pedem extrorſum trahere valentibus, ipſoque calcaneo obliquo reddito eiusque tuberoſitate per flexorem breuem et abductorem pollicis antrorſum ducta, ipſoque tendine Achillis vi ſua priuato; inde impoſſibilitas calcaneo inſiſtendi, eo denique perducta, vt planta pedis directionem perpendicularem nanciſcatur. Inſtrumenta propoſita rariſſime quicquam praeſtitiſſe vidit: cauſſa emaciationis extremitatum inferiorum in eiuſmodi caſibus ignota eſt, quum neque nutritionis defectus, neque neruorum compreſſio adſit. Fibularum locus conuenien-

peruerſos inductis, remediisque aduerſus eoſdem.

Iam veteres morbos pedum a mala calceorum crepidarumque conformatione productos exactiſſime deſcripſerunt. Calceos in diuerſis vrbibus pro diuerſitate pauimenti lapidei differre debere. Diuerſa longitudo pedis ſub inceſſu et quiete. Inceſſus diverſus feminarum, infantum, ſenum, grauidarum, item pro diuerſa longitudine corporis et conſuetudine pedem extrorſum vel introrſum ponendi. Figura plantae pedis a pictoribus rhomboidea aſſumitur, et eadem in modulis adhibetur: natura vero docet, rhombum iſtum linea diagonali non in partes aequales diuidi, ſed exteriorem maiorem eſſe interiore; inde compreſſionem digitorum ineuitabilem. Situs oſſium tarſi ſub inceſſu et ſitu erecto, indeque pendens totius figurae pedis mutatio. Soleae calcei breuitas nimia, inceſſu magis increſcens, nec pauco iſto ſpatio, quod addere ſolent in conficiendo calceo ſutores, ſufficienter reſarcienda. Maiora adhuc incommoda a fulcimento, praecipue in calceis feminarum nimis exaltato: dorſum pedis in formam rotundatam coactum; figura oſſium, potiſſimum calcanei et aſtragali, deprauata; dolores in ſuris, quum pedibus nudis incedant, ob muſculos illarum cum tendine Achillis cohaerentes extenſioni ferendae impares; minor firmitas in ſitu erecto, faciliorque ad luxationes propenſio, ob lineae propenſionis, quam BORELLVS dicit, directionem mutatam; ſpinae dorſi diſtorſio *) indeque ſequens peluis anguſtatio; vnde crebrior in nobilioribus partus difficultas, quam in inferiore hominum claſſe; facilior propenſio in lapſum

*) L'Orthopédie — par ANDRY, à Bruxelles 1743. 12. T. I. p. 68.

lapſum fracturamque patellae, in viris, baiulis exceptis, rariſſimam. Mos ruſticorum Belgii commendabilis, ſinguló pedi ſingulum calceum adaptandi, qualis etiam calceorum ligneorum ratio eſſe ſolet; neque enim alternam mutationem calceorum mala ab vtriuſque calcei figura aequali oriunda auertere, ſcilicet compreſſionem mutatamque figuram digitorum, pedis medii ſuper ſoleam protuberantiam, articulationisque pollicis tumorem et inflammationem. Fulcimenti altitudo pauimento, per quod incedendum eſt, adaptanda: ſoleis prorſus planis alliſus ad lapides facilior, quam illarum apicibus, vt olim moris erat et hodienum in calceis ligneis calopodiisque ferratis eſt, paullum eleuatis. Incommoda ſolearum ex ſubere confectarum. Claudi, ſi prouectiore aetate articulatio femoris firmata eſt, fulcimento exaltato ſub breuiore reddito pede indigent, ne flexio genu ſani id efficiat, vt pes morboſus eo violentius deorſum agatur, caput femoris ſurſum vrgeatur et pes marceſcat. Pes in vtero ob deficiens ſpatium introrſum diſtortus, interdum alteruter, interdum vterque: in ſectione eiuſmodi infantis vidit Cel. Auctor collum vtriuſque aſtragali valde compreſſum, ideoque pedem muſculis tibiali antico et poſtico vehementer introrſum tractum, peronaeis debilitatis nec pedem extrorſum trahere valentibus, ipſoque calcaneo obliquo reddito eiusque tuberoſitate per flexorem breuem et abductorem pollicis antrorſum ducta, ipſoque tendine Achillis vi ſua priuato; inde impoſſibilitas calcaneo inſiſtendi, eo denique perducta, vt planta pedis directionem perpendicularem nanciſcatur. Inſtrumenta propoſita rariſſime quicquam praeſtitiſſe vidit: cauſſa emaciationis extremitatum inferiorum in eiuſmodi caſibus ignota eſt, quum neque nutritionis defectus, neque neruorum compreſſio adſit. Fibularum locus conuenien-

tissimus fere in medio coniunctionis tarsi cum metatarso, loco ab ALBINO *) designato. Mediae magnitudinis praestantiores, ipsisque loris taeniisque praeferendae. Noxae calceorum consuetorum in infantibus, aeque ac ligneorum, quos Cl. BALLEXSERD **) suadet. Ad calceum rite conficiendum requiritur duplex mensura longitudinis plantae planae et inflexae, digitis tantum situm horizontalem retinentibus; singulo pedi proprius modulus; latitudo pedis circulo cruribus obtusis instructo definienda, vt solea satis lata fiat; extremitas calcei rotunda et nonnihil sursum flexa; fulcimenti altitudo inaequalitati plantarum accommodata; longitudo eousque sub calcem exporrecta, vt centrum grauitatis in illud cadat; locus fibulae iam descriptus. Feminis fulcimentum illud sit, per cuius axin centrum grauitatis transeat; magnitudo baseos ipsius tanta, quantum vsus receptus vmquam ferat; locus fibulae idem, qui viris. Infantibus plane necessaria solea latissima et extremitas calcei obtusa magis quam acuta; absit omnis durities. Corium in genere molle, vel si fortius eligatur, hoc non nimis super modulum extendendum, omnium vero minime aquae antea immittendum. Emplastra quaecumque ad emolliendam cutim a pressione calcei laesam inefficacia sunt, nisi pressio ipsa simul remoueatur. Exemplum curationis crustae callosae prope pollicem aliudque similis mali prope digitum minimum, digitis munitis ope canalis ex subere facti et lori ex aluta tenui, digito alligati. Pes super tendinem Achillis nimis pressus inunctionem olei et vini albi seu aceti vini requirit; multo autem maior dolor inflammatorius in articulatione interna pollicis aut externa digiti minimi exoritur idem

*) Tab. musc. IX. κ, λ.

**) Vid. Comm. nostr. Vol. XI. p. 631.

idem remedium poſcens: omnia vero calceorum mutatione ſimul iuuanda ſunt. Verrucis ſub vngue pollicis exortis, vnguis ad verrucam vſque recidendus; remota preſſione aut ſponte euaneſcunt, aut emplaſtro emollienti cedunt: cauſticis exaſperantur. Adverſus clauos praeter calceos ampliores praeſtantiſſimum emplaſtrum e ranis cum mercurio quadruplicato, cuius paruus taleolus emplaſtri glutinantis ope clauo, ſublata prius cute calloſa eum cingente, imponitur. Exemplum vnguis pollicis, neglectu in veram vngulam reliquos vngues obtegentem extenſi. Interdum ſub ungue ſubſtantia dura ſpongioſa naſcitur, vnguem eleuans et in cornu excreſcens, pede in aqua calida emollito facile cum vngue ipſo auferenda. Vngues iuſto duriores et longiores caute ferra reſcindendi ac deinde abradendi. Tandem quaedam de dannis ocrearum linearum (*guêtre, gamache*), quibus Cl. CLARE *) atrophiam pedis extremi, imo ipſius cruris aſcribit, cui addendum, aeris phlogiſtici exitum per tranſpirationem inſenſibilem, aeque ac reſorptionem aeris ſalutaris, iis impediri; ocreas coriaceas equitum idem vituperium mereri, licet non, vt priores, actionem liberam muſculorum impediunt, quibus Cl. POISSONNIER DES PERRIERES **) ocreas dimidiatas pro lubitu conſtringendas ſubſtitui vult.

Vol. II

*Commentarius de ſede organi auditus oſſei et de primaria quadam parte huius organi ipſius in balae-* P. I. p. 3.



*) Eſſay on the cure of abſceſſes by cauſtic — with ſome experiments on inſenſible perſpiration. 2. Edit. London 1779. 8. p. 125.

**) Mémoire ſur l' habillement des Troupes, in mémoires de l'Academie royale de Dijon, T. II.

tiſſimus fere in medio coniunctionis tarſi cum metatarſo, loco ab ALBINO *) deſignato. Mediae magnitudinis praeſtantiores, ipſisque loris taeniisque praeferendae. Noxae calceorum conſuetorum in infantibus, aeque ac ligneorum, quos Cl. BALLEXSERD **) ſuadet. Ad calceum rite conficiendum requiritur duplex menſura longitudinis plantae planae et inflexae, digitis tantum ſitum horizontalem retinentibus; ſingulo pedi proprius modulus; latitudo pedis circulo cruribus obtuſis inſtructo definienda, vt ſolea ſatis lata fiat; extremitas calcei rotunda et nonnihil ſurſum flexa; fulcimenti altitudo inaequalitati plateārum accommodata; longitudo eoúſque ſub calcem exporrecta, vt centrum grauitatis in illud cadat; locus fibulae iam deſcriptus. Feminis fulcimentum illud ſit, per cuius axin centrum grauitatis tranſeat; magnitudo baſeos ipſius tanta, quantum vſus receptus vmquam ferat; locus fibulae idem, qui viris. Infantibus plane neceſſaria ſolea latiſſima et extremitas calcei obtuſa magis quam acuta; abſit omnis durities. Corium in genere molle, vel ſi fortius eligatur, hoc non nimis ſuper modulum extendendum, omnium vero minime aquae antea immittendum. Emplaſtra quaecumque ad emolliendam cutim a preſſione calcei laeſam inefficacia ſunt, niſi preſſio ipſa ſimul remoueatur. Exemplum curationis cruſtae calloſae prope pollicem aliudque ſimilis mali prope digitum minimum, digitis munitis ope canalis ex ſubere facti et lori ex aluta tenui, digito alligati. Pes ſuper tendinem Achillis nimis preſſus inunctionem olei et vini albi ſeu aceti vini requirit; multo autem maior dolor inflammatorius in articulatione interna pollicis aut externa digiti minimi exoritur, idem

*) Tab. muſc. IX. κ, λ.

**) Vid. Comm. noſtr. Vol. XI. p. 631.

idem remedium poſcens: omnia vero calceorum mutatione ſimul iuuanda ſunt. Verrucis ſub vngue pollicis exortis, vnguis ad verrucam vſque recidendus; remota preſſione aut ſponte euaneſcunt, aut emplaſtro emollienti cedunt: cauſticis exaſperantur. Adverſus clauos praeter calceos ampliores praeſtantiſſimum emplaſtrum e ranis cum mercurio quadruplicato, cuius paruus taleolus emplaſtri glutinantis ope clauo, ſublata prius cute calloſa eum cingente, imponitur. Exemplum vnguis pollicis, neglectu in veram vngulam reliquos vngues obtegentem extenſi. Interdum ſub ungue ſubſtantia dura ſpongioſa naſcitur, vnguem eleuans et in cornu excreſcens, pede in aqua calida emollito facile cum vngue ipſo auferenda. Vngues iuſto duriores et longiores caute ſerra reſcindendi ac deinde abradendi. Tandem quaedam de dannis ocrearum linearum (*guêtre, gamache*), quibus Cl. CLARE *) atrophiam pedis extremi, imo ipſius cruris deſcribit, cui addendum, aeris phlogiſtici exitum per tranſpirationem inſenſibilem, aeque ac reſorptionem aeris ſalutaris, iis impediri; ocreas coriaceas equitum idem vituperium mereri, licet non, vt priores, actionem liberam muſculorum impediunt, quibus Cl. POISSONNIER DES PERRIERES **) ocreas dimidiatas pro lubitu conſtringendas ſubſtitui vult.

Vol. II

*Commentarius de ſede organi auditus oſſei et de primaria quadam parte huius organi ipſius in balae-* P. I. p. 3.

 *nis*

*) Eſſay on the cure of abſceſſes by cauſtic — with ſome experiments on inſenſible perſpiration. 2. Edit. London 1779. 8. p. 125.

**) Mémoire ſur l' habillement des Troupes, in mémoires de l'Academie royale de Dijon, T. II.

*nis* *). De *balaena myſticeto* tantum ſermo eſt, cuius characteres ſpecifici a LINNAEO indicati cenſurae ſubiiciuntur, fiſtulasque non in médio capite, ſed in roſtro, neque aures infra, ſed pone oculos, nonnihil deorſum, ſitas eſſe monetur. Laminae corneae ex ſola maxilla ſuperiore; inferioris labia non tantum linguam, ſed omnes etiam laminas corneas amplectuntur. Gutturis apertura minima. Cerebrum admodum exiguum, membrana falciformi ac tentorio inſtructum; vlteriorem tamen eius diſquiſitionem b. Auctor nec in balaena nec in delphino inſtituit. Capitis oſſei deſcriptio: adeſt os intermaxillare, ſed deficiunt ethmoideum, ſpongioſa et zygomatica; os temporum antrorſum in cartilaginem craſſam cum maxilla inferiore coniunctam deſinens; pone illam cauitas, in qua organon auditus membranis, non vt in phyſeteribus et delphinis cartilagine, affigitur et ſaepe parte inferiore ad ſuturam inter os temporum et occipitis pertingit; oſſis ſphenoidei apophyſis pterygoidea margine lunae in modum excauato orificium tubae Euſtachii ſuſcipit. Organon ipſum ex tympano et oſſe petroſo conſtat, diſſepimentis oſſeis tenuiſſimis vitrique ad inſtar fragilibus (vnde nautae plerumque ſolum os petrorſum ad nos apportant) inter ſe iunctis, ſecus ac in phyſ. macroceph. et delph. phocaena, in quibus ſponte ſecedunt. Meatus auditorius, membranaceus, admodum anguſtus, in ſulco pone cartilaginem ſupra dictam decurrit. Tympanum orificio antrorſum exteriora verſus dirigitur. In parte ſuperiore et duriore oſſis petroſi labyrinthus, feneſtram oualem, in qua ſtapes, et rotundam membrana clauſam continens; praeterea os petroſum portionem duram et mol-

*) Ex actis Harlemenſibus Vol XVII. P. I.

mollem nerui acuſtici ſuſcipit. Tympanum olim ſub nomine lapidis tuberonis ſeu tiburonis in officinas receptum, ex aliis quoque cetaceis ſubinde deſumtum, a lapide manati diuerſum; meatus auditorius et tuba Euſtachii in illud inſerta; huius (tubae) magnitudo in ratione inuerſa magnitudinis tympani, vt in aliis animalibus. Malleus apophyſi laterali vncinata inſtructus tympano, ſtapes margine inferiore cauo feneſtrae ouali affixus, ſatis tamen mobilis; incus in ſpecimine ab Ill. Auctore diſquiſito deperditus. Canales ſemicirculares nulli. Veſtibulum ſatis amplum, irregulare, duo veluti caua formans, in quorum alterum cochlea terminatur, altero feneſtra rotunda clauſo. Cochleae ſpiraé duae, ſtructura vt in phyſetere, ſed orificium ſimplex feneſtram rotundam reſpiciens, vt in homine. Portio mollis nerui acuſtici per plurimas aperturas minores cochleam ingreditur, dura per tympanum tranſit et ad longitudinem ſulci oſſei in inferiore parte oſſis petroſi excurrit. Ex hac deſcriptione, quam imperfectam adhuc eſſe b. Auctor candide fatetur, colligitur, aeris tremores per nares, meatum auditorium, aut tubam Euſtachii ad organon auditus deferri, et licet malleus immobilis, articulatio cum incude duplex plana, et feneſtra ouali ſtapede firmiter occluſa ſit, tamen membranam tympani vehementer moueri inque cochleam agere debere.

*Tractatio ſuper cauſſis variarum in recens natis infantibus herniarum* *). Meatum hic memoratum in feminis ideo plerumque clauſum inueniri, quia nullo in iis tranſitu opus ſit. Occluſionem ipſius ab aucta ſenſim amplitudine peluis proficiſci, veſica vri- p. 41.

 naria

*) Ex iiſdem actis: vid. Comm. noſtr. Vol. XII. p. 269.

naria ſenſim deſcendente, ideoque preſſione inteſtinorum magis verſus os coccygis quam annulos abdominales directa.

*Continuatio prioris diſſertationis* *).

p. 64. *Commentarius de bracheriorum conſtruendorum ratione* **). Potiſſimum de menſuris et applicatione faſciarum et bracheriorum exponit Ill. Auctor, vberiorem tractationem ſequuturam promittens. Cingulum coxas ambiens $\frac{10}{12}$ totius earum peripheriae conſtituat, proportione tamen pro diuerſa obeſitate vel macie ſubiectorum variabili, elaſticum omnino reliquis praeferendum. Cauendum, ne caligarum ſuperior et poſterior margo illud e ſede pellat. Situs pilarum in quacumque herniarum ſpecie ſollicite definiendus. Quo planior et maior earum ſuperficies, eo melius herniam retinent. Optime, inuentore Cel. HVNTER, ex ſubere conficiuntur, ſi opes aegri ferunt pelle leporina fuſca (alba enim, ſudore madefacta, pilos dimittit) pilis extrorſum poſitis obducendae. (Inuentum b. Auctoris de induratione chalybis ad hunc vſum ſuperius iam adduximus.)

p. 111. HIPPOCRATIS, C. CELSI *et* PAVLI AEGINITAE *commentarii ſuper fiſtulis et procidentia ani, translati et annotationibus obſeruationibusque illuſtrati*

*) Ex iisdem: vid. Comm. noſtr. Vol. XVI. p. 579. Conferantur omnino, quae Cel. WRISBERG in commentationibus Gotting. propoſuit: vid. Comm. noſtr. Vol. XXVI. p. 89. ſeqq. Vol. XXXII. p. 15.

**) Ex comm. acad. chirurg. Pariſ. vid. Comm. noſtr. III. Dec. Suppl. p. 351. et Verhandelingen van het Bataafſche Genootſchap etc. Vol. I. Roterd. 1774. 4. p. 235.

ti *). Coniecturas emendationesque criticas, verſioni HIPPOCRATIS ſubnexas, hic repetere ab inſtituto noſtro alienum putamus: quaedam tantum ex Cel. Auctoris explicationibus excerpemus. De pure profundius genito, ob preſſionem verſus omnia latera dolores ſummos excitante, inciſionem tempeſtivam poſcente, ſecus ac in aliis abſceſſibus. Equites ex teſtimonio HIPPOCRATIS fiſtulis ani crebrius ſubiectos fuiſſe, ex defectu ephippiorum violentioribusque motus generibus veteribus vſitatis declaratur. Error CELSI, callum ſic dictum ſiue pinguedinem circa fiſtulam praecidi debere monentis, quem ipſe olim b. Auctor **) amplexus fuerit: callum enim ſponte euaneſcere, modo affluxus puris praecaueatur, pinguedinemque a prouida natura ad partes vicinas ab arroſione puris praemuniendas ibi collocari, vt IPSE alia occaſione vberius monſtrauit ***). Inſtrumenta omnia aeque vtilia eſſe, in muſculoſis tamen



*) Verhandelingen van HIPPOCRATES, CELSVS, PAVLVS AEGINETA, over de Pypzweeren, en uitzakkingen van den Aars, vertaald, en met Aanmerkingen en Waarnemingen opgehelderd, door PETRVS CAMPER. Amſt. 1778. 8. *Abhandlungen des* HIPPOCRATES, C. CELSUS *und* PAULUS *von* AEGINA, *über die Fiſteln und Vorfälle des Afters, überſetzt und mit Anmerkungen und Betrachtungen erläutert von* P. CAMPER. *Aus dem Holländiſchen. Vermehrte Ausgabe. Leipzig* 1781. 8.

**) Dem. anat. pathol. L. II. vid. Comm. noſtr. Vol. XIII. p. 275.

***) Diſſ. de incommodis ex vnguentorum et emplaſtrorum abuſu oriundis cet. inſerta in Mémoires ſur les ſujets propoſés pour le prix de l'Acad. R. de chir. Vol. IV. P. II. à Paris 1778. 4.

men et ſenſibilioribus ſubiectis forfices applicari non poſſe, ſed ſyringotomum adhiberi oportere. Ligatura ad praeſcriptum CELSI facta, a PAVLO AEGINETA et recentioribus reiecta et abolita, inciſioni praeferenda. Momenta in ea obſeruanda: fila linea inſolatione non candefacta, aut ſericea cruda reliquis praeferenda, tentandus tamen proponitur funiculus ex pilis equinis contortus (quos vero in additamentis prorſus damnat b. Auctor). Ad fila fiſtulae inferenda inferius ſpecillum narium a LAFORETO inuentum aptiſſimum commendatur. Adſtrictio circumſtantiis accommodanda. Emollientia, quae CELSVS ſuaſit, non neceſſaria. Si funiculus fiſtula nondum ſanata excidat, exigua turunda vnguento vel puluere ſiccante impraegnata ingerenda. Coalitionis inaequalis, ſiue ligatura ſiue inciſio adhibita fuerit, metus ſuperfluus, neque ergo turundis durioribus opus. Ligaturae commoda: aeger non terretur; haemorrhagia auertitur; partes aliae non laeduntur; alui depoſitio non impeditur; aeger a conſuetis negotiis non detinetur. Praeterea tempori multum parci, ipſa Cel. Auctorem experientia docuit. Sinus laterales ea methodo aeque ac per inciſionem curari poſſe, primo canalem primarium, poſtmodum laterales ligando. In tranſitu nonnulla de fiſtulis ad collum veſicae vrinariae, ad articulationem femoris aliaque oſſa, ad corrigendam prognoſin a PAVLO AEGINETA ſuper iis traditam. Procidentiam ani vſque ad dimidii pedis magnitudinem in calculoſis obſeruauit Cel. Auctor. Frequentiae huius mali in infantibus cauſſa, praeter ſitum inteſtini recti, in muſculis eius debilioribus, abdominalibus contra et diaphragmate relatiue fortioribus, peluisque minore capacitate poſita eſt: aut igitur malum adultioribus annis ſponte tollitur, quia muſculi valentiores et peluis amplior redduntur, inteſtinum rectum plicatur et diuturniore faecum mora ſaccum formet; aut

faci-

facile apta fascia continetur. Si calculum comitatur, non nisi hoc sublato cessat, neque eiusdem sectionem impedit. Ad retinendum intestinum in adultis mantile Hippocratis fasciae consutae ad anum praeferendum, quia conspurcatum facili opera remoueri cumque recenti commutari se patitur. Neque instrumentum a Gallo SVRET, neque aliud ab Anglo GOOCH *) inuentum Auctori nostro satisfecit. Inde circulo, bracherio a se inuento et in superiore commentario descripto simili, anterius fibulas duas aliquot pollices a se distantes, posteriusque totidem eadem ratione dispositas applicuit, quarum ope lora duo tenuiora se decussantia firmarentur, hisque in loco decussationis pila mollis imponeretur, caute orificio intestini recti applicanda, hocque exacte retinens: hoc etiam instrumentum in femina duplici hernia crurali laborante bracherii vices gessit; sub exoneratione alui fibulae anteriores soluuntur, ea peracta rursus adducendae; neque hac ratione feminis vrinae mittendae vlla difficultas enascitur. Exemplum sanatae per ligaturam fistulae, vbi procidentia ani superueniebat, modo iam dicto feliciter percurata. Idem fere consilium D'ARNAUD dedit, pessarium oualis figurae quatuor taeniis cingulo coxis circumducto firmandi: optimum quoque EIVSDEM consilium ad praecauendum prolapsum, vt adultiores duobus digitis ad latus ani collocatis eum, dum deponitur aluus, reprimant, et matres aut nutrices in infantibus idem efficiant. In supplementis addit Cel. Auctor, se ad ligaturam fistularum sericum duplicatum cera bene obductum, a WISEMANNO iam commendatum, aptissimum inuenisse; occurrisse sibi aegro-

*) Vid. Comm. nostr. Vol. VIII. p. 306. II. Dec. Suppl. p. 603.

aegrotum, in quo ligata curataque fiſtula ſinus prorſus ſub cute excurrens ſe monſtrauerit, facilius omnino citiusque inciſione quam ligatura ſanandus, ſi aegroti negotia tuliſſent; in ſimili ergo caſu cultrum ligaturae praeferendum fore.

P. II. p. 3. *Commentarius de organo auditus piſcium* *). In *gado morrhua* et *aegleſino* cauitas cranii duplo, in aliis piſcibus decuplo adeo vel vigecuplo maior cerebro, liquido pellucido glutinoſo, in membrana arachnoideae ſimili haerente, repleta, interdum gelatinoſo, interdum, vt in *cyprino*, pingui, interdum, vt in *phyſetere* (ſperma ceti) reſinoſo quaſi. Anatome cerebri gadorum pleraque repetit, quae ſuperius in commentatione de organo auditus piſcium ſquamoſorum propoſita fuerunt: neque igitur his, neque deſcriptioni neruorum, quorum quidem origo et diſtributio nonnihil a deſcriptione illic exhibita diſcedit, neque explicationi modi, quo tremor ad organon auditus propagatur, inhaerebimus. In *lophio piſcatorio* cerebrum primo (vt in gadis) duos globos ſiſtit inter ſe coalitos, ex quibus nerui olfactorii oriuntur; hi poſteriora verſus cum hemiſphaeriis duobus oualibus maioribus, neruis opticis ortum praebentibus, vniuntur. Cerebellum exiguum. Duo rami medullae oblongatae ligamento ſatis lato cinguntur, ſub quo valuula magna et ventriculus quartus. Baſis cerebri decuſſationem neruorum opticorum egregie monſtrat: conſpiciuntur etiam hic duo tubercula incogniti vſus, quorum alterum forte glandula pituitaria. Neruorum a tertio ad nonum par ortus ex medulla oblongata. Burſa elaſtica oblonga, car-

*) Ex commentariis acad. ſcient. Pariſ. oblatis: vid. Comm. noſtr. Vol. XXI. p. 458.

cartilaginea, a coniunctione orificiorum canalium ſemicircularium fere ad perpendiculum deſcendit, cartilagine adeo pellucida, vt oſſicula auditus, in gelatina admodum ſpiſſa et elaſtica ſuſpenſa, tranſpareant, et poſterius maximum ramum paris ſeptimi neruorum recipit, in duos minores ad oſſicula abeuntes diuiſum.

Oſſiculorum alterum figuram conchae, ſaltem a latere interno, obtinet, alterum irregularem, cartilagine figurae oualis incluſum. Ramus a pari quinto neruorum ad canales ſemicireulares tendens, vt in gadis: an in piſcibus portio dura paris ſeptimi exiſtat, dubium. In *eſoce lucio* cerebrum cerebellumque valde exigua, vtriusque longitudine diametrum orbitae oculi non ſuperante. Globi neruos olfactorios emittentes vt in gadis et lophio, ſed non cohaerentes, aeque ac hemiſphaeria cerebri ipſius; infra ea corpus calloſum, ventriculos anteriores obtegens. Hemiſphaeriis a ſe inuicem remotis introitus in ventriculum tertium patet; immediate ſub illo tubercula quadrigemina (vid. ſuperius de auditu piſcium ſquamoſorum) Cerebellum duas eminentias formans, medullae oblongatae ſeſe vnientes. Decuſſatio neruorum opticorum vt in lophio, eo tantum diſcrimine, vt in lucio neruus ex hemiſphaerio dextro oriens ſupra, in lophio autem infra ſiniſtrum progredatur. Canales ſemicirculares eiuſdem vt in aliis piſcibus figurae, ſed magis cartilaginei; prope coniunctionem anterioris cum medio oſſiculum figurae irregularis marginibus inaequaliter denticulatis; burſa elaſtica ex canali anteriori et poſteriori enata, itidem duos ramos nerueos paris ſeptimi recipiens, oſſicula duo pariter irregularis figurae inter ſe connexa continens, et filamento quodam, quod Ill. Auctor tenſorem burſae vocat, cartilagini cuidam affixa, quae ad foramen magnum occipitis vſque progreditur

tur ibique cauitati ſpinae dorſi adnectitur. In ho ergo piſce auditum eodem, quo in reliquis, mod fieri, et forte mediante tenſore burſae augeri. Ve roſimile, organon auditus in omnibus reliquis piſci um claſſibus, malacopterygiis, acanthopterygiis, bran chioſtegis et chondropterygiis, exceptis *ſqualis* e *raiis*, eodem fere modo conformatum eſſe. In *rai miraleto* palpebrae ſpecies, in camera anteriore hu moris aquei, vueae continuatio margini ſuperior bulbi affixa viſa, et velum quaſi margine in lobos di viſo formans; bulbus cartilagineus, ſuperius et a latera planus, adeoque, inprimis antrorſum ſpectatus ſpeciem trianguli curuilinei efficiens, et tubere lami nae cartilagineae, extremitate caudiformi in baſi or bitae affixae, quaſi petiolo verſatilis inſidens; ner vus opticus in bulbum ſatis magno ab axi interuall inferitur. Cauitas cranii in proportione cerebri ad modum magna, liquido gelatinoſo pellucido, inter dum rubello, plena, quod ad canalem vertebrarum decurrit. Pars anterior cerebri cum neruis olfactorii ex ea continuatis inſignis magnitudinis; ventriculus tertius cum infundibulo communicans immediat pone illam; hemiſphaeria cerebri parua; cerebellum cerebro multo maius. Cerebrum inuerſum ſingularem ortum neruorum opticorum inter eminentias candi cantes ex vnico trunco ſiſtit, inter cerebrum et par tem anteriorem diuaricatos et ad orbitas flexos. Pro tinus poſt horum neruorum ortum deſcendit infun dibulum, in tres partes diuiſum, quarum media in cau dam glandulae ſimilem terminatur. Neque tubercu la quadrigemina, neque glandula pinealis. Pa quintum neruorum latiſſimum; ſeptimum protinus ab exortu cauitatem oſſeam labyrinthi intrat. Aper tura branchiarum ingens, a RAIO apud WILLOUGBY pro meatu auditorio habita; inter quam, orbitam et occiput, ſita cauitas oſſea, organon auditus con

tinens

tinens, quod igitur communicatione aeris externi pri-
uatur, licet Cel. MONRO, vt in additamentis adduci-
tur, ſe meatum auditorium inueniſſe perhibeat. Ca-
nales tres ſemicirculares, baſi cum ſepto oſſeo, ca-
uitatem cranii et organon auditus intercedente (quod
in lophio et lucio membranaceum), coniuncti. Bur-
ſa elaſtica inter eos collocata, liquido pellucido ge-
latinoſo repleta, in cuius fundo duo corpora alba,
gelatinae craſſae ad inſtar mollia, membrana tenui in-
ter ſe connexa, ita vt alterum de motu alterius par-
ticipet, maius verſus occiput, minus verſus orbi-
tam; par ſeptimum neruorum in inferiorem burſae
partem diſtribuitur, quinto pariter filamenta quae-
dam largiente. Similis ergo vt in aliis piſcibus tre-
moris propagatio: mollities oſſiculorum forſan ni-
miam neruorum irritationem praeuertit. In addita-
mentis varia b. Auctor contra quaedam a Cel. MONRO *)
prolata monet, additque, cauitatem cranii in *phyſe-
tere macrocephalo* adeo exiguam eſſe, vt vix globum
diametri decem pollicum capiat; in *delphino phocae-
na* cerebrum totam cauitatem, vt in quadrupedibus,
replere; denique Ill. KOELREVTERO gloriam inuen-
tionis organi auditus in piſcibus ſquamoſis deberi,
quippe qui prius ſe ipſo hoc organon in *acipenſere*
vide-

*) The ſtructure and phyſiology of fiſhes explained and compared with thoſe of Man and other animals, illuſtrated with figures. By ALEX. MONRO. Edinburgh 1785. fol. *Vergleichung des Baues und der Phyſiologie der Fiſche mit dem Bau der Menſchen und der übrigen Thiere, von* ALEX. MONRO. *Aus dem Engliſchen überſetzt und mit eigenen Zuſätzen und Anmerkungen von* P. CAMPER *vermehrt durch* IOH. GOTTLIEB SCHNEIDER, *Leipzig*, 1787. *gr.* 4. *m. K.*

viderit, tardius licet eius deſcriptione publici iuris facta *).

p. 41. *Obſeruationes ſuper ceruo tarando* **). Animal ex Lapponia viuum ad Cel. Auctorem tranſmiſſum (1777 ſine dubio error eſt typographi, neque ad rem facit), altero die partim ob incommoda itineris caloremque aeſtiuum, partim ob vlcus inter reticulum et diaphragma mortuum, maſculum erat, quatuor annorum, neque ideo incrementum perfectum adeptum, quod quinto demum anno conſequitur. Color diuerſarum corporis regionum, vt dimenſiones ſingularum partium, fuſe deſcribuntur. Pili corpus obtegentes fragiles, ſubſtantiae medullam ſcirpi aequantis; haec fragilitas pilis capitis et extremitatum deerat. Pedes poſteriores inter vngulas cuticula, cutis corpus inueſtientis continuatione, glandulis minoribus numeroſiſſimis obſita, tecti. Canalis ab exortu vngulae pedum poſteriorum ad articulationem pedis extremi excurrens, calami ſcriptorii craſſitie, pilis longiſſimis repletus, in pedibus anterioribus deficiens (in opere maiore deſcribitur canalis inter digitos pedum poſteriorum, materia oleoſa ingrati odoris repletus, in alio exemplari tantum in pedibus anterioribus praeſens, in poſterioribus deficiens). Oculi vt in *ceruo dama;* pupilla tranſuerſa; iris nigrofuſca;

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXI. p. 4.

**) Ex Cl. ALLAMAND Additions ou T. XV. de l'Hiſtoire naturelle de Mr. DE BUFFON et D'AUBENTON, Amſterd. 1771. 4. p. 53. et Hiſtoire naturelle — par Mr. DE BUFFON ſuppl. T. III. à Paris 1776. 12. p. 138. Conferendum etiam opus maius: Natuurkundige Verhandelingen cet. item deſcriptio COMITIS DE MELLIN: vid. Comm. noſtr. Vol. XXIIII. p. 657.

fuſca; ſacci lacrymales *cerui elaphi* ſimiles, liquore albeſcente vnginoſo plus minus pellucido repleti; puncta canalesque lacrymalia duplicia, vt in *C. dama;* palpebra ſuperior aeque ac membrana nictitans imperforata. Naſus vt in bouibus magnus, naribus multum diſtantibus, roſtro plus minus plano, pilis ad interiora narium vſque tectus; iis etiam labia tecta, excepto margine exigiuo nigricante calloſo multisque foraminibus pertuſo; labium inferius anguſtum; rictus oris vt in ouibus. In maxilla inferiore dentes inciſiui 8 parui, in ſuperiore nulli, ſed futurorum laniariorum indicia, quae in inferiore deſunt; in vtroque latere vtriuſque maxillae 6 molares. Laniariorum diuerſitas ſumma in ruminantibus. Cornua adhuc in incremento, pilis mire conuolutis obtecta. Collum breue, paullo magis flexum quam in oue, minus quam in camelo. Dorſum verſus ſcapulas nonnihil elatum. Teſticuli minimi, reconditi; penis paruus; praeputium abſque pilis, intus rugoſum cruſtaque lapidea obductum. Vngulae magnae, longae, extrorſum conuexae, apicibus ſibi non incumbentes, vt in alio exemplari viderat Ill. Auctor; tali ſuccenturiati itidem admodum longi, caui. Viſcera vt in *C. dama.* Veſicula fellea nulla; renes glabri, continui; pulmones magni; aſpera arteria ampliſſima. Cor vt in *C. dama* oſſiculum vnicum continebat, baſin valuulae ſemilunaris aortae ſeptumque membranaceum inter ſinus cordis et ad baſin valuulae tricuſpidalis ventriculi dextri ſuſtentans. Prae reliquis autem attentione digniſſima burſa membranacea maxima ſub cute colli, canale conico inter os hyoides et cartilaginem thyreoideam oriens, progreſſu ampliata muſculosque duos in ſe recipiens, ad coniunctionem baſis oſſis hyoidis cum eius cornubus et oſſibus graniformibus affixos, in laryngem ſub baſi epiglottidis orificio magno, digitum tranſmitten-

te, aperta, ſub violenta exſpiratione inflanda vocemque intendens; haec burſa ſiue ſaccus cum ea, quam in ſimiis detexit Ill. Auctor (vid. anatomen *ſimiae ſatyri* in vol. I. horum opuſculorum, et commentarium mox inſequentem), multum affinitatis habet; an femina *C. tarandi* eadem inſtructa ſit, adhuc ignotum; in aliis cerui ſpeciebus abeſt.

p. 49. *Relatio de organo vocis in ſimia ſatyro, in epiſtola ad Ill.* IOH. PRINGLE *)

p. 73. *Annotationes ſuper mutationibus, quas calculi in veſica humana ſubeunt* **). Calculus hic cap. 4. deſcriptus pollices $2\frac{1}{4}$ latus; perfecte ſiccatus pondus quinque vnciarum et ſeſquidrachmae habebat ***). Felix lithotomiae euentus a conditione renum et vreterum pendet, ſpecillo non diſquirenda: quoties cumque tamen b. Auctor vrinam guttatim et cum dolore praecipue lacteſcentem, effluere vidit, poſt mortem has partes multum mutatas inuenit.

p. 125. *Commentarius de commodis a dilatione extractionis calculi in operatione lithotomiae expectandis, auctore Cl.* MARET †). Praeter recenſita hic momenta dilationem extractionis calculi imperantia, duo alia adhuc adducit Cl. MARET: vaſa inſigniora, inprimis arte

*) Ex Tranſact. Philoſ. vid. Comm. noſtr. Vol. XXVI. p. 296. Conf. anatomen huius ſimiae ſuperius adductam, item comm. de cantu ranarum, itidem ſuperius.

**) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXVII. p. 105. ſeqq.

***) Ampliorem eius hiſtoriam cum repetita icone exhibet Cel. G. COOPMANS in Neurologia et obſervat. de calculo ex vrethra excreto tabulis illuſtr. Franequ. 1789. 8.

†) Ex commentariis academiae Diuionenſis: vid. Comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 460. ſeq.

arterioſa, inciſione laeſa et metum, ne aeger cruciatibus continuis ſeu febre lenteſcente antea iam debilitatus et ad lipothymiam procliuis durante operatione eadem corripiatur. Ill. CAMPER huic commentario notulas quaſdam aſperſit, vbi inprimis anachroniſmum a Cl. MARET commiſſum vrget, CYPRIANVM exeunte demum ſaeculo ſuperiore vixiſſe adeoque FRANCONI exemplum praebere non potuiſſe docens.

*Praecepta* CELSI, ALBUCASIS, LE DRAN *et* LOUIS, *confirmata per Cel.* TEN HAAFF *et* VAN WY. p. 153.

Quae Ill. LOUIS in praelectione coram academia chirurgica propoſuit, ex Cl. LE BLANC *) adducuntur. Curatio a Cl. TEN HAAFF in puero quinquenni peracta ex actis Harlemenſibus **) hic refertur: octauo poſt inciſionem die ſpecillum, ad eius ductum ductorem canaliculatum (*gorgeret*) et ad huius ductum digitum forcipemque minorem ingerebat, quo calculum facile educebat; multum approbat b. CAMPER, ſpecillum per vulnus externum, non per vrethram, inductum eſſe, meliusque adhuc extractionem euenturam fuiſſe, ſi loco forcipis vncus talis, qualem CELSVS ***) praeſcripſit, adhibitus fuiſſet, „ad extremum tenuis, in ſemicirculi ſpeciem retuſae latitudinis.“ Cl. VAN WY in puero octenni inciſione facta calculum, forcipem effugientem, extrahere non poterat, ſexto tamen die eodem ad vulnus vſque protruſo facile potiebatur, laxae compagis, pondere 18 granorum, longitudinis ac diametri vix quinque linearum. In alio trienni ſexto die

 calcu-

*) Précis d'opérations de chirurgie, T. I. à Paris 1775. 8. p. 123.

**) Vol. XIX. P. I. p. 427. ſeqq.

***) Lib VII. c. 26.

calculus ſponte per vulnus exierat, pondere duorum ſcrupulorum, longitudinis ac diametri ſeptem linearum; vulnus intra 20 dies plane coaluerat, ſed puer duodecimo poſtea die febre lenta morieba-tur *).

p. 175. . *Methodus lithotomiam in viris duobus temporibus adminiſtrandi* **). Summum momentum in ſufficiente longitudine inciſionis in veſicam poſitum eſt, quae ad minimum decem linearum ſit; difficultas huius determinationis a tribus cauſſis pendet: a proſtata catheteri facile cedente; a catheteris nimia curuitate, quare illi, quo FRANCO et SHARPIUS vſi ſunt, prae reliquis laus debetur, CHESELDENIque praeceptum, ſcalpelli apice primum proſtatam findendi ſectionemque ad vrethram continuandi, ſequendum; ac denique a directione ſpecilli in relatione ad axin peluis ***). Inciſione facta ſpecillum obtuſum ad ſulcum catheteris in veſicam immittatur, catheteré poſtmodum ex vrethra extracto calculus, quanta fieri poſſit accuratione, ſpecillo examinetur, vulnus ſolummodo turunda molli claudatur et aeger quietus reponatur, quauis quarta horae parte remedia emollientia et balſamica hauſturus. Suppuratione

*) Poſtea Idem Cl. Vir edidit: Heelkundige Mengelſtoffen. Amſt. 1784. 8. mai. c. f. in quibus operationi iſti nonniſi in caſu neceſſitatis locum concedit. Vid. recenſ. in BLUMENBACHS *med. Bibl. B.* 1. *S.* 668. *ff.*

**) Omnes hae commentationes vna cum illa, quam Vol. I. P. II. horum opuſculorum inſertam ſuperius indicauimus, collectae ſunt in Mengelſtoffen over de Steengroejing en derzelver Heelwyze, door PIETER CAMPER. Amſt. 1782. 8.

***) Vid. Comm. noſtr. Vol. XIII. p. 274.

ne deinde procedente poſt aliquot dies calculi, ſiue ſimplex fuerit ſiue plures, ex veſica in vulnus externum elabentur *); maiores tantum plus temporis requirent; aut ſi maioris adhuc molis, digitis in anum immiſſis aut vnco CELSI depreſſio tentanda, aut ſimul vulnus, quantum opus fuerit, elongandum. Exemtis calculis eo enitendum, ne vulnus externum citius interno coeat. Elongatio vulneris ſpecillo non in vrethram, ſed in vulnus externum immiſſo fiat.

Vol. III.

*Coniecturae ſuper nonnullis petrefactis in monte S. Petri prope Traiectum ad Moſam repertis* **). Praeter oſſa quaedam teſtudinum, oſſa et inprimis maxillae animalis incogniti erant, quae pro oſſibus crocodili venditabantur: Ill. Auctor autem diſtincte docet, ea huic animali non tribuenda eſſe, ſed ad animal quoddam marinum ex phyſeteris aut delphini genere pertinere. In tranſitu monet, ſceleton prope Whitby inuentum ***) non crocodili, ſed procul dubio balaenae cuiuſdam eſſe; ſibi etiam oſſa auium petrefacta dubia videri (in praefatione addit Cl. HERBELL, b. Auctorem auem a Cl. ROZIER †) depictam ipſum vidiſſe, et magis pro animali marino habuiſſe) ††.

P. I. p. 1.



*) Quod tamen non ſemper ſuccedere, propria experientia comprobat Cl. HARTENKEIL, huic operationi generatim minus fauens; vid. Comment. noſtr. Vol. XXVIII. p. 59.

**) Ex Philoſ. Tranſact. Vol. LXXVI.

***) Vid. Comm. noſtr. Vol. X. p. 145. et 153. Olim B. CAMPERVM ipſum priori opinioni fidem adhibuiſſe, patet ex Actis Petropol. pro anno 1777. Parte poſter. p. 203.

†) Journal de Phyſique, Mars 1782.

††) Ex Diario: Vaterlandſche Letteroeffeningen, 1786.

p. 20. *Breuis relatio de Dugon* BUFF. *et Sirene lacertina* LINN. *Trichecus roſmarus* quadrupes eſt, ad phocas referendus *), dentibus inciſiuis quatuor in oſſibus intermaxillaribus, molaribus ſuperius 4, inferius 4 — 5 inſtructus, laniariis ex maxilla ſuperiore (dentium inciſiuorum oſſiumque intermaxillarium cognitionem ſe debere Ill. GOETHIO, b. Auctor depraedicat). *Dugon* **) e contrario laniarios in oſſibus intermaxillaribus habet, primores nullos, molares in ſingulo latere vtriuſque maxillae 3 — 4. Caput eius, totiusque animalis icon, licet rudior, cum deſcriptione imperfecta (nulla genitalium, ani, longitudinisque totius animalis mentione facta) ex Batauia ad b. Auctorem transmiſſa ſunt; icon cum ea, quae in abſurdo alias libro ***) ſub titulo *Doujoung* et *vaccae marinae* exſtat, ſatis conuenit, piſcem monſtrans branchioſtegum, cute glabra, pinnis pectoralibus duabus, loco pedum cauda plana, mammis duabus ſub pinnis pectoralibus, ore fibris ſetaceis vndique cincto. Deſcriptio addit carnem quadratam ex ore prominentem, dentes laniarios tegentem, oculos caeruleos humanis ſimiles, bulbo magno rotundo, palpebris clauſos, aperturas aurium contractas, nares emiſſo aere valuularum ad inſtar clauſas. Caput illi, cuius iconem deſcriptionemque Cl. BUFFON

*) Ita etiam Ill. BUFFON; vid. Comm. noſtr. Vol. XV. p. 406.

**) Vid. et p. 409. XXXI. p. 649.

***) Poiſſons, écreviſſes et crabes de diuerſes couleurs et figures extraordinaires, que l'on trouve autour des iſles Molucques et ſur les côtes des terres auſtrales. Ouavrge donné au public par LOUIS RENARD. à Amſt. 1754. fol. mai. p. 34. Fig. 180.

FON et D'AUBENTON exhibent *), ſimillimum: Auctor noſter eius dimenſiones addit, ex quibus ſimul patet, pharyngem linguamque exigua tantum eſſe poſſe. Oſſi hyoideo oſſa graniformia deſunt. Officula auditus magna et ponderoſa, oſſa petroſa parua, ideoque de praeſentia canalium ſemicircularium dubitandum; inde iterum patere, lapidem manati os petroſum eſſe non poſſe. Sirenes paſſim ab auctoribus memoratas, licet multum fabuloſi intercurrat, tamen pro hoc animali haberi debere, vero ſimile omnino. *Trichecus manatus* cum *dugong* mammis pectoralibus conuenit, capitis vero in vtrisque maxima diuerſitas, aeque ac a *roſmaro* et *phocis*: in *manato* primores in ſingula maxilla duo ſibi reſpondentes, laniarii 4. In omnibus his animalibus marinis deſunt canales lacrymales. Deſcriptio *manati* a STELLERO data **) magnitudine, dentibus, proportione capitis ad corpus differt, mammis conuenit. In tranſitu adhuc monet Auctor, STELLERVM manato ſex vertebras colli adſcripſiſſe, quum ipſe in multis delphinis, phyſetere, balaena ſeptem inuenerit, duabus tamen ſuperioribus in iunioribus coniunctis, vt vnicum os videantur; ſe tamen in muſeis anglicis atlantes maximos originis prorſus incognitae vidiſſe. Oſſa pubis a STELLERO deſcripta eadem in delphinis et phyſeteribus conſpexit.

*Sirenem lacertinam* per longum tempus in ſpiritu vini ſeruatam anatomico examini ſubiecit, (cuius comparationem cum deſcriptione Cl. ELLIS et anatome Cl. HVNTER ***) aliis diiudicandam relinquimus), eamque verum piſcem branchiis clauſis, ſpiracu-



*) Hiſt. natur. T. XIII. Tab. 56.
**) Vid. Comm. noſtr. Vol. II. p. 510.
***) Eorumd. Vol. XV. p. 505. et 512.

raculis tribus, ad genus *muraenae* referendum, inuenit; membranas inter haec fimbriis admodum longis, perperam pro branchiis extra corpus habitis, inſtructas; pinnas pectorales plus minus pedes referentes, ſed abſque digitis fiſſis; branchias veras, quatuor, quantum meminit (ſiquidem ſcribenti ad manus protinus non erant, quae ſub ſectione conſignaverat); pulmonum nullum veſtigium; inteſtinalis tubus longus, amplus, per ſpiritum examini vlteriori ineptus redditus, nihilque praeter fibras deſtructas ſquamasque inprimis abdominales ſerpentum continens. Lacertas perfectas ex ouis egredi, nulli, vti ranae, metamorphoſi ſubiectas; figuram earum, praecipue maiorum Americae, ELLISIO impoſuiſſe, LINNAEVMque, anatomico examini minus fauentem, Eidem ſeſe accommodaſſe.

p. 35. *Praelectiones ſuper graſſante iamtum lue bouilla, in theatro anatomico Groningenſi* 1769. *publice habitae**). *Praelectio prima* varias arterias, in quibus pulſus diſ-

*) P CAMPER Leſſen over de thans zweevende Veeſterfte. Leeuwarden 1769. 8. P. CAMPERS *Vorleſungen über das heutige herumgehende Viehſterben, auf der anatomiſchen Schaubühne zu Gröningen* 1769 *gehalten. Aus dem Holländiſchen überſetzt von* I. C. LANGE. *Kopenhagen* 1771. 8. Huc etiam pertinent duae aliae ſcriptiunculae b. Auctoris: Voorſtel tot oprichting eener Societeit om het jung Hornvee door inentinge tegens te Sterfte van de thans graſſerende Veeziekte te beveiligen. Te Groningen 1769. 4. Voorlooper van Waarneemingen ontrent den uytſlag van de inentinge der beſmettelike Veeziekte op eenhonderd en twaalf Hokkelingen geduan in Friesland. Leeuwarden 1769. item commentarius a ſoc. Berol. nat. ſcient. praemio coro-

diſquiri poteſt, et generalem viſcerum abdominis ſitum monſtrat. *Secunda* vlterius quatuor ventriculos, reliqua viſcera abdominis, et pectus conſiderat. Epithelium omaſi in animalibus lue demortuis totum protinus ſecedit, quod in ſanis nonniſi 24 poſt mortem horis contingit. Coagulum lactis nonniſi in abomaſo adeſt; in aqualiculo ſine dubio geneſi eius a liquoribus ſaponaceis ibi ſecretis impedita. *Praelectio tertia* de ruminatione in genere et boum in ſpecie. *Leporem*, licet ſimplici tantum ventriculo inſtructum, ruminare, contra BUFFONUM *), aeque ac *cuniculum*, cuius ventriculus hic depictus exhibetur. Neque inteſtini caeci magnitudinem aut ſtructuram ruminationis indicium praebere, neque pedum conformationem. *Ceruo guineenſi* (*chevrotin* BUFF. **)) glandula lacrymalis, qualis *C. elapho* et *capreolo*, licet a BUFFONIO negata; item ventriculi quatuor vt aliis ruminantibus, hic etiam cum viſceribus adiacentibus depicti ***). Neque dentes primores neque vngulas ruminationis indicia eſſe, ſed verum eius characterem in conditione molarium, exiguitate maxillae inferioris prae ſuperiore, et articulo maxillae poni oportere; inde *ſuem taiaſſu*, licet quatuor



coronatus et actis eorum inſertus, vid. Comm. noſtr. Vol. XXIIII. p. 211. ſeqq. et recuſus: *Ueber das Anſtecken der Viehſeuche — zwey — Preisſchriften von Hrn.* CAMPER *— und Hrn. D.* WEISS *— Greifswalde* 1783. 8. item *im Mag. für die gerichtl. Arzneyk. und med. Pol. B. I. S.* 548.

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. VII. p. 12.

**) Eorumd. Vol. XIIII. p. 483.

***) Plura de hoc animali b. Auctor commentario de C. *tarando* in opere maiore ſuperius iam allegato inſeruit.

tuor ei ſint ventriculi, ruminare tamen non poſſe. (In ſupplemento autem huic tractationi recentius addito ab hac propoſitione recedit b. Auctor, quum omnia haec attributa in genere equino inuenerit, conuictusque ſit, hanc conditionem tantum ad comminutionem lateralem cibi facere; molares inferiores *elephanti*, *hippopotami*, omniumque ſpecierum *ſuis*, aequalis cum ſuperioribus latitudinis eſſe, eiuſdemque conformationis ac in *ſimiis* et homine; ruminantibus non eſſe primores in maxilla ſuperiori, praeter duos laterales in *camelo dromedario* et *bactriano*, ex obſeruatione GOETHII — varia in tranſitu de dentitione ſecunda variorum animalium — inde ruminationem proprie ſic dictam nonniſi a ventriculo duplici deriuandam eſſe. Eadem in tractatu maiore de *tarando* repetuntur). Ruminationem ſimplici tantum vice peragi, neque alimenta iteratis vicibus in aqualiculo (quem minus accurate *rumen* dici, ex FESTO probatur) emolliri, contra HALLERVM *). Hunc nullo alio modo quam ruminatione euacuari poſſe, hacque ſublata cibos in illo neceſſario corrumpi indeque viſcus ipſum inflammatione, gangraena, ſphacelo affici oportere, vt in lue bouilla conſtantiſſime accidit. *Praelectio quarta* primum luis hiſtoriam ex antiquiſſimis monumentis ad noſtra vſque tempora tradit **), et Belgarum inprimis hoſque ſequutorum merita in morbi huius inſitione enarrat. Poſtea ſymptomata primaria recenſentur (in pleriſque cum iis conuenientia, quae Cel. SANDIFORT ***) expoſuit).

Signis

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XII. p. 680.

**) Comparanda etiam, quae Cl. VITET propoſuit; vid. Comm. noſtr. III. Dec. Suppl. p. 397. ſeqq.

***) Vid. Comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 27.

Signis morbi iam praeſentis adduntur horrores vagi et ſitus pedum poſteriorum in digitis tantum; pulſus cum debilitate celerior, qualis in febribus putridis. Membrana nictitans viſibilior, chemoſin mentiens. In quibuſdam emphyſema, digito dorſum comprimente perſentiſcendum. Morbus rariſſime vndecimo die morte terminatus, quae accedit pedibus interdum extenſis, interdum contractis, ſitu corporis non ſemper in vno eodemque latere. Eruptio cutanea, plerumque in inguinibus, non ſemper critica. Sanguis in mortuis perpetuo fluidus. Extiſpicia: ſemel emphyſema in ſubſtantia hepatis obſeruatum. Vterus in grauidis aeque ac ventriculi inflammatus et gangraenoſus, fetubus tamen immunibus viſis; vbera multum inflammata, lacte ſpiſſo referta. Fauces in omnibus inflammatae. Mucus tenax purulentus in radice linguae, a quibuſdam pro aphthis habitus. Muſculi colli et panniculus adipoſus palearium inflammati et quaſi combuſti. Prognoſis: periculum adhuc ſubeſſe, quamdiu animalia ſuſpirant capite pendulo, neque ruminant. Vituli a vaccis lue affectis geniti ab eadem immunes non ſunt. Animal iam morbo laboraſſe, nullo ſigno dignoſcendum. Cauſſae morbi: praemiſſo examine earum, quas alii paſſim allegarunt, contagium atmoſphaericum aſſumit Ill. Auctor *), cuius tamen indoles incognita ſit; curationi nullum eſſe poſſe locum, niſi morbus praeuertatur. Species morbi eiusque remedia. Morbus, quantumque ſignis externis diuerſus viſus, ſemper vnus idemque, modo hanc tantum, modo illam prae reliquis partem infeſtans, diuerſus a variolis et morbillis: neque febrilis ſimplex inflammatorius, ſed putridus; nonnumquam, ſed nonniſi rariſ-

*) Vid. Comm. in actis Berol. ſuperius citatum.

riſſime, vnum ſubiectum bis inuadens, ſi obſeruationibus MARCHIONIS DE COURTIVRON fides habenda *). Indicatio quadruplex: vt contagium arceatur vel minuatur; humores a corruptione praeſerventur; vires ſuſtententur; corpus incipiente morbo purgetur. Contagium per pelles animalium mortuorum propagari, dubium vlterioribusque experimentis definiendum; adeps innoxius. Ad humores ſanos ſeruandos (ad prophylaxin) cortex peruuianus optimus, aſt ob nimium pretium vix adhibendus; debiliores vires, maiores tamen quam fraxinus, poſſidet ſalix alba, cuius decoctum addito acido vitrioli potui conſueto admixtum vaccis non ingratum, neque lacti noxium; neque alia remedia, ſal, nitrum, camphora, chamaemelum, calamus aromaticus, mentha criſpa cet. ſpernendi vſus. Morbo autem iam praeſente interna remedia omnia vſu carent, ſed veſicatoria dorſo et femoribus, abraſis antea pilis, imponi oportet. Munditiei cura nimia inutilis. Suffimigia nihil praeſtant, aeque ac interna remedia a veteribus iam commendata et a recentioribus repetita; alexipharmaca, opiata, nocent; anthelminthica ad ſecundas vias non tranſeunt; venae ſectiones inutiles, vti etiam euacuantia; clyſteres leuamen aliquod afferunt, non ſanant, neque vitulis applicari queunt. In grauidis forſan illata manu abortus procurari poſſet. Punctio abdominis ad flatus emittendos nullius vſus iudicatur. Ex quibus omnibus colligitur, morbum hunc vel diu iam epidemium fuiſſe vel futurum eſſe, vt variolas, ideoque inſitionem eiuſdem in vitulis

*) Ex eius tamen commentario (Mém. de l'acad. des ſciences de Paris, 1748. Ed. in 4. p. 338. in 12. p. 498. vid. Comm. noſtr. Vol. II. p. 612.) prorſus contrarium apparet.

lis frequentiorem reddi neque minus prosperum in quibusdam successum ab eadem deterrere debere, quum variolarum insitio primis temporibus easdem vicissitudines subierit.

*Noua supplementa ad has praelectiones.* Praeci pua ex iis iam superius adduximus. p. 164.

*Additamentum de dimensionibus maxillarum animalium quorundam*, vna cum praecedentibus supplementis 1786. a b. Auctore exaratum. In *ceruo alce* substantiam vitream in molaribus superioribus exterius, in inferioribus interius, et superficiem superiorem oblique sursum, inferiorem deorsum directam inuenit Ill. Auctor, quem mechanismum iam PEYERVS *) cognouisse videtur; postea idem vidit in *cervo elapho* et *dama*, *gazella*, *oue*, *bubulo asiatico*, *boue capensi* et *nostrate*, *dromedario;* obscurius etiam in *equo*, *zebra*, *asino*, in quibus corona molarium planior. Tandem quaedam de crusta calcarea aurei coloris, dentes quorundam animalium obducente. p. 170.

*Epistola ad supremi magistratus in Belgio consessum* super insitione luis bouillae, d. Groningae 16. Febr. 1770. quam tamen nihil effecisse Cl. Editor monet, nisi vt sagaciorum quorundam admirationem excitauerit. Pleraque ex antea dictis repetuntur, insitionis progressus docetur, eiusque vlterior propagatio magistratui proponitur, vt hoc modo vel morbus sensim mitigetur, vel eius natura, contagii ratio ac medela melius, quam vlla alia ratione fieri possit, illustretur. p. 173.

*De insitione luis bouillae, eius commodis et conditionibus* **). p. 190.

*Illu-*

*) Merycologia, Basil. 1685. 4. p. 174.

**) Est caput 6. commentarii saepius adducti, actis Berolinensibus inserti; vid. Comm. nostr. Vol. XXIIII. p. 213.

p. 198. *Illuſtratio loci cuiuſdam ex inſtructione regis Boruſſiae de anno* 1765. *ſuper putrefactione pellium vaccinarum* *). Per nouem (non decem) annos defoſſa cadauera nullum cutis, muſculorum, tendinum cartilaginumque veſtigium praebuerunt, ſola pinguedine, hinc inde ſuperſtite, indurata; foenum vero incorruptum, vnde vis antiſeptica liquoris gaſtrici multum probatur **).

p. 201 *De vermibus pulmonum* ***). Craſſities maximorum $\frac{1}{18}$ pollicis aequabat. Pulli partim ex apertura caudae, partim ex diſrupto animalis corpore (poſt mortem enim fragiliſſima ſunt) egrediuntur. Ab oeconomis comperit Ill. Auctor, morbum hunc periodice vaccas vitulosque inuadere, *tuſſim κατ' ἐξοχην* dictum, ſumme exitialem, licet inſitione vel lue naturali non praegreſſa. Conſilium b. Auctoris, vitulos in ſtabulis coercendi et nutriendi, quoſdam ſervauit.

p. 207. *Additamenta.* Cl. GOEZE †) animal ſub nomine *Aſcaridis Camperi* bene deſcripſit. SWAMMERDAMIO ††) iam innotuiſſe videtur. Inſitionem luis eius cauſſam non eſſe docet relatio Cl. NICHOLLS †††) et

*) Ex actis Berolinenſibus; vid. Comm. noſtr. Vol. XXIIII. p. 659.

**) Obſeruationem contrarium probantem, licet diſcrimine quodam obuio, Cl. OPITZ, vide Comm. noſtr. Vol. XXVII. p. 388.

***) Continuatio tractationis praecedentis; vide Comm. noſtr. Vol. XXIIII. p. 660.

†) *Verſuch einer Naturgeſchihcte der Eingeweidewürmer thieriſcher Körper. Blankenburg* 1782. 4. *m. Kupf. S.* 92.

††) Bibl. nat. p. 804.

†††) Vid. Comm. noſtr. Vol. VIII. p. 149.

et recentior obſeruatio Cl. COOPMANS. In piſcibus aquarum, quae prata paſcuis vitulorum hoc morbo affectorum inſeruientia rigabant, nullum vermem niſi *taeniam haerucam* PALL. b. Auctor inuenit.

*De morbo clunium* (*Bilzucht*) *vitulorum* commentatio antea inedita. Morbus vitulos Friſiae tantum anno iuniores quouis anni tempore ideoque cum in ſtabulis, tum pratis ſubito aggreditur, nullis praegreſſis ſignis, pauciſſimis diebus lethalis: tumor plerumque nates aut femur, interdum ſimul armos occupans, celerrime muſculos omnes ad oſſa vſque deſtruens, forte cum *noma* comparandus (*necroſis infantilis* SAUV.). *Furiae infernali* lubenter eum adſcriberet Ill. Auctor, ſi vermis hic in Belgio notus eſſet, morbusque ſolos vitulos in pratis adficeret. In eiusmodi enecto vitulo nates femurque lateris ſiniſtri prorſus deſtructa, reliqua omnia ſana et vaſa lymphatica cordis elegantius quam vnquam repleta vidit. p. 210.

*Super lue virulenta* (*'t Fenyn*) itidem tractatus ineditus. Morbus ſubinde in Friſia inter armenta graſſans, multum ſimilis ei, quem Cl. LERCHE *) equis quoque familiarem deſcribit; ideo nomen hoc adeptus, quia, ſi ſub pellis animalium eo demortuorum detractione ſanguis aliiue humores per vulnus aut alio modo reſorbentur, inflammatio ſubito in ſphacelum, nonnumquam lethalem, tranſitura enaſcitur; carne tamen eſui apta atque innoxia. Morbus ipſe leuioribus ſymptomatibus ſe prodit, quibus accedunt tumores ſubcutanei, interdum capite infantili maiores, potiſſimum ad collum, axillas et inguina, non tamen critici, interdum ſiccati cruſta dura in p. 212.

*) *Neue nordiſche Beyträge*, I. *B.* I. *St. St. Petersburg*, 1784. 8. *S.* 113.

in medio lente euaneſcentes, interdum ſanguine et ichore flauo pleni. Sectione vaccae grauidae inſtituta omentum, inteſtina, lien, vterus (fetu iam ante aliquod tempus mortuo) et thymus inflammata, partim gangraenoſa, aer et ſerum flauum in abdomine, veſicula fellea turgida, bile tenui et aere multo plena, reliqua (ventriculis interius non diſquiſitis) ſana apparuerunt (vaſis lymphaticis in hepatis ſuperficie pulcherrimis); ſanguis, alias durante morbo coagulabilis abſque ſero, eodem decreſcente ad ſanum accedens, in hac vacca fluidus manebat. Inde patet, morbum eſſe putridum, a lue bouilla eo diuerſum, quod pulmo, oculi et nares immunes maneant, et quod tumoribus ſtipatus ſit. Veſiculae felleae tumor pluribus morbis communis. Periculum a gradu febris pendere videtur; duratio non in omnibus eadem; mors diebus inaequalibus. An temperamentum, contagium, qualitas aeris aliquid conferant, aut quae eius cauſſae exiſtant, item an alia animalia eidem ſubiecta ſint, nondum exploratum. Ad curandos tumores Friſii radicem hellebori nigri ceu ſetaceum per eos traiicere ſolent. Effectus reſorpti in corpus humanum veneni eſt vlcus impurum, facile in gangraenam et ſphacelum tranſiens; auxilium in ſcarifationibus et frictione cum ſolutione mercurii viui in ſpiritu nitri, formataque eſchara applicatione vnguenti baſilici cum ſapone viridi ſeu nigro, aut fomento ex oxycrato, ſpiritu vini camphorato et ſimilibus, interne datis theriacae Andromachi et rob ſambuci partibus aequalibus et cortice peruuiano in ſubſtantia. Neminem ex inſtituto de hoc morbo egiſſe praeter Cl. VAN PHELSVM *), qui etiam mitioris eiuſ-

*) Verhandel. over Genees- en Natuurkunde, Franecker, 1776. 8. p. 163.

eiuſdem gradus, *albi*, in quo pili tantum defluant, meminerit, ouesque ab eodem immunes eſſe aſſerat *).

Commentariis, quos pars ſecunda voluminis tertii complectitur, b. CAMPERUS vltimam manum admouere non potuit. Primus ſiſtit celebratiſſimas *annotationes ſuper inſitione variolarum, obſeruationibus confirmatas* **). Maioris vel minoris copiae variolarum praeſagium certum formari poſſe, Ill. Auctorem obſeruationes multorum annorum ſuper colore hominum et effectu variolarum inſtitutae docuerunt: obeſitas vel macies corporis, color faciei obſcurior vel pallidior nullum diſcrimen efficiunt; ſed copioſiores experiuntur puſtulas, quibus color cutis ex rubro fuſcus, non tranſparens, item albus, at turbidus, nec pellucidus. Cur lactentibus variolae copioſiores, non liquet: lactis vſus inſons videtur. Menſtruorum in variolas naturales aeque ac artificiales influxus nullus, conſentiente MEADIO ***). Locus inſitionis ſub deltoideo incommodus, quod ſub quauis deligatione veſtimenta exui oportet: inde profundior in brachio vel exteriore vel interiore praeferendus. Dolores in brachiis et ſub axillis fere ineuitabiles, aſt accidentales tantum, ob diſperſos nervi cutanei ramulos, cuius irritationi etiam abſceſſum diu P. II. p. 1.

*) Non adeo diſſimilis morbus hic videtur puſtulae malignae a Cell. ENAVX et CHAVSSIER deſcriptae; vid. Comm. noſtr. Vol. XXVII. p. 522. ſeqq.

**) Vid. Comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 55. ſeqq. *Anmerkungen über die Einimpfung der Blattern, durch Beobachtungen erläutert von* P. CAMPER. *Aus dem Holländiſchen mit Kupfern. Leipz* 1772. 8.

***) Medical works. Lond. 1762. 4. p. 337.

diu poſt inſitarum variolarum decurſum ſub axillis enatum b. Auctor adſcribit. Acus vulgaris, cuius apex cote planus redditus, manubrio ligneo ſi opus fuerit inſtructa, vel lanceola, inſtrumentis omnibus veſicatorioque praeſtant.

p. 129. *Animaduerſiones in* SWIETENII *commentaria de variolis* *). Ipſum infauſtos effectus variolarum naturalium Viennae iuſto minores aſſumſiſſe, inoculationis, qualis a recentioribus inde a DIMSDALIO correcta ſit, emolumenta reticuiſſe, minus proſperos caſus ante hunc obſeruatos data opera medicis iunioribus proponere, quo eos ab inſitione deterreret. Reliqua SWIETENII argumenta eo redeunt: inſitionem a magiſtratibus prohibitam eſſe; parentibus inſitionem obtrudere velle, iniuſtum; neminem certe praedicere poſſe, quaenam ſpecies variolarum futura ſit; poſt inſitionem variolas altera vice naturales rediiſſe — quibus quae CAMPERVS reſponderit, iam tranſimus. Monet inde, in inſitione, quam nulla ſequatur eruptio, ſollicite vrinae febrisque rationem habendam eſſe, quae ſi iuſtas periodos ſeruaverit, aeger de ſuperato morbo certus et a metu reverſuri tutus eſſe poſſit. Caſum filiae Cl. DRYFHOUT **) nihil omnino probare. In notula refert, ſe variolas humanas oui inſeruiſſe abſque vllo effectu, vnde pateat, morbum ouium eodem nomine inſignitum nullam cum variolis ſimilitudinem habere. Diverſam indolem epidemiarum varioloſarum partim conditioni febris miliaris ſaepe variolas comitantis, partim

*) Praelectio habita Groningae 1772. ſubiuncta Diſſertationi de emolumento et optima methodo inſitionis variolarum, ab acad. reg. ſc. Toloſana an. 1772. praemio condecorata, Groning. 1774. 8.

**) Vid. Comm. noſtr. Vol. XVII. p. 139.

partim diſpoſitioni aegrorum ratione conditionis cutis ſupra memoratae adſcribi debere. Numquam ſe eruptionem 7. ab inſitione die, rariſſime 13. neque vmquam vltra vidiſſe, et 23. factam non inſitioni, ſed alii contagio adſcribendam videri. Ficuum vſum non augere variolas, quod RHAZES ſtatuerat. Morbum non inflammatorium eſſe. SWIETENIVM de ſaliuatione, vrina, remediis prophylacticis et curatoriis ſibi ipſi contradicere; neminem autem melius eo de febre miliari variolarum comite et de variolis ſpuriis egiſſe.

*Commentarius ſuper vera indole originis cancri et ſigno admodum eſſentiali et certo incurabilium tumorum cancroſorum mammae* *). Ceſſationem fluxus menſtrui non eſſe cauſſam huius mali inter 40. et 60. annum frequentioris, his argumentis Cel. Auctor probat: 1. durities, iuniori aetate a naturali mammae denſitate vix diſcernenda, hac creſcentibus annis flaccida et minore reddita demum magis ſenſibus patet; ſanguinis miſſiones ſcirrhi augmentum numquam impediunt; 3. ouariis in virgine exſectis non tantum menſtrua ceſſarunt, ſed etiam mammae adeo p. 156.

 flacci-

*) Ex diario: Genees-Natuur- en Huishoukundig Cabinet, Leiden 1779. 8. N. 3. Germanica verſio, ſed abſque tabula aenea, inſerta *der Sammlung auserleſener Abhandlungen zum Gebrauche praktiſcher Aerzte, XI. Band. Leipzig* 1785. 8. *mai. S.* 509. Separatim quoque prodiit: Verhandeling over der waaren aart der Kankerwording en over een zeer zaakelyk en onfeilbaar teken van en herſtelbaren Borſtkanker door den Hooggeleerden Heere PETRUS CAMPER verwaat in een brief aan den Heer I. VOEGEN VAN ENGELEN, M. D. Amſterd. 1779. 8. c. tab. aen. p. 194.

flaccidae redditae ſunt, vt elapſis aliquot menſibus fere prorſus euanuerint *); quam mutationem, quum in femina iuuene contigerit, ſimili ratione a corrugatione iſtarum partium per aetatem inducta euenturam putari debere. Verior autem cauſſa in eo quaerenda, quod durities ſenſim in ſcirrhum transiens iam antea, quam percipi potuerit, ſinum vnum vel plures ichore acri plenos formauerit, continuo paullatim aucta tandem tenſionem doloremque excitans, et denique exulcerata: pari modo etiam in viris tumores ſcirrhoſi in variis corporis locis circa 50. annum aperiri ſolent. Cancrum neque internis neque externis remediis ſanari poſſe, iam ſatis euictum eſt, quum vera ſuppuratio in eo non exiſtat: neque ergo hic analogia quaedam cum palato molli et oſſeo, lue venerea deſtructo et mercurialibus ſanato, locum habet. Ichoris ſub ſcirrho quieti apparentis praeſentia externis ſignis ſaepe cognoſci nequit, quod Cel. Auctor iam in demonſtr. pathol. **) et repetitis poſtea obſeruationibus comprobauit. Exſtirpationem ſcirrhi mammarum, abſentibus licet ſignis reliquis eius reditum minantibus, tamen ſucceſſu deſtitutum iri, praeſagit dolor pungens in eo loco, vbi vaſa mammaria interna inter 2. et 3. coſtam extrorſum et verſus mammam exeunt. Cauſam huius phaenomeni in cadaueribus cancro demortuarum inquirere b. Auctori numquam contigit (at Cl. COOPMANNS, vt inferius narrabimus): aſt in quadragenaria, phthiſi pulmonum exſtincta, in qua glandulae pectoris et abdominis admodum turgebant, pone pleuram glandulas in cauis a cartilaginibus coſtarum et ſterno formatis ad vaſa mammaria interna ſitas detexit; idem etiam

*) Chirurgical obſervations — by PERCIVALL POTT. London 1775. 8.

**) Vid. Comm. noſtr. Vol. X. p. 507.

etiam in puero aliquot menſium vidit. Inde collegit, omnibus corporibus datas eſſe eiuſmodi glandulas lymphaticas, hasque vt alias vicinas a miaſmate cancroſo affici; dolorem in eo loco, vbi vaſa mammaria extrorſum procedunt, certum indicium affectarum iam glandularum praebere; operationem ideo irritam futuram, quia glandulae oppoſiti lateris ſimul infectae eſſe poſſunt. Inde etiam fungi vel poſt inductam cicatricem, vel antea iam, ortum declarari. Similem eſſe mutationem hanc ei, quae in ſarcocele a tumentibus glandulis ad funiculum ſpermaticum poſitis accidat. Icon iſtarum glandularum vaſorumque lymphaticorum cum iis communicantium ex vetula additur. Horum vaſorum miniſterio miaſma cancroſum ad glandulas defertur, quarum obſtructio preſſionem doloremque in neruis excitat, praecipue in loco indicato, vbi neruus coſtalis ſecundus inſignem ramum dimittit cum vaſis mammariis extrorſum progredientem. Cl. GEORG. COOPMANNS in femina cancro mammarum demortua glandulas has lymphaticas omnes tumidiſſimas et ſcirrhoſas inuenit.

*Additamenta ad tractationem ſuper cauſſis variarum herniarum in infantibus recens natis:* proceſſus peritonaei in pueris frequentius apertos inueniri quam in puellis, vlterius confirmat. p. 180.

*Illuſtratio loci in annotationibus ſuper mutationibus, quas calculi in veſica humana ſubeunt*, aeque ac priora additamenta iam primum in publicum edita. Cel. SANDIFORT calculum ab ALBINO *) deſcriptum pictumque diſſecuiſſe, et ſpinoſum, nucleo ſimplici, non ex pluribus compoſitum, deprehendiſſe, indeque ALBINI hypotheſin refutari **). p. 183



*) Acad. annot. L. III. Leid. 1756. 4. p. 59.
**) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXVII. p. 108.

## III.

*Auffätze und Beobachtungen aus der gerichtlichen Artzneywiſſenſchaft; herausgegeben von Dr.* IOH. THEODOR PYL — *Fünfte Sammlung*; *Berlin* 1787. *Sechste Sammlung* 1789. *Siebente Sammlung* 1791. 8. pgg. 248. 282. 275.

i. e.

Opuſculorum atque obſeruationum ad medicinam forenſem pertinentium, Vol. V. VI. ac VII. auctore I. TH. PYL.

Ex quo quartam vtilis huius collectionis partem indicauimus *) tria iterum comparuerunt volumina, quorum nunc ſimul mentio facienda. De ſingulis hiſce collectionibus, vt nobis quidem videtur, idem iudicium ferendum eſt; ſcilicet, caſuum variorum ac memoratu dignorum relationes mixtas eſſe cum aliis vix memorabilibus, quas in ſcrinio ſuo ſatius repoſuiſſet Auctor. Elaborationes ac relationes ipſae nonnunquam ſtylo diffuſiore ac obſcuriore dictione laborant; ita vt mirari ſubeat, relationum literariarum celebriorum Cenſores auctorem ob dictionis elegantiam, a qua longe ſaepe abeſt, laudaſſe.

Quadripartita eſt haec operis noſtri pars, prio-
Vol. V. rum ad exemplum. *Sectio I.* ſectionum legalium
p. 1. hiſtorias exhibet. *Obſeru. I.* partus infelicis caſum narrat, in quo cum infante mater apoplexia perierat, ſine culpa quidem obſtetricis, cum partus agripparum fuerit, neque placenta vi extracta; at ne-
p. 9. gotio illicito ac illegali partum abſoluerat. *Obſ. II.* partus

*) Vid. Comm. Lipſ. Vol. XXIX. p. 241. ff.

partus clandeſtini maturi vitam poſt excluſionem ex reſpirationis, licet imperfecte peractae, criteriis comprobat. Mors ab apoplexia. *Obſ. III.* b. LESSERI p. 16.
eſt, auctoris noſtri in officio anteceſſoris. Relationem ſcilicet hic habes infantis poſt partum viui, at a matre ſuffocati. Hanc Editor laudat ob plenam circumſtantiarum expoſitionem; excuſat ob ſtyli diffuſionem. Excuſationem lubenter admittimus, laudibus autem non ſubſcribimus; ex viſo reperto enim neque vita poſt partum neque mortis genus eluceſceret, niſi reae confeſſione vtrumque comprobatum eſſet. *Obſ. IV.* ab eodem auctore conſignata p. 24.
eousque memorabilis eſt, quod, cum infanticidium exhibeat ex ſubmerſione infantis in aquis, nouiſſimam illam doctrinam confirmat de reſpiratione prima dextrilatera, quam *Portal*, *Leonhardi*, *Metzger* aliique obſeruationibus ſuis confirmarunt. *Obſ. V.* quintae p. 29.
Auctor anonymus ſ. pſeudonymus *N — e*, hiſtoriam narrat infantis neonati, morte naturali defuncti, in quo hernia diaphragmatica congenita, cor verſus dextrum latus vrgens, obſeruata fuerit. *Obſ. VI.* p. 33.
iterum mentionem facit infantis mox poſt partum mortui, quod ſtrangulatum periiſſe contendit medicus cum chirurgo ſecante, licet de hoc mortis genere ex ſuis ſignis eruendo ſolliciti haud fuerint. Res igitur ad Collegium Medicum ſupremum fuit delata; ex cuius iudicio non iugulatus infans ſed ex debilitate ſumma mortuus eſt. *Obſeru.* porro *VII.* ſubie- p. 48.
ctum eſt neonatus ex colli diſtorſione, fatente rea, occiſus, poſtquam comprobante pulmonum docimaſia reſpirauerat. *Obſ. VIII.* a Cl. *Kurella* enarrata p. 54.
feminam exhibet, cui ſub immodica ſaltatione, adſtans funeſte iocoſus, baculum per inteſtinum rectum intruſerat: mox proſtrata ſub haemorrhagiis et animi deliquiis reiteratis animam tandem efflauit; cauſa mortis ſectione detecta. *Obſ. IX.* Editori a p. 58.

*Metzgero* ſuppeditata hiſtoriam ſiſtit vetulae, a genero ſuo ictu ad pectus humi proſtratae, ſurgendo imparis et poſtridie mortuae: de cauſis mortis referens auctor laeſionem pronunciat per accidens
p. 62. lethalem. Eodem auctore *Obſeru. X.* refert de puero ſeptenni ſub traha hyeme velocius vecta extincto, in cuius cadauere cauſa mortis duplex, luxatio ſcilicet vertebrae primae a ſecunda et haemorrhagia a
p. 64. rene rupto reperta fuit. *Obſ. XI.* caſum exhibet a Cl. *Kölpin* narratum de adoleſcente vulnere ſclopetario e tergo feriente occiſo; cuius cadauer praeter varias viſcerum laeſiones venam cauam monſtrabat per medium diuiſam, ſupra emulgentium originem; cauſa mortis ſic ſatis euidente. Idem Auctor *Obſ.*
p. 71. *XII.* mentionem facit feminae triginta annorum gladio militis incuruo ad abdomen perfoſſae, in quo caſu laeſionum complicatio mortem abſolutam arcerſiuerat. *Obſ. XIII.* mortis ſubitae ab hepate ex
p. 78. violentia externa rupto exemplum ante oculos po-
p. 82. nit, ab Editore relatum. *Obſ. XIV.* Caſus hic narratur ſenis decrepiti 86 annorum, qui plateam transverſam permigrans, curru velocius vecto, humi proſtratus ex capitis grauibus laeſionibus periit. Memorabilis in hac ſectio erat cranii oſſium mira craſſities, vitreae cum dura menynge inſuperabilis fere adhaeſio, oſſis temporalis ſiniſtri fractura, et extravaſatum notabile in baſeos cranii vtraque parte.
p. 89. *Obſ. XV.* fabri ferrarii hiſtoriam narrat, qui cum ex altercatione cum commilitonibus ira excandeſceret, poſt cereuiſiae albae hauſtum ſuffocatus periit. Violentiae ſigna nulla, at ſtagnationis ſanguineae in pulmonibus grauia teſtimonia exhibuit cadaueris ſe-
p. 94. ctio. *Obſ. XVI.* Iterum mortis ſubitaneae exem-
p. 98. plum exhibet ex apoplexia ſanguinea. *Obſ. XVII.* Cl. *Opitius* Mindanus caſum narrat feminae, liquorum aduſtorum immoderato vſu calentis, morte ſubita-

bitanea extinctae; in cuius cadauere ventriculus cum
inteſtinis inflammatione ad gangraenam vergente,
cum apoplexiae et ſuffocationis ſignis apparuerunt.
*Obſ. XVIII.* ſuicidae ab aſſumto arſenico defuncti p. 105.
exemplum proponit. Sequitur deinde *Obſ. XIX.* a p. 110.
Cl. *Kölpin* Sedinenſi relata, de femina nobilioris
proſapiae pulueribus illis famoſis Ailhaudianis extin-
cta. Sectio viſcerum violentas diſtorſiones atque
deſtructiones manifeſtauerat. Auctore porro Cl.
*Richtero Obſ. XX.* exemplum ſiſtit mortis violentae p. 114.
ruſtici, cuius abdomen ſub rotae motu compreſſum
fuerat, ex omenti ruptura indeque orta haemorrha-
gia lethali mortui. Tandem *Obſeru. XXI.* caſus p. 118.
narratur memorabilis a Cl. *Metzgero*, feminae vul-
nere profundo ad angulum coſtae tertiae in pulmo-
nes adacto cum laeſione arteriae intercoſtalis com-
plicato, enecatae. Quaeſtio hic erat, an de ſuici-
dio, an de homicidio decerneret iudex? quam ta-
men ex rationibus phyſicis confici poſſe, negauerat
Auctor. Editor quidem de homicidio vix dubitare
videtur; at ſi ſententiam noſtram rogaremur, non
omnino eius argumentis conuictos nos profitemur.

*Sectio II.* Reſponſa exhibet ad varias a curiis iudici-
alibus quaeſtiones (Gutachten). *Reſp. I.* ſtupri violenti p. 131.
conſummationem, quam femina 17 annorum viro
haud robuſtiſſimo imputauerat, haud veriſimilem eſ-
ſe, comprobat. *Reſp. II.* ad impotentiae maritalis p. 185.
imputationem ſpectat, propter quam maritum quadra-
genarium in iudicium vocauerat vxor. Genitalibus
bene conſtitutis, erectionem tamen nullo modo prouo-
care potuit *Pylius* (atque quidem ſpurcum et inutile
negotium egiſſe hic Phyſicum, ego quidem credide-
rim, licet idem facinus ab aliis perpetratum et ſpu-
riis argumentis excuſatum fuerit. Redit enim omnis
haec ſordida manipulatio ad eandem inanitatem cum

abſurdo illo congreſſu, olim in Gallia vſitato.) Con-
p. 142. cluſio caeterum reſponſi dubia eſt. *Reſp. III. Köl-*
*pinus* de impotentia poſt grauem morbum reliqua re-
fert, quam tamen inſuperabilem aſſerere dubitat.
p. 146. Addit auctor appendicis loco breue reſponſum amici
anonymi in ſimili cauſa, quo ex praeputii longitu-
dine, fraenuli breuitate, coitu dolorifico, eiaculatio-
ne parca et cito peracta concludit, impraegnationem
ipſi imputatam vix videri aſſumendam (Contradicit
quidem Auctori, quem amicum vocat, Editor. At nos
ex eius partibus ſtare, confitemur. Quid enim? dubi-
tare ſe dixerat; non praefracte negare impraegnatio-
nis realitatem. At Editor, quid profert? poſſibilem
contendit nihilominus fuiſſe coitum foecundum. At
a poſſe ad eſſe non valet conſequentia et quis ne-
gare audeat, genitalibus male conformatis difficili-
p. 148. orem eſſe foecundationem.) *Reſp. IV.* Remouetur
ſuſpicio infectionis venereae ob tubercula cutanea
p. 151. cuti hinc inde ſubſidentia. *Reſp. V.* Iuuenis 16 an-
norum violentia externa genu dextrum inflammatum
atque dein vlceroſum reportauerat, quo quidem inni-
ti, gradi, at grauiores labores, quibus vitae ſubſidia
ipſi quaerenda eſſent, peragere vix poterat. Cura-
tionem tentari quidem at non promitti poſſe, aſſe-
p. 155. rit Auctor. *Reſp. VI.* Dicit de iuuene 19 annorum
ob extremitatis inferioris ſiniſtrae tumores atque in-
p. 159. tumeſcentias militiae laboribus inepto. *Reſp. VII.*
(vix dignum, quod prelo committeretur) viri aegro-
ti ad carceres delationem non ſine vitae diſcrimine
p. 161. fieri poſſe, teſtatur. *Reſp. VIII.* Aethiops manci-
pius feminae principis adſcriptus ob delictum ad
captiuitatem in caſtello damnatus erat, quem tamen
Editor ob aſthma pectorisque infirmitatem hanc poe-
p. 164. nam ferre poſſe negat. *Reſp. IX.* homo carcere
detentus conuulſionibus epilepticis frequentibus ob-
noxius mentis ſuae ſtatum imbecillum male allegare,

vt

vt furtum commiſſum excuſaret, contenditur (bene an male? ipſe viderit Auctor). *Reſp. X.* Itep. 166.
rum de viro carcere detento, qui ob procliuitatem
ad leucophlagmatiam dimittendus ſit. *Reſp. XI.* p. 168.
Disquiritur in naturam fluidi impuri, quo veneni ſymptomata in puero excitata fuerant, ſine tamen vlla ſubſtantiae venenoſae praeſentia. *Reſp. XII. Glaw-* p. 170.
*nigius* Briegenſis *Zacchiae* et *Ramazzini* auctoritatibus demonſtrat, odores ex coriariorum officinis exhalantes hyſtericas male afficere. *Reſp. XIII.* habet p. 173.
epilepſiae ſimulatae exemplum.

*Sectio III.* quindecim exhibet reſponſa ad ſta- p. 175.
tum mentis dubium i. e. inſaniam ſiue imbecillitatem pertinentia. Vix vllum inter haec exempla eſt, quod non ad conſuetos aut quotidie obuios caſus huius generis referas. In ipſa reſponſorum ratione vltra vulgaria ratiocinia, haud ſapit Editor.

*Sectio IV.* tandem Reſponſa habet ad varias quae- p. 209.
ſtiones ſpectantia. *Reſp. I.* de frequentibus hominum in officinis ceruſſariis laborantium aegrotationibus agit, earumque cauſis, quae ſint in particularum plumbearum tranſitu in organa reſpirationis et in primas vias continuo, quem praecauere oporteat faciem larua obuoluendo. *Reſp. II.* inique iudicatur de p. 216.
conſilio exſtruendi balnearii in vſum publicum. Metuendum enim eſſe, inquit Auctor, ne in lupanar euadat totum inſtitutum (atque quidem hoc male, vt nobis videtur; ipſam rem vtilem fore non negat; et ne in abuſum abeat res publice vtilis, magiſtratus caueat, oportet). *Reſp. III.* quo improbatur arbo- p. 219.
rum plantatio in plateis vrbium, *Metzgeri* eſt, ex eius opuſculis miſcellaneis deſumtum. *Reſp. IV.* p. 225.
*Glawnigii* Briegenſis ad carcerum huius vrbis meliores conditiones obtinendas ſpectat. *Reſp. V.* ad ex- p. 234.
ſtirpandam ſcabiem in carcere Berolinenſi indigenam

con-

p. 239. consilia suppeditat. *Resp. VI. et VII.* argumenti sunt
p. 245. mulomedici; referunt enim de morbo boum gangraenoso, vulgo *Miltzbrand.*

Vol. VI. Ex sexto Volumine non nisi casus rariores aut observationes memoratu prae aliis dignas indicabimus. Insunt enim, vt in priore, minoris momenti diatribae, inter reliquas tolerandae magis quam laudandae. Sectionum iterum quatuor sunt. *Sectio I.*
p. 1. ad cadauerum sectiones legales spectat. *Observ. I.* dicata est discutiendis ineptis obiectionibus, quas reae defensor contra relationem Physici in casu observationis II. Vol. praec. p. 9. vt mortis genus apo-
p. 11. plecticum oppugnaret, protulerat. *Obs. II.* infanticidii in partu maturo, viuo, suffocatione in fossa per-
p. 18. acti, exemplum praebet. *Obs. III.* docimasiam pulmonum sistit summa acribeia factam, in infante viuo, spina bifida affecto. Auctor videtur esse *Meckelius*
p. 25. Hallensis. *Obs. IV. V. VI. et VII.* a *Metzgero* suppeditatae sunt, ad docimasiae pulmonum veracitatem
p. 35. in casu putredinis maxime spectantes. *Obs. VIII.* Cl. *Kölpin* duplici relatione euincit laqueum, quo infans neonatus strangulatus repertus fuerat, non potuisse iniici sub partus laboribus, id quod contendebat rea, sed excluſi iam pueri collo circumdatum
p. 46. fuisse. *Obs. IX.* infans neonatus a matre, cuneo in
p. 83. fauces immisso enecatus. — *Obs. XV.* a Cl. *Kölpin* suppeditata facit ad constituendum illud criterium mortis in aquis a *Waltero* propositum exque sanguinis integra fluiditate petitum, cum eorum cruor, qui mortui in aquas coniecti sunt, coagulatus sit
p. 105. (quam certum sit signum illud, alii viderint) — *Obs. XIX.* occasione feminae laesione capitis a Chirurgo stipendiato (Pensionnaire) male diiudicata extinctae ineptias iterum Defensioris, vltra ingenium suum sapientis, retundit Auctor.

*Sectio*

*Sectio II.* reſponſa continet ad varias curiarum iudicialium quaeſtiones; qualia fere quotidie in praxi forenſi obuenire ſolent: quare vix neceſſarium nobis viſum eſt, de his relationibus ſpeciatim dicere. Legant tirones exercitii gratia. p. 124–180.

*Sectio III.* de mentis ſtatu dubio reſponſa hic habes quatuordecim, mentis imbecillitatem ſ. fatuitatem partim, partim delirium et maniam, partim etiam irritabilitatem ad furorem vsque auctam teſtantia. *Reſp. XI.* praeprimis cum *XIV.* ad liquidum demonſtrat, dari homines animo ita feroci, ſine delirio aut mentis alienatione, vt maniacorum ſiue potius daemoniacorum ad inſtar ad facinus quodcunque impetu quodam ferantur haud coërcendo, hac dote in maniacorum numerum referendi. p. 181.

*Sectio* denique *IV.* iterum de morborum epizooticorum quorundam decurſu relationes ſiſtit; inter quas *Reſp. I. II. III. et IV.* auctore *Heimio*, tunc Phyſico Spandauienſi, luis bouillae verae hiſtoriam tradit — *Reſp. V.* luem bobus equisque communem, ſplenitidem, vt videtur, gangraenoſam, deſcribit Idem. *Reſp. VI.* Rabiei caninae ſpecies inter boues pagi cuiusdam graſſata graphice delineatur iterum ab *Heimio* — *Reſp. IX. ac X. Richterus* morbi bouilli, veram luem aemulantis, in pago quodam ſaeuientis ſciagraphiam exponit. *Reſp. XI. et XII.* Definitur ad ſeptimanam tempus quadrageſimae vulgo dictae, vbi a grege bouilla extranea luis periculum imminet atque tandem negatur panacaeae contra hunc morbum laudatae virtus ac efficacia. p. 225. p. 244.

Sectionum triga hoc Volumen abſoluitur. Prima ſectiones legales exhibet, quarum tamen nulla eſt, quae in tanta quotidie prodeuntium obſeruationum- Vol. VII.

num ſimilium farragine prae aliis memoratu digna dici poſſit; vigeſimam ſecundam ſi forte excipias, qua diſcutitur, an vir quidam vulneribus collo inflictis interfectus propria manu, an aliena nefando ſcelere perierit. Reliquae ſectiones infanticidia fere ſpectant vt et vulnerum capitis atque thoracis lethalitatem variam. Altera Sectio mentis alienationibus dicata, hiſtoriam primo exhibet feminae in propriam prolem, legitimo thoro natam ſaeuientis, melancholia eaque religioſa affectae, ſatis memorabilem. Caeterum aliorum quoque maniacorum vt et mentis imbecillitate laborantium hominum exempla hic proſtant. Sectio tertia *Varia* continet, inter quae praecipua attentione dignum eſt Reſponſum Collegii Medici Supremi Berolinenſis ad quaeſtionem: an ex patre Aethiope et matre Europaea infans candido cutis colore praeditus naſci poſſit? Vellemus, typis haud fuiſſet hoc Reſponſum; namque eruditionem ſeculi praeterlapſi potius, quam labentis ſapit. *Ab ouo* ſcilicet materiam ſuam tractans Auctor, negat primo ex ouulorum ſiue, quod idem eſt, euolutionis hypotheſi explicandam eſſe quaeſtionem propoſitam. Quid enim? Nonne poſt obſeruata demum phaenomena quaerendae rationes? Atque adeo neſcit Auctor, pulcherrime hybridorum originem ex euolutionis hypotheſi explicaſſe HALLERVM atque BONNETVM? Deinde ex itineratorum obſeruationibus demum conficit theſin dudum confirmatam, ex Aethiope et Europaea ſiue viciſſim, naſci *Mulattos*, adeoque puerum candida cute, crinibus longis albisque, oculis caeſiis praeditum ex Aethiope haud eſſe natum. Tertium huius Sectionis Reſponſum de virginitatis notis vix ſatisfaciet rerum peritis. Legant interim hunc librum diligenter tyrones, et quam circumſpecte omnia in reſponſis relationibusque medicorum

corum forenſium ponderanda ſint, diſcant; caueant tamen a ſtyli negligentiis, quae Auctori condonandae ſunt.

## IV.

IOANNIS EMANVEL GILIBERT, Medicinae Prof. Noſocomiorum Grodnenſis et Lugdunei Phyſici ord. plurim. Academ. Socii, aduerſaria medico-practica prima, ſeu annotationes clinicae, quibus praecipue naturae medicatricis iura vindicantur, artiſque priſca ſimplicitas numeroſis peculiaribus obſeruationibus ſtabilitur. — Lugduni typis I. P. Delamolliere, Bibliop. et Typogr. 1791. 8. mai. pagg. CXLIV. et 378 praeter dedic. ad Ill. TISSOT eique ſubiunctos, canones et operis diſtributionem et ſeries in fine. Tab. aeri inciſa vna *).

In praefatione nuncupatoria ad Cel. VITET directa primo Cl. Auctor docet, quam parum ſola ſyſtemata theoretica in medicina ſufficiant, huiusque perfectionem a ſola fida obſeruatione exſpectari debere, triaque principia tuto adoptari poſſe: autocratiam naturae in pleriſque acutis plurimisque chronicis morbis; empiriſmum rationalem; et analogiſmum rigoroſum. Neque vero theorias reiicit, ſed nullius aſſecla ſeſe eclecticum aut ſcepticum, ſolaque obſervatione ductum per 25 annos aduerſaria iſta collegiſſe declarat, nullis adiunctis ratiociniis corollariisue inde deductis; inde tres veritates vtiles demonſtratum

*) Teutonica verſio his ipſis nundinis paſchalibus Lipſiae apud Graefium prodiit, de qua infra exponere animus eſt.

tum iri: naturam morborum esse medicatricem; pauca simplicia et indigena remedia sufficere ad implendas omnes indicationes; et doctrinam practicam medici coordinari posse ex meris obser-
p. xxix. uationibus, missis inductionibus theoreticis. Idem fusius in introductione exponit, docens, quanti celeberrimi medici ab HIPPOCRATE ad nostra vsque tempora autocratiam naturae fecerint, simulque studiorum suorum fatorumque, quae ipsi in praxi obuenerunt, rationem subiungens (quae in subiuncta versus finem libri epistola ad eundem Cel. VITET repetuntur), ex qua biographiae propriae specie hic allegasse sufficiat, ipsum ab anno 1760. ad 1762. Monspelii studium medicum coluisse, doctoribus vias longe diuersas monstrantibus, ex vna parte SAUVAGES, VENEL, LEROI, ex altera FIZES et HAGVENOT, praeside etiam LEROI thesin a se ipso elaboratam de natura medicatrice defendisse, inde 1763. Lugdunum medicinae faciendae caussa rediisse nosocomiumque, cui alius tunc medicus praeerat, frequentasse, deinde in coemta villa ab anno 1766. ad finem 1768. medicinam exercuisse, ab anno 1769. ad finem 1775. Lugduni munere professoris botanices, anatomiae et chirurgiae functum esse, verum ob impedimenta in condendo horto botanico sibi oppositа eodem se abdicasse, et suadente HALLERO Grodnam abiisse, vt scholae medicae ibi aperiundae directionem susciperet; cum Grodnae tum Vilnae docendo faciendoque medicinam vsque ad 1783. restitisse, donec sanitate labefactata (passim morbos proprios enarrat Cl. Auctor, quorum grauissimus fe-
p. 132. bris amphemerina 1777. superata, quam autem de-
p. 191. bilitas, vertigo et palpitatio cordis periodica excepit, a qua demum in se patria liberatum viresque restitutas sensit) patriam vrbem reuiseret, vbi 1784. nosocomii magni medicus ordinarius designatus est. In

omni-

omnibus his occupationibus ſemper obſeruationes calamo excepit, ex quibus iam 1781. in vſum auditorum caſus collegerat et ordine diſpoſuerat. Iam igitur, vt doceat, quicquid generaliter verum et inconcuſſum apparuerit circa autocratiam naturae, prima illa aduerſaria exhibet, vitia et plagas, vtpote p. 108. elementa morborum internorum, iuxta noſologiam Cl. SAGAR complexa, quibus alias morborum claſſes, eadem methodo elaboratas, ſucceſſuras ſpondet. Iam ex his, vti ex ſubiunctis collectionibus hiſtoriarum morborum excerpamus, quae prae reliquis memorabilia nobis viſa ſunt, in genere notantes, quod iam dictum, finem primarium Cl. Auctoris eſſe, vt doceat, quam ſaepe morbi abſque remediis valentioribus ſola fere natura vincantur, et quam paucis ideo faciliusque parabilibus remediis indigeant.

Phlyctaenas in ſeptuagenario totam corpris ſuper- p. XLIX.
ficiem occupantes bis vno anno obſeruauit; altera vice ſuperuenit debilitas cum delirio pacato, et poſt ſiccationem mors. Bacchiam ſ. guttam roſaceam in pluribus familiis omnes ac ſingulos poſt 25 ann. infeſtantem conſpexit, aquam puram bibentes, poſt annum 50. pallidiorem, ſenectute euaneſcentem. B. febrilis ſ. maculae brunae, nigricantes, cum leui inflammatione partis naſi, dorſi, clunium, gangraena incipiens, ſignum imminentis mortis in febribus intermittentibus et amphemerinis. Corticis *orni* deco p. L.
ctum aduerſus ſerpiginem (ſine dubio error loco corticis *vlmi;* errorum typographicorum, etiam non indicatorum, in genere ſatis ingens numerus, quemadmodum ſtilum correctiorem ſubinde optaſſemus). Oedema vrinoſum, ſequela iſchuriae renalis; pro p. LIII.
dromus apoplexiae, ſi faciem et collum occupat. Oedema purulentum in femore metaſtaticum poſt febrem amphemerinam lethale. Inflammatio lata faciei lenti progreſſus in pinguibus. Furunculos in p. LV.

clunibus et dorſo poſt dyſenteriam plures ipſe Cl. Auctor iuuenis expertus, ſponte ſanatos. In ſenſibilioribus ſaepe in dorſo poſt cantharidum inter ſcapulas applicationem oriuntur, itidem ſponte ſanabiles.

p. LVI. Bubones ſyphilitici frictionibus repetitis ex mercurio gummoſo reſoluti. Anthrax in duobus aegris cauterio actuali, magnis corticis doſibus, ptiſanis acidis

p. LVII. curatus. Phimoſis hydropica in infante leucophlegmatico poſt variolas confluentes, gangraena ſuper-

p. LVIII. veniente lethalis. Glandularum recens et indolens induratio in mammis et collo ſponte reſoluta, inprimis erumpentibus menſtruis; hanc extractum cicu-

p. LIX. tae iuuat. Carcinomata labiorum, poſt exſtirpationem numquam redeuntia, forſan nidos laruarum inſectorum quorundam eſſe, quod curatione per vnguentum dentellariae et mercurium gummoſum ve-

p. LXII. roſimilius reddi videatur. Carunculae vrethrae, polypoſae indolis, hirudinibus infra penem aut ad radicem illius applicatis marceſcunt. Infantem nouimeſtrem ſeruauit Cl. Auctor; in poſteriore capitis ſarcomate quaſi duplicatum caput ſiſtente. Tetanus lethalis a ligato poſt caſtrationem funiculo. Sarcoma ani, capite infantis maius, felici ſucceſſu exſtirpa-

p. LXIII. tum. Callum oſſium fractorum ſpatio 40 horarum

p. LXV. ſolideſcere. Struma in vxore Cl. Auct. anno aetatis 15. poſt catameniorum fluxum enata, poſt tres annos, colica atroci praegreſſa, euacuata libra pituitae vitreae breui diſparuit, neque poſt iteratos partus reuerſa. Spongiam et ſales alkalinos rariſſime verum vſum

p. LXVII. praeſtare. Exoſtoſis varioloſa cum carie et paedarthrocace maxillae et pedis in infante ſexenni poſt inſitionem, poſt tres annos febre lenta lethalis. Aneuryſmata interna, vita miſerorum a 10 ad 20 annos protracta, palpitationibus initio perpetuis, poſtea, ſacco craſſiore reddito, per menſes redeuntibus.

p. LXVIII. Varices gregales in infante decem annorum ab imo abdo-

abdomine ad mammam dextram. Varicocele matrimonio diſſipata in Auctore ipſo. Tumor, capitis infantis magnitudine, in inguine iuuenis, folliculo emplaſtro corrodente aperto innumeras hydatides acinorum vitis magnitudine emittens, ſuppuratione curatus. In quibuſdam familiis omnes ab anno 30. ad 50. lupiis paruis in capite, preſſione digitorum fugandis, laborant. Lupia longitudine palmae clauiculae inſidens, 2 poll. eleuata, cauſtico potentiali ab agyrta deſtructa: efficacitas cryſtallorum mercurii ſublimati, euaporatione paratorum, ad ſimiles affectiones. Duo exempla abſceſſuum inſignium, alterius in inguine puellae poſt menſtrua ſuppreſſa, alterius in alia poſt dolores colicos, totam regionem a coſtis ſpuriis ad os ilium lateris dextri occupantis, copioſiſſima puris per aluum excretione ſanatorum. Exomphalus adipoſus, pro ſcirrho habitus, ſola natura per lentam ſuppurationem ſublatus. Paralyſis palpebrae ſuperioris oculi ſiniſtri, quotidie ad vnam alteramue horam, in muliere 39 annorum, magna haemoptyſi accedente, et extrauerſio palpebrae infrioris in quadragenario, haemorrhoidum fluxu ſanata. Exocyſtis vrethralis ſ. vrethrae aut colli veſicae prolapſus in puella a manuſtupratione. Vterus poſt partum prolapſus ab imperito chirurgo exſciſſus, ſuperſtite diu aegra miſerrima *). Diaſtaſin oſſium peluis a conatibus pariendi bis vidit Cl. Auctor, vnde ad vtilitatem huius operationis concludit. Fetus humanus vno tantum oculo in centro frontis in mu-

p. LXIX.
p. LXX.
p. LXXII.
p. LXXV.
p. LXXIX.
p. LXXXIII.
p. LXXXIV.
p. XCIII.
p. XCV.



*) Ex inſcitia euulſi exemplum vide Comm. noſtr. Vol. XXII. p. 477. et quod Cel. WRISBERG enarrauit, ib. Vol. XXVIIII. p. 722. et Vol. XXXIII. p. 516. exſtirpationis conſilio ſuſceptae Vol. XVII. p. 316. Vol. XVIII. p. 589.

ſeo Cl. Auctoris; ſimilis caballinus in muſeo Cl. LE
p. XCVI. CAMVS ſeruatus. Puero bienni ſus ſcrotum teſticulosque abſtulit, natura curationem praeſtante; iuveni pauci pili erant, nec barba in mento. Praeputium a natiuitate deficiens vel potius iuſto breuius.
p. CVIII. Virgula ferrea, ex negligentia in ſclopeto relicta, hoc exploſo tota in abdomen iuuenis ſuper oſſa ilii lateris ſiniſtri penetrauit; vulnus, tamquam abſolute lethale prima die neglectum, tamen extracta virgula
p. CX. abſque grauioribus ſymptomatibus ſanatum. Pugione transfoſſum totum pectus cum ſignis laeſi pulmo-
p. CXI. nis dextri, ſanato tamen aegro. In Europa ſolius viperae morſus venenatos eſſe (?), nec ſemper:
p. CXIII. oleum oliuarum fallax auxilium. In contuſionibus
p. CXIV. oculorum ſummus hirudinum vſus. Concuſſionis lethalis cerebri ſine humorum effuſione exemplum in ruſtico a lapſu. Mors a contuſione hepatis aut lienis, nulla licet fugillatione in cute conſpicua. Li-
p. CXVII. thotomia ſola lateralis hodie in vſu; vulnus non deligatum ſibi et naturae relinquitur: apoplexia lethalis poſt paucas ab operatione horas, magna ciborum
p. CXVIII. copia ante eam furtim ingeſta. Cancer mammae ſtupendae molis, 10 poll. diametro, feliciter exſtirpatus, vix elapſo menſe cicatrice ſolida totam plagam claudente. Suturarum cruentarum inutilitas
p. CXIX. et noxae. Vlcerum ſpongioſorum curatio exſpecta-
p. CXX. tione et lauando cum decocto abſinthii. Vlcera ver-
p. CXXI. minoſa in Lithuania a vermiculis albis, capillaribus, longis, in aquam proiectis raptim et vndulatim ſe mouentibus, quae neglecta ſanatione pruritum doloremque augent, ſuperuenientibus lapſu temporis macie, agrypnia, lipothymiis, morte; empirici ea ſanant affundendo aquam tepidam, ſpicamque ſecalis ſuper vlcus rotando, cui inuoluuntur vermiculi; vlcera ab iſtis purgata vix paucis elapſis diebus ſa-
p. CXXIII. nantur. Vlcera a ſplene indurato, in prouincia

Gal-

Galliae Breſſia frequentia, nonniſi tumore lienis ſanabilia, CELSO *) iam cognita. Poſt ſanatam operatione fiſtulam ani iis, quibus pulmo debilis aut iam ſigna tuberculorum adſunt, phthiſis cito lethalis ſuperuenit. p. CXXIV. Fiſtulam lacrymalem poſt variolas a 2. ad 10. annum abſque carie ſubſiſtentem aliquoties vidit Cl. Auctor. Iniectiones in curatione ſinuum ſuperfluae adeoque noxiae. p. CXXV. Caries venerea oſſium palati in quinquagenario, ſumta per tres menſes mixtura Swietenii cum decocto althaeae curata. p. CXXVI.

Lucubratio anatomica de fetu monſtroſo acephalo, quem etiam tabula adiuncta depictum ſiſtit: p. CXXXII. erat alteruter gemellorum vtriuſque ſequioris ſexus, 5. grauiditatis menſe poſt lapſum matris expulſorum. Longitudo totius fetus 7 poll. trunci $3\frac{1}{2}$, craſſities 2. Color pedum et clunium albus, dorſi, pectoris et ventris ſaturate ruber. Nec caput nec brachia aderant, nec in horum regione protuberantia; tumoris pars ſuperior conuexa, attactu dura clunium aut femorum ad inſtar; dorſum naturale; facies anterior plana verſus latera ſubconuexa, latera parallela et conuexa; funiculus vmbilicalis verſus placentam in membranam triangularem expanſus; mammarum veſtigia nulla; medio inter trunci verticem et vmbilicum loco verſus latus ſiniſtrum depreſſio margine irregulari, in hac petiolus breuiſſimus, cui cor nudum extus ſupra pectus pendulum inſidebat. Nymphae et clitoris inſignis magnitudinis, anus apertus, pedes ſatis bene conformati, ſed dexter tantum pollice, digito ſecundo et medio, ſiniſter pollice et medio inſtructus. Columna vertebrarum a vertebris dorſi et medulla ſpinali, omnesque nerui ex hac orientes in ſtatu naturali, niſi quod vertebra prima dorſi contextu



*) Lib. 4. cap. 9.

celluloſo ſatis denſo et copioſo obturaretur, et in tribus ſuperioribus medulla emaciata eſſet, nec nervos emitteret. Tota ſuperior pars trunci formabatur a maſſa denſa, fibroſa, cuti valde adhaerente, intus fornicem ſuper pulmones primamque vertebram efficiente; ſuper huius apophyſi transuerſa ſiniſtra nux oſſea, magni piſi molem aequans, vertice aperta, oſſiculis variis, irregularibus, fragiliſſimis conſtans, prorſus vacua. Sterni, clauicularum, coſtae 1. et 2. nullum veſtigium; pulmones contextu celluloſo laxiore cum cute cohaerentes, bene conformati, ſed tracheae nullum veſtigium. Cordis ventriculi diſſecti lacertos valuulasque monſtrabant, et duo foramina ex eo continuabantur in canalem ex pectore in abdomen deſcendentem, ſed ramum nullum emittentem. Diaphragma nullum; inteſtina meconio repleta, conuoluta, laxo contextu celluloſo cum pulmonibus connexa; hepar, lien, oeſophagus, ventriculus, renes, vterus, deficiebant, ſed in vtroque latere tantum veſiculae contextus celluloſi, inflatione detegendae. Conſectaria ab Auctore noſtro hinc deducta tranſimus. Fetus alter brachia retrorſum articulata, ſternum depreſſum deficiente cartilagine enſiformi, nymphas et clitoridem itidem admodum magnas, hydrocephalum, et hepar maximae molis offerebat, et membranae pupillaris curatius inueſtigandae occaſionem largiebatur, cuius vero deſcriptionem hic repetere breuitas nos cohibet. Sub finem Cl. Auctor pollicis duplicis in manu ſiniſtra et duorum fetuum nouimeſtrium ſexus ſequioris, tota fere regione abdominis coalitorum, pectore et pube diſtinctis, funiculo vmbilicali communi, meminit, quod monſtrum integrum in muſeo regio academiae (Vilnenſis procul dubio) ſervatur.

Obſer-

Obſeruatio de calculo in cerebro bouis (ſani) reperto: diameter 1 poll. 4 lin. cortex fruſtatim dilapſus nucleum continebat, et conſtabat ex ſphaeris concentricis lamellatim conuolutis, aliis coloris crocei, aliis nigreſcentis, aliis ferruginei, friabilibus, odorem moſchi ſpirantibus, in ore detentis vnctuoſis, ſaliuam luteo colore tingentibus, maſticatis amaris rhei ad inſtar, ſaliuae affluxum cientibus; acidum nitri eas nigredine tinxit friabilioresque reddidit; aqua et ſpiritus vini, in puluerem antea redactas, perfecte ſoluit. Multum ſimilitudinis cum calculis biliariis; Cl. Auctor etiam originem huius calculi humori inſpiſſato ad indolem bilis accedenti tribuit. p. CXLII

Iam obſeruationes, ad quas ſub aduerſariorum nomine Cl. Auctor in praecedentibus ſaepe lectores ablegauerat, ſequuntur, nouem collectionibus morbos externos, febres, inflammationes, conuulſiones, dolores, fluxus, phantaſias, debilitates et cachexias complexae. Contuſio vulnusque capitis a delapſo lapide 15 librarum, ſymptomatibus grauibus ſubſequentibus; ex abſceſſibus pluribus inter cutim et pericranium enatis pus per poros cutis tranſudauit, apertura eorum non neceſſaria, et aegra perfecte conualeſcente; balſamum ſulphuris Rulandi proficuum, quo et in aliis capitis laeſionibus cum fracturis cum fructu vſus eſt Cl. Auctor (ſed nullibi, quod miramur, fotuum frigidorum mentio.) p. 1. Sexagenarius abſceſſu in regione iliaca poſt 4 annos confectus; tumor extus eminens, caput adulti aequans, apertus, multum puris et calculum pugni magnitudine continens, in cuius medio acus longitudine digiti; aeger poſt operationem mortuus. p. 13. Signa ſuppurationis in femore cum fluctuatione manifeſta in vaginis muſculorum, altero die prorſus diſcuſſa, aegro ſano. p. 17. Mulier 30 annorum poſt varios p. 20. tumo-

tumores digitorum tuſſi cum ſputis ſpiſſis, febre, ſudoribus, dein oedemate, tandem odontalgia cum tumore genae, dente extracto abſceſſu in palato, hocque aperto vlcere carcinomatico correpta, extracto cicutae et ptiſana xanthii ſtrumarii poſt duos menſes
p. 21. ſanata; in alio nobili Polono carcinoma linguae eodem temporis ſpatio diaeta tenui, extracto cicutae, ſudoriferis, tandemque lotione cum aqua Goulardia-
p. 22. na. Scrophuloſa vitia, ipſa adeo caries, pubertatis tempore ſola natura ſanantur, iuuanda, ſi opus fuerit, ptiſanis praeſertim ex foliis fraxini, radice ſcrophulariae et ſale Glauberi; cauteria et inciſiones no-
p. 26. cent. Herpetes plurimos ſanant repetita laxantia,
p. 335. decoctum glycyrrhizae et extracti eiuſdem applicatio ſuper herpetem (inferius etiam dulcamara laudatur): ſaepe origo eorum a ſuppreſſis menſtruis.
p. 29. Scabiem Grodnae plerumque curauit Auctor purgantibus ex ialapa, ptiſana xanthii et floribus ſulphuris, et ſub finem morbi, praemiſſa vna vel altera purgatione, vnguento ex ſulphure vel mercurio; eundem morbum, Iudaeis frequentiſſimum et nonnumquam leprae ſimilem, diuturno vſu ptiſanae radicis buxi et
p. 30. mixturae Swiet. Fiſtulae ani interdum ſola iniectione infuſi hyperici et compreſſione ſanatae. Lugdu-
p. 35. ni pannorum ſericeorum opifices vlceribus crurum laborant, difficillime, nec niſi relicto hoc vitae ge-
p. 56. nere, ſanabilibus. Enterocele cum ſcroto vſque ad genua deſcendente, cum haec Cl. Auctor ſcriberet, iam per 15 annos abſque magna moleſtia praeſens.
p. 59. Saltator ſaltando tantum ſtrepitum in articulatione pedum excitans, vt, licet 100 homines in cubiculo ſint cum 20 inſtrumentis ſonantibus, ſicut fractura
p. 61. aſſeris audiatur. Lithotomia peracta calculus non apparuit, neque conductore detegi potuit; morte proxima nocte ſubſequuta inuentus eſt fundus veſicae laceratus calculusque in abdomen delapſus.

Alius

Alius aeger 60 annorum robuſtus, 3. ab operatione hora conuulſus obiit, calculo non extrahendo, ſed forcipibus duobus ſub his moliminibus fractis.
Catarrhus pertinax ex abuſu mixturae Swiet. diaeta ſeuera lactea, balſamicis, equitatione curatus, excitata balſamicorum ope gonorrhoea. p. 102.
Sollemne Lithuanis remedium aduerſus quotidianam et tertianam poſt aliquot paroxyſmos epiſpaſticum in carpo ex pulſatilla patente aut ranunculo tuberoſo dicto (accuratius ſpecies non definitur) applicatum. p. 109.
Aliud aduerſus tertianam: paruum cochlear pulueris nicotianae in vino aut ſpiritu cereuiſiae infuſum et vna vice hauſtum, quo fortiter purgantur et ad ſanguinem vſque vomunt. p. 112.
Medici Iudaei in Polonia quartanas ſaepe cito et tuto arſenici gr. 1. in maxima copia potus mucilaginoſi vna die bibenda curant. p. 118.
Hiſtoria febris amphemerinae, qua Auctoris collega amiciſſimus HENZELMANN obiit: amicitiae documentum vtrique aeque honorificum (inferius eumdem rurſus cum honore nominat). p. 121. p. 357.
Sub finem obſeruationem de febribus addit, „ſe ad faſtidium cumulaſſe exempla earum, ſed firmo conſilio, ſerio „cogitantem, telam hanc contexuiſſe, vt vna vice „ſtatuta maneant doctrina naturae medicatricis, ve„ritas criſium, et quam paucа requirantur in his „morbis medicamenta.“ p. 137.
Inflammatio auris ſoli naturae commiſſa, poſt quatriduum ceſſante febre plane reſoluta. p. 141.
Acicula 2 poll. longa mammae infixa, poſt biennium demum facta inciſione extracta, aegrota poſt tres dies ſana reddita (quae tamen obſeruatio non ipſius Auctoris eſt). p. 143.
Inflammatio vteri venae ſectione hirudinumque applicatione ſanata. p. 159.
Pleuritis et peripneumonia ſaepius omiſſa ſanguinis miſſione ſanata (cuius plura exempla inferius adducuntur), accedente in plerisque 3. vel 4. die haemorrhagia narium. p. 359.
Abſceſſus pulmonum a peripneumonia ruptus, p. 164.

ruptus, tres magnos cyathos puris fundens, aegro tamen diaeta leniſſima farinacea et balſamicis minima
p. 173. doſi exhibitis plane reſtituto. Stranguria ab inflammatione colli veſicae in tribus aegris, venaeſectioni-
p. 187. bus ad animi deliquium extenſis, curata. Tuſſis in pleriſque morbis conamen naturae, qua pulmones concuſſione repetita expurgantur, hocque facto ſedatur; eadem paregoricis pacata, orthopnoeae ſ.
p. 190. ſuffocationis ſigna apparent. In cadauere ſexagenarii tuſſi et dolore pectoris affecti pulmones ſani, ſed lapides plurimi in diuaricatione bronchiorum, nucis auellanae magnitudine; hepar granuloſum, durum. Femina 40 annorum, ab octo annis tuſſi et quotidiana excretione multae materiae purulentae et ſaepe ſanguinis affecta, tamen in hac labe duos peperit infantes robuſtos (ſimile exemplum inferius).
p. 297. Diuerſus phthiſeos decurſus: in aliis omnes periodi ad mortem vſque ſpatio vnius menſis, in aliis a 20. ad 40. annum, vlceribus calloſis cauteriorum
p. 196. quaſi vices gerentibus. Epilepſiae vnius lateris exempla duo in mulieribus, in altera a verberibus
p. 197. mariti, in altera cauſſa non adducta. Conuulſionum muſculorum faciei duo exempla, alterum a lotionibus faciei puſtulis foedatae cum aqua Goulardi, alterum ab iniectione eiuſdem ad ſedandum profluuium materiae purulentae ex aure; prior aegrotus leniori-bus ſcintillis electricis prolectis paullum leuatus, alter cauterio, radice pyrethri maſticata, valerianae
p. 198. et arnicae interno vſu ſanatus. Infans 10 annorum conuulſionibus poſt pulpam farinaceam male coctam copioſius ingeſtam correptus, poſt trihorium venae ſectione adminiſtrata, dimidia hora poſt mortuus.
p. 201. Hyſteria in virgine 19 annorum ſpe deſiderati matrimonii fruſtrata; hirundinibus ad vuluam admotis ſenſus rediit, et rari poſtea leuesque paroxyſmi. In alia femina 30 annorum a magno motu non praeuiſo

per

per ſex hebdomadas poſt conuulſiones ſomnus profundus per 4 horas cum ſuſurro et loquela triſti, paſſim nouis conuulſionibus interruptus; ſi quis eo durante valde demiſſa voce ſuper regionem epigaſtrii loqueretur, aegra appoſite reſpondebat, ac ſi vigilaret; medici manum quaerebat et varias compreſſiones dirigebat, quae ipſam ſubleuabant, ſuoque nutu ſcrobiculum cordis premendo expergiſcebatur, acutiſſimi auditus ſigna per dimidiam a paroxyſmo horam praebens. Quaque die vnum vel alterum paroxyſmum experta. Sanatio ab hirudinibus, diaeta, mucilaginoſis, glacie. Inferius de ſede affectuum animi in regione epigaſtrica et de hyſtericis, praeſentiam ignotorum hominum aut bene aut male ferentibus: „Quicquid dicant increduli," pergit Cl. Auctor, „mirabiliora tactus, ſympathia gratorum „adſtantium, aut ſimplex compreſſio manu regionis „epigaſtricae, excitare poteſt. Hos effectus ſera „dies confirmabit, quando odia aduerſariorum erunt „pacata: ex vtraque parte vidi vltra citraque limites „veri progredientes. Scepticus ego, ſi quis vm„quam, medicus, pacata mente, depoſitis omnibus „praeiudiciis, ſedulo examinaui ſubiecta magnetiſmi „actioni ſubmiſſa. In diſpoſitis effectus varios ob„ſeruaui, conuulſiones, oppreſſiones, ſomnum, „ſomnambulismum. In hoc loquebantur aegrotae, „reſponſa dabant quaeſitis. Poſt varia omni modo „tentata, agnoſco in plerisque phaenomenis affe„ctum imaginationis; ſed vix credam hanc ſolam „omnia peragere poſſe, quae ſedulo verificaui." p. 254.

Rheumatiſmi chronici plures ſolo oleo lini ad 4 drachmas de die curati, vnde euacuationes lenes cum leuamine dolorum: plurimos tamen doloribus rheumaticis cum vel ſine febre vexatos ſola natura ſanatos vidit Cl. Auctor, probeque notandum monet, pleroſque ſub directione medicorum non citius ſanari, quam qui p. 206. p. 209.

qui tranquilli finem mali ſub regimine bonae naturae
p. 211. exſpectuerint. Rheumatiſmus vagus crurum in femina 27 annorum, per 6 hebdomadas fruſtra incidentibus et ſaponaceis tractatus, tandem eruptionibus rubris terminatus, quae poſt ſuppurationem in tumores pyramidales, cornu inſtar duros, baſi molliore, totum corpus ne facie quidem excepta occupantes, mutabantur: frictionibus mercurialibus tumores iſti ſeparabantur et vlcera ſuccedebant, protracta largiſſima ſaliuatione ſanata. Luis venereae nulla nec in femina nec eius marito ſuſpicio; infans, quem durante morbo vtero gerebat, ſanus natus; de reliquo femina haec vix vnica vice per hebdomadem mingit, nec ſpuit, nec ſudat, niſi in vola manus, ex qua perpetuo guttatim fluit aqua, qua ceſſante altero die dolores rheumatici; ſudor iſte per totum morbum antea deſcriptum ceſſauit. Vir
p. 222. 50 annorum intra duas hebdomadas 40 calculos magnitudinis piſi, luteos, glaberrimos, ponderoſos, cum atrocibus doloribus ex vrethra expulit. Sola energia naturae calculi auellanae et amygdali longitudine ex-
p. 225. creti. Cephalaea ſcrophuloſa, nimirum atrociſſimus ceruicis dolor, cui accedentibus conuulſionibus duo infantes fratres tandem ſuccubuerunt, ſanis omnibus viſceribus, praeter glandulas meſenterii nucis iuglandis magnitudine, cartilagineae duritiei, neque aliis ſignis vitii ſcrophuloſi in vita vel poſt mortem con-
p. 226. ſpicuis. „Inconcuſſum manet, omnes varietates po„dagrae morbum eſſe depuratorium, quo ſalutari „plurimi lethales euentus praeuertuntur — qui ar„canum contra podagram quaerit, fame, motu, aere „puro podagricorum mutare debet humores.“ Gra-
p. 227. uida ab aliquot menſibus haemorrhagiam vteri experta, excitato a doloribus vomitu bilioſo maſſam fibroſam fungoſam *exſcreuit* (ita typis impreſſum: errorem corrigere nobis non ſumimus) ſat ſimilem placen-

placentae alteratae, magnitudine pugni. Inflamma- p. 232.
tio vteri poſt 8 a partu dies lethalis ab orificio eius
tribus in locis ab ignara obſtetrice, dilatationem ip-
ſius moliente, lacerato. Foetor plurimarum Lithua- p. 238.
narum, etiam nobilium, ſi quoque non ſudent, ab
abuſu carnis et abſtinentia a motu corporis, pane,
oleribus. Phthiſis a ſuppreſſo per pediluuia ex aqua
cum multo alumine ſudore pedum vix 4 menſibus
elapſis feminam iugulans. Haemoptyſis inſignis in p. 239.
erudito 55 annorum doloribus hepatis obnoxio ſtu-
diisque nimis dedito, ter recurrens, intercalari tem-
pore ſputis purulentis copioſis, nitro et ptiſana ra-
dicis ſymphyti leuata. Sexagenaria, fecundiſſima p. 240.
mater, olim haemorrhoidibus ſubiecta, quinquies
per annum poſt tuſſin haemoptyſi afficitur, macra,
ſed ſatis bene valens: an ſuccedaneum euacuationis
ſanguineae olim conſuetae? Quadragenarius ab 18. p. 241.
aetatis anno quater vel quinquies quotannis ſangui-
nem ſaepe ad plures vncias tuſſi eiecit, haemorrhoi-
dibus accedentibus hac excretione liberatus. Hae- p. 242.
morrhoides Lithuanis frequentiſſimae, quouis menſe
cum leuamine recurrentes. Menſtrua in quadrien- p. 244.
nibus tribus vicibus vidit Cl. Auctor. Fluor albus p. 245.
largior conceptionem non impediens, neque ſanita-
ti fetus infeſtus. A ſiccatis vlceribus leucorrhoea p. 246.
inductis ſuppreſſoque hoc fluxu ope aquae ſaturni-
nae ſcirrhus vteri, rheumatiſmus, moroſitas immi-
nente fluxu menſtruo aucta. Gonorrhoea ex coitu
cum feminis leucorrhoicis contracta. Terrae cate-
chu ſpecificae quaſi aduerſus fluorem album vires.
Puluis foliorum euphorbiae cypariſſiae a gr. 10 ad p. 252.
40 cum mucilagine aut ſyrupo mixtus ialapae ad in-
ſtar lene purgans; mitior euph. helioſcopia. Tae-
nia interdum ſponte euacuata; bis interno vſu olei
lini fuligine tenui caminorum ſaturati; in aliis pul-
vere rad. filicis, ſumtis poſtea in vno ſcammoneo, in
aliis

aliis ialapae granis 60 oleique lini plurimis cochlea-
p. 256. ribus. Delirium ab inanitione poſt pleuritidem, nu-
p. 257. tritione appropriata curatum. Morſus viperae in duobus rabioſis iuſſu adminiſtratorum noſocomii Lugdunenſis 1786. tentatus hydrophobiam quidem ſuſtulit, ſed paucis elapſis horis conuulſi mortui ſunt,
p. 258. etiam deglutita magna doſi alkali, *eau de Luce*. Ma-
p. 259. nia frequens monialium a fruſtrato coitu. Sponte
p. 266. ſanata mania poſt 1, 3, 5, 10 annos. Apoplexia lactea, irritis conſuetis auxiliis per reuocata lochia et lac ope cucurbitarum ſiccarum ſuper mammas et prope vuluam applicatarum curata, viribus mentis tar-
p. 278. diſſime redeuntibus. Abuſus fumi nicotianae Polonis adeo familiaris, vnde Cl. Auctor in tribus ſubiectis dolorem in regione lienis cum ponderis ſenſu, tuſſim ſiccam abſque ſputo, et reſpirationem difficilem
p. 279. animaduertit. In obſtructionibus recentibus viſcerum abdominis pilulae ex foliis chelidonii maioris cum mu-
p. 287. cilagine eximii vſus. Iuuenis poſt diuturnum moerorem tumore hypochondrii dextri et ſubſequente ictero correptus, vomitoriis purgantibusque morbum peiorem reddentibus, tandem ad 100 vſque hydatides auellanae magnitudine lympham continentes
p. 293. ſurſum deorſumque eiecit et conualuit. Plica polonica pondere 4 librarum a ſola immunditie, nullis ſymptomatibus praeſentibus, quum alias frequentiſſime ſimul adſint dolores rheumatici abſque incom-
p. 302. modo reſecta: rarior iam in Polonia morbus. Aeger 18 annorum, per biennium phthiſi ab haemoptyſi laborans mortem 5 ante eam horis praeſagiens.
p. 303. Phthiſis in puellis a maſturbatione, „quae turpiſſi-
„ma conſuetudo frequentior in puellis etiam iunio-
p. 306. „ribus, quam vulgo creditur.“ Lues venerea ſimplex in noſocomio Grodnenſi et vrbe frequentiſſime ſanata decocto xanthii et pilulis ex panacea mercuriali, gummi ceraſorum et puluere glycyrrhizae,

plus

plus minusue ad ſaliuationem protracto earum vſu. Herpes poſt illius curationem, mercurio ſublimato non cedens, ſolo externo ſucci glycyrrhizae vſu profligatus. Caries venerea, mixtura Swiet. curata; in alio idem vitium oſſium frontis et parietalium. Lepra cum incremento monſtroſo vnguium ad molem vſque oui columbini, corpore de reliquo vegeto, antipſoricis, ſulphure cet. incaſſum adhibitis, eadem mixtura poſt duos menſes integre ſanata. p. 308. p. 309.

Annus medicus, ſ. ſeries aegrorum in noſocomio Lugdunenſi 1785. tractatorum, eique ſubiunctae annotationes. p. 310. p. 323.

Epiſtola nuncupatoria ad Cl. VITET de praeſtantia doctrinae Haenianae Hippocraticae, ſeu de natura medicatrice, d. d. 10. Ian. 1784. iam cum inſtitutionibus pathologicis HAENII, ab Auctore noſtro editis, typis mandata, hic paullo correctior recuſa. Iuſtum pretium meritis b. HAENII adſignatur: reliqua ex iis, quae iam cum lectoribus noſtris communicauimus, cognita. p. 337.

Reformatio medica, forma epiſtolari ad Illuſt. TISSOT directa, gallico ſermone ſcripta. Medici noſocomiis praefecti ſcholas clinicas in ipſis aperiant, diſcipulis ibidem habitantibus et nutritis: ibi anatome, tantum ad chirurgiam neceſſaria, in cadaueribus, terminis gallicis, non graecis; vera hiſtoria functionum ſiue phaenomenorum vitae, ſolis experientiis innixa, abſque ſyſtemate ac theoria arbitraria; cognitio medicamentorum ex pharmacia et horto noſocomii; cognitio morborum ad lectulos aegrotantium, itidem excluſis nominibus graecis; dein ſyſtematicus eorum ordo, ſecundum SAUVAGESIUM vel quemcumque alium, doceatur, habita praeſertim ratione eorum, qui ſponte ſanantur: alumnos autem iſtarum ſcholarum prius ad minimum 6 annos in acade- p. 365.

demia verſatos oportet. In noſocomio ad minimum per idem tempus commorentur, medicinae externae et internae faciendae aſſuefaciendi; noſocomium non niſi 200 aegrotos capiat in 4 aedificia a ſe inuicem ſeparata diſtributos, quouis conclaui nonniſi 25 aegrotos continente, ſub directione duorum medicorum, vnius chirurgi et vnius pharmacopoei, 10 ad 12 alumnis. Conſilium Cel. TISSOT *) de reformandis academiis Galliae laudatur, totique regno tres vel quatuor ſufficere monſtratur: optatur tamen conſtitutio cathedrae profeſſoris logicae medicae, coniunctae cum hiſtoria critica medicinae; profeſſores omnes a ſocietate medica Pariſienſi eligantur, quae ſeruanda eſt, collegiis medicorum in quauis vrbe maiori regni eidem adiunctis, quibuſcum commercium alat.

## V.

*Ueber die neuern Gegenſtände der Chymie, vorzüglich das ohnlängſt entdeckte Halbmetall* Vranium. *Von* I. B. RICHTER, *d. W. W. D. Breßlau und Hirſchberg*, 1791. *bey Johann Friedrich Korn, dem Aeltern.* 8. *pagg.* 96.

i. e.

De rebus chemicis recentiori aetate tractatis, inprimis de ſemimetallo nuper reperto, quod *vranium* dicitur, obſeruationes atque experimenta. Auctore I. B. RICHTER.

Libel-

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXVII. p. 426. ſeqq.

Libellus non tam eo consilio conscriptus est, vt noua prorsus atque inaudita doceantur, sed vt variae substantiae recentioribus detectae examini subiiciantur accuratiori. Inprimis auctor operam dedit, vt analysin huius illiusue corporis meliorem, h. e. breuiorem, commodiorem minorumque sumtuum, reperiret. Cumque spem foueat, fore, vt ea chemiae pars, quae affinitates proportionesque elementorum complectitur, olim inter partes matheseos applicatae referatur, hic illic calculum adhibuit, maxime illic, vbi hypotheses falso assumtae systematis chemici certitudinem peruertere viderentur. — In affinitatibus duplicibus definiendis passim copiosus fuit: cum enim dissolutiones, in quibus quatuor principia adsunt, omnes vulgo ab vna causa repetantur, perque affinitatem duplicem fieri dicantur, noster arbitratur, magnum numerum harum dissolutionum affinitatis duplicis legibus neutiquam subiectum esse, ceterasque non secundum vnam eandemque legem absolui.

*Vranium.* Constat KLAPROTHVM, chemicum Berolinensem longe clarissimum, nuper in pseudogalena picea (*Pechblende*, minera argenti zincosa WALLER.) et mica viridi (*grüner Glimmer*) a b. BERGMANNO pro cupro salito habita *) nouum metallum reperisse, quod nomine a nouo planeta desumto *vraniten* vocauit: melius et analogiae accommodatius *vranium* dixeris. Noster ad sua experimenta pseudogalenam piceam, veram vranii mineram, adhibuit. Primum docet, quomodo vranium e minera sua purum extricari possit. Minera aqua forti generosa aut acido vitriolico dupla aquae quantitate diluto inter ebulliendum soluitur. Solutioni percolatae sal alcalinus aqua solutus tamdiu adfunditur, donec p. 1-23.

prae-

*) Sciagraphia regni mineralis §. 191.

praecipitatum conſpicuum fiat, quod, dum liquidum agitatur, non denuo euaneſcat. Tum ſolutio tartari tartariſati adfunditur, vsque dum miſtura non amplius turbetur. Vbi praecipitatum in vaſis fundum deſedit, lixiuium ſalinum limpidum decantatur, ſedimentumque pauca aqua tamdiu lauatur, donec aqua alcali phlogiſticato addito nihil amplius coloris in caeruleum vergentis demittat. Poſt ſedimentum citrinum ſiccatur. Lixiuium limpidum modo dictum cum loturis commiſcetur atque tum euaporare cogitur: ſic aliquid obtinetur eiusdem pulueris citrini. Puluis hic citrinus tam euaporatione quam praecipitatione paratus igne primum forti exuritur, poſtque cum aequali portione ſanguinis bubuli ſiccati in crucibulum ingeritur, ſic vt totum fere crucibulum repleatur. Miſtura puluere carbonum obtegitur, tumque igne iam ab initio forti, quem follis intendat, funditur. Vbi circiter vnam horam liquida manſit, crucibulum paullatim refrigeratur. Eo diffracto, metallum reperitur, colorem ſi ſpectes, regulo cobalti ſimile, fragile, ac ſcoria fuſca obtectum, quae humiditatem aëris atmoſphaerici imbibit. Cum minera vranii raro omni ferro careat, ferrum autem acidis mineralibus ſoluatur, mirum non eſt, huius minerae ſolutiones fere ſemper ferrum tenere. Ideo praecipitata ex his ſolutionibus per alcalia excuſſa plus minusue coloris ſunt fuſce flaui, prout plus minusue ferri in iis latuit. E contrario terra vranii pura coloris eſt citrini aut crocei. — Quae ſit huius proceſſus ratio, auctor accurate docet, cautelasque ad felicem eius exitum neceſſarias diligenter enarrat. — Regulus vranii ſemimetallorum leuiſſimus eſt, adeoque inter metalla minimum pondus ſpecificum habet: bilance hydroſtatica exploratus aquam pondere ſuo vix ſexies ſuperat. Admodum difficulter funditur. — Terra martialis vranio admiſta ob

ſtat

ſtat, quo minus vranium metalliſari liquarique poſſit. Ideo ante omnia opera danda eſt, vt omne inquinamentum martiale diligenter amoueatur. Quod qua ratione commode fieri poſſit, oſtenditur. — Sequitur phaenomenorum expoſitio a variis proportionibus dependentium, ſecundum quas phlogiſton cum terra vranii copulatum eſt. Obiter hic quaeritur, an corporum colores a phlogiſti proportione vnice pendeant, quod experimentorum auctoritate negatur: contra ea aſſeritur, colorum cauſam non in ſolo phlogiſto, ſed etiam in elementorum, e quibus corpora conſtant, mixtione contineri. — Poſtremo oſtenditur, quomodo ſe vranium erga acida et alcalia naphthasque et hydrargyrum habeat. Adhibuit noſter acida nitroſum, regulinum, muriaticum, vitriolicum, fluoris mineralis, acetoſum, ligni, formicarum, phoſphori, pinguedinis, gallarum, tartareum, citreorum, ſacchari, malorum, ſuccini, benzois, boracis, arſenici, molybdaenae, lapidis ponderoſi. Amalgamationem nouum metallum reſpuit. Cum naphthis perinde, vt aurum ferrumque, ſeſe habet.

*Platini a ferro ſeparatio.* Platinum impurum aqua regia ebulliendo ſoluitur, liquor, ſi turbidus eſt, clarificatur, atque ſolutio alcali fixi vegetabilis tamdiu adfunditur, donec praecipitatum conſpicuum fiat. Tum aqua tartaro vitriolato ſaturata paullatim admiſcetur, vsque dum nihil pulueris rubri amplius decidat. Liquor ſedimento ſupernatans decantatur, ſedimentumque aquae perexigua copiola toties lauatur, donec loturae gutta, guttae ſolutionis alcali phlogiſticati remixta colorem caeruleum non ampljus contrahat. Lixiuia tum ſalina confunduntur, coguntur-que euaporare, qua re fit, vt aliquid eiusdem illius pulueris rubri obtineatur. Iam omne praecipitatum exſiccatur, cum ſeſcuplo alcali mineralis pondere p. 23— 31.

commiſcetur, miſtura in crucibulum ingeritur comprimiturque, ſic vt non totum crucibulum plenum fiat, maſſae ſuperficies alcali mineralis exigua quantitate contegitur, tandemque crucibulo teſta tegendo ignis adplicatur paullatim augendus, donec tota maſſa liqueſcat. Vbi ignis deſiit, crucibulumque refrigeratum eſt, ſcoria ſalina in eo oblata aqua elixatur, quo facto, in vaſis fundo platinum facie metallica tinctuque argenteo puriſſimo conſpicuum fit. — Proceſſus aetiologia. De platino vitriolato. Parum ſolubile eſt: in cryſtallos coit perexiguas, admodum ponderoſas, rubras, pellucidas: fere vt nitrum detonat, id quod ipſi cum pluribus ſalibus perparum aquae cryſtalliſationis tenentibus, v. c. tartaro vitriolato, commune eſt. — Platinum ſecundum noſtri methodum purgatum admodum malleabile eſt, hydrargyro facile nubit, aqua regia ſine vlla digeſtione, interdum bullulis exiſtentibus, celeriusque atque, vt videtur, maiori copia, quam impurum ſolvitur. — Acidum phosphoreum cum platino per affinitatem duplicem copulatur, ſicque ſalem generat in aqua difficilius ſolubilem platino vitriolato. Platinum phoſphoratum coloris eſt dilute flaui. — Denique notandum eſt, ſi platinum omni careat ferro, facilius liquari poſſe videri.

p. 32— 33. *Magneſii a ferro ſeparatio.* Solutio magneſiae nigrae vitriolata eaque admodum ſaturata cum ſolutione tartari tartariſati commiſcetur, miſturaque in locum calidum reponitur. Aliquot minutis elapſis aut citius, ſiquidem ambae ſolutiones admodum ſunt concentratae, miſtura turbatur, albumque demittit praecipitatum, eadem fere ratione creſcens, qua ratione liquor euaporat. Vbi liquoris tantum euaporando conſumtum eſt, vt tartarus vitriolatus cryſtalliſari incipiat, liquor limpidus a ſedimento decantatur, ſedimentumque repetitis vicibus aqua non nimia

mia eluitur. Liquor decantatus cum loturis confunditur, tumque aut magneſiae nigrae ſolutioni aut tartaro tartariſato remiſcetur, ſi forte euaporando plus ſedimenti illius exhibeat. Totum ſedimentum probe elotum (nihil aliud eſt, quam terra magneſii acido tartareo vnita) exuritur, poſtque proceſſu conſueto aut in formam metallicam redigitur, aut acido ſoluitur et alcali colore imbutum niueo praecipitatur. — Theoria huius proceſſus. — Magneſium ſic tractatum nihil prorſus ferri tenet. Solutiones eius acidae, alcali phlogiſticato admixto, praecipitata colore niueo demittunt: e contrario huiusmodi praecipitata magneſii vulgaris tinctum habent impurum inque caeruleum nonnihil tendentem, quem tinctum apparet a martiali inquinamento magneſii repetendum eſſe.

*Purificatio cobalti ab admixto wismutho ferroque.* p. 33—35. Cobaltum praeter materias mineraliſantes fere aliis metallis iunctum eſt, Saxonicum quidem ſaepe wismutho, Suecicum plerumque multo ferro. Quod ſi cobalti minera wismuthum fouens aqua forti ſoluitur ac clarificatur, wismuthum menſtruum ſimul ſubit. Solutionem hanc ſi multa aqua diluas, maxima pars wismuthi albo tincta colore praecipitatur, non contemnenda tamen eius portio in ſolutione remanet. Huius ſeparandae ergo ſalis alcalini aliquid guttatim admiſceatur, mixturaque, dum ſingulae guttae adfunduntur, probe agitetur. Sic reliqua wismuthi portio ſecedit. Admiſtio ſalis alcalini miſturaeque agitatio continuandae ſunt, donec appareat, praecipitatum album in caeruleum vergere colorem. Tunc enim miſtura quieta ſeruatur, vt liquor clarus fiat. Is tum decantatur ſalibusque alcalinis praecipitatur. Quod decidit colore imbutum caeruleo, terra cobalti pura eſt. Sin cobaltum ferro iunctum eſt, pariter aqua fortis generoſior adhi-

betur, quae nihil non cobalti, ſed ferri parum ſuſcipit, ferrumque maxima ex parte tantummodo in calcem corrodit. Ad ferri portiunculam ſimul ſolutam ſeparandam ſolutio percolata alcali praecipitatur. Si cobalto magna copia ferri admiſta eſt, praecipitatum fuſcum, ſi exigua, flauum apparet, denique ſi admodum pauca, in caeruleum iam vergit colorem. Haec praecipitata dum adhuc hument, aceto crudo perfunduntur, quod terram cobalti libentius quam martialem ſuſcipit, hancque ſub forma pulueris leuis atro - virideſcentis maximam partem intactam relinquit: aliqua tamen eius pars ſimul acetum ſubit, quapropter liquor a ſedimento decantatur, alcalique turbatur; quod ſi praecipitatum ſic obtentum non pure caeruleum aut violaceum eſt, denuo aceto crudo ſolui, colari praecipitarique debet, vt inquinamentum martiale amoueatur. — Terra cobalti pura acido pinguedinis ſoluta atramentum exhibet ſympatheticum coloris caerulei, nonnihil in viridem vergentis, quod cetera omnia huiusmodi atramenta pulchritudine antecellit. Praeter acidum muriaticum, acetoſum pinguedinisque nulla alia acida cum cobalto atramenta ſympathetica generant, id quod noſtrum experimenta cum omnibus acidis hoc conſilio capta docuerunt: acida tamen camphorae et baccarum ribes rubri non tentauit.

p. 35—45. *Methodus facilis nec ſumtuoſa acidum arſenici ſummа puritate parandi.* Methodi huius acidi parandi hucusque propoſitae ideo noſtro parum placent, quod aut acidum prodit non ſatis dephlogiſticatum, aut ratio eius obtinendi partim nimis incommoda, partim ſumtuoſa eſt. Noſtri methodus haec eſt. Arſenici albi pulueratи nitrique depurati contriti aequales portiones accurate commiſcentur, atque e vaſe retorto, cui excipulum amplum aquam puram, quae pondere circiter quartam illius miſturae partem aequet,

quet, continens diligenter adglutinatum eſt, igne paullatim auctо deſtillantur. Tranſeunt in excipulum vapores acidi nitroſi admodum rubicundi, qui vbi aquam excipuli contingunt, aquam fortem caeruleam notiſſimam generant. Vbi fundus catini vnam horam, aut, prout magna maſſae copia retortae indita fuit, diutius ignitionem paſſus eſt, ignis exſtinguitur: retorta refrigerata paullulum agitatur, quam inter agitationem ſtratum albidum laxum a reliqua maſſa formam retortae nacta ſecedit. Hoc ſtratum conſtat ex vno arſenico, quod nitri quidem ratione ſuperfluum, tamen ad finem obtinendum vtile fuit; ſi libra arſenici adhibita fuit, circiter ſeptem ſemiunciarum eſt. Hoc ſtratum primum e retorta eximitur, quod facile fit, cum admodum ſit fragile. Maſſa ſalina reliqua aqua ſoluitur, ſic vt retorta fere integra maneat. Hac in ſolutione euaporatio ac refrigeratio ſalem medium arſenicalem notiſſimum producit. Solutioni huius ſalis clarificatae ſolutio limpida ſacchari ſaturni paullatim adfunditur, quamdiu inter adfundendum praecipitatum album cernitur. Tum miſtura quieta ſeruatur, puluere albo in fundum vaſis delabente. Liquor limpidus poſt decantatur, ſedimentumque, vt lixiuium ſalinum mox ſecedat, magna quantitate aquae aliquoties eluitur. Sedimento eloto, quod lactis ſpiſſi faciem gerit, quoniam puluis albus tardius delabitur, olei vitrioli boni, quod circiter tertiam partem ſacchari ſaturni adhibiti pondere aequet, aequali portione aquae dilutum adfunditur. Vbi miſtura probe verſata eſt, protinus puluis albus citius decidit: quod ſi antea dimidiam vaſis partem repleuit, iam vix ſextam occupat. Poſtquam miſtura aliquot per horas in loco calido ſtetit, ſaepiusque penna agitata fuit, aliquot amplius horas quieta ſeruatur, poſtque liquor ſedimento albo ponderoſo ſupernatans repetitis vicibus per chartam

bibulam transcolatur, vsque dum limpidus transeat: si forte charta bibula corrodatur, liquori, priusquam filtratur, aliquid aquae addendum est. Omnis liquor limpidus iam in testa euaporatoria eousque euaporare cogitur *), donec appareat, sine calore aquae ebullientis nihil amplius liquoris euaporare. Quod tum in vase remansit, plerumque nonnihil spissum subfuscumque est. Id tum phialae ingeritur, sic vt dimidia tantum pars huius vasis repleatur: quodque testae euaporatoriae firmius adhaesit, pauca aqua potest elui. Haec phiala in crucibulo ita collocatur, vt phialae fundus vndique arena contegatur, collumque super crucibulo fere totum emineat. Iam crucibulum furno anemio immittitur, et, quemadmodum in sublimatione reguli arsenici, cauetur, ne ignis collum phialae immediate feriat; id quod tegulis lutisque potest praestari, quae prunarum ignem a phialae collo defendant. Quo facto, crucibulum igne circumdatur modico, paullatim augendo: postremo crucibulum prunis vndique adeo circumdatur, vt totum percandescat. Ignem exstinguendum esse, optime noscitur, si massa in phiala tota excandefacta apparet: quod vt possit in oculos incurrere, iam in apparatu struendo opera diligenter danda est. Crucibulo prorsus refrigerato, phiala ex arena caute eximitur, abstergitur, charta sextupla inuoluitur, instrumentoque caute diffringitur. Sic obtinetur acidum arsenici e fragmentis constans duris, albis, bene liquatis, quae protinus lagenae epistomio vitreo probe aptato instructae ingerenda sunt, cum aëre in libero breui liquescant. Testae vitri, quibus acidum tenacius adhaeret, aquae destillatae immittuntur, qua acidum

*) Si inter euaporandum sedimentum apparet, liquor aut caute decantandus, aut percolandus est.

acidum mox ſoluitur, eaque ratione haud contemnenda pars acidi liquidi lucri fit. — Aetiologia huius proceſſus, ratioque cautelarum in eo neceſſariarum. Signa puritatis arſenicalis acidi hac via obtenti. De aliis modis acidum arſenici parandi. Argumenta, quae doceant, hoc acidum peculiaris eſſe indolis, nec alii acido ſuas proprietates acidas debere. — Mirum in acidi arſenicalis eductione accidit, plus acidi, pondus ſi ſpectes, obtineri, quam quod arſenici adhibitum fuit, etſi arſenico phlogiſton ablatum eſt, quod ſane pondere non caret. Perinde ſe res cum acido phosphoreo habet. Suſpicatur auctor, ignem elementarem, quem in acido puro tam arſenici quam phoſphori acidisque nonnullis aliis ineſſe non dubitat, etſi pondus eius in ſenſus non cadat, tamen vim illorum corporum centripetam adaugere.

*Eductio acidi lapidis ponderoſi* (*Tungſtein*, non, vt noſter ſcribit, *Tunkſtein*) *e ſpuma lupi.* Duae partes ſpumae lupi puluerатae cum ſeptem partibus nitri quantum fieri poteſt depurati probe conteruntur, crucibuloque ingeruntur, ſic vt tertia tantum vaſis pars repleatur. Tum crucibulum teſta contegitur, maſſaque igne paullatim augendo liquatur. Vbi probe candefacta eſt ac quiete fluit, in laminam cupream aut laterem ſebo oblitum effunditur. Maſſa refrigerata fragilisque coloris fuſci protinus puluerатur inque ſextuplum aquae purae ingeritur, quod dum fit, colores chamaeleontis mineralis interdum apparent. Mixtura aliquot per horas in loco calido ſeruatur, ſaepiusque verſatur poſtque colatur. Lixiuio, ſalino limpido percolato acidum vitrioli dilutum paullatim admiſcetur, donec praecipitatum album apparere deſinat. Quod vbi delapſum eſt, liquor aquae inſtar limpidus ſupernatans decantatur, reſiduum in filtrum effunditur, ſique nihil amplius transſtillat, maſſa pultacea alba in filtro relicta paucae aquae identidem remiſcetur, p. 45— 49.

ſemper in idem filtrum ingeritur, vt lotura depluat. Maſſa tali modo edulcorata tum ſiccatur. Eſt acidum purum lapidis ponderoſi. — Ratio huius proceſſus, cautelaeque in eo neceſſariae. — Si acidum metallicum ſic obtentum reducere placet, cum aequali portione ſanguinis bubuli ſiccati accurate commiſceatur, miſturaque in crucibulo nonnihil igniatur. Puluis atrofuſcus ſic paratus in crucibula exigua ingeratur, ſic vt fere tota repleantur, probeque comprimatur. Iam omnia agantur, quemadmodum in reductione terrae vranii. Maxime curandum eſt, vt fundum crucibuli ignis probe feriat, alioquin pars metalliſata ibi non colliquatur. Additio ſalium alcalinorum aut nitri in reductione acidi huius non modo ſuperuacanea, ſed etiam perniciosa eſt, quandoquidem alcalia cum hocce acido ſalem neutralem gignunt, vnde acidum ſolo phlogiſto aut prorſus non, aut ſaltem difficillime elici poteſt.

p. 49— 54. *Acidum molybdaenae.* Molybdaena in retorta tubulata ampla triplo aquae fortis generoſae perfunditur, miſturaque, excipulo ampliori adglutinato, ad ſiccitatem vsque deſtillatur *). Is labor cum aqua forti recenti toties repetitur, donec maſſa in retorta reſidua penitus alba fiat. Iam ſpiritus vini rectificatiſſimi circiter triplum (molybdaena adhibita poſita = 1) in retortam infunditur, retorta in loco calido locatur, ſaepius agitatur, materiaque, ſi ſponte ſua in fruſtula non dilabitur, bacillo vitreo caute diffrin-

*) Si aquam fortem recuperare non placet, quae ſane poſt illam deſtillationem vix quidquam valet, labor etiam in phiala aperta inſtitui poteſt, id quod longe eſt commodius, dummodo laboratorium ita comparatum ſit, vt aër nitroſus euaporando abiens laborantis pulmonibus nocere nequeat.

fringitur. Tum quidquid in retorta eſt, in vitrum conſeruale effunditur. Ibi breui temporis ſpatio ſedimentum album apparet, vinique ſpiritus ſupernatans pulchre caeruleus limpidusque cernitur, qui tum decantatur. Reſiduum album, quod aëre in libero, imo interdum in ipſo iam ſpiritu caeruleum colorem facile contrahit, aliquoties pauco vini ſpiritu eluitur, tandemque in platina vitrea balneo arenae exſiccatur. — Molybdaena pura ſecundum noſtri tentamina ex acido metallico peculiaris naturae ac phlogiſto puro conſtat, nihilque prorſus ſulphuris continet. De molybdaenae ſynthesi a SCHEELIO tentata. Negat auctor, ſic veram molybdaenam a SCHEELIO productam fuiſſe. — Theoria methodi, qua noſter acidum e molybdaena elicit. — Acidum molybdaenae maxime per affinitatem duplicem cum terris alcalinis metallicisque connubium contrahit, ſalesque generat medios parum ſolubiles. Facilius alcalia cum hoc acido ad ſaturationem vsque coniunguntur, vnde oriuntur ſales in aëre perſiſtentes atque cryſtalliſabiles. Inprimis alcali fixum minerale hoc nomine notandum eſt, quippe quod cum hoc acido cryſtallos pulchras, etſi exiguas, generat. Alcali vegetabile molybdaenatum aquam paullo difficilius ſubit. Alcalia ab omnibus acidis mineralibus validius, quam a molybdaenae acido, appetuntur. — Gradus phlogiſticationis acidi molybdaenae ſi per colores exprimere placeat, hac ſerie adſcendente progrediuntur: color albus, dilute caeruleus, obſcure caeruleus, fuſce ſubruber, metallicus.

*Methodus acidum phosphoreum magna copia parandi.* Quatuor partes oſſium ad albedinem exuſtorum in puluerem ſubtiliſſimum rediguntur, tribusque cum partibus olei vitrioli ingeruntur, quod ſeſe ad aquam, niſi vt 17 : 8, ſaltem vt 2 : 1 habet, ac duplo aquae, priusquam puluis ingereretur, dilutum p. 54— 58.

lutum fuit. Miſtio in phiala ſat ampla inſtituenda eſt, miſturaque cylindro vitreo diligenter verſanda. Aliquot minutis elapſis plus aquae adfunditur, donec maſſa pultem tenuem referat. Tum phiala furni vulgaris calori viginti quatuor horas exponitur, identidemque verſatur. Poſt maſſa pultacea in linteum ingeritur, comprimiturque, vt liquor per linteum tranſeat. Terra in linteo relicta denuo cum aqua in pultem tenuem ſubigitur, rurſusque in linteo comprimitur. Liquor omnis turbidus, qui per linteum tranſiit, clarificatur, tumque euaporando inſpiſſatur, donec paullulum eius dentes admodum obtundat; quam inter inſpiſſationem magna vis ſelenitae ſecedit, decantatione ac percolatione liquoris ſeparanda. Liquor percolatus iam alcali volatili nonnihil ſuperſaturatur, terra in vaſis fundum delapſa ſeparatur, liquor limpidus ad ſiccitatem vsque euaporare cogitur, ſalque ſic obtentus crucibulo bene vſto ingeritur, ſic vt tertia tantum pars vaſis plena fiat, atque igne paullatim ad ignitionem vsque augendo tamdiu funditur, donec materia percandeſcat. Tum materia in laminam calefactam effunditur, refrigerata in fruſta diffringitur, inque lagena epiſtomio vitreo arcte obturata ſeruatur, ne aëris humiditate, quam admodum concupiſcit, liqueſcat. — Facile intelligitur, hanc rationem acidi phoſphorei parandi cum Niclaſiana admodum concordare. Aliquod tamen diſcrimen, idque magni ſane momenti, inter has methodos intercedit. Nempe clar. NICLAS rationem olei vitrioli ad oſſa = 1 : 2 commendauit. Sed tum non omne acidum phosphoreum in oſſibus absconditum elici poſſe, noſter recte contendit, tum experientiae, tum calculis innitens. — De acido phoſphoreo ex vrina per ſaccharum ſaturni extricando. Cur MARGGRAFIVS plus phoſphori nactus ſit, cum vrinae ad mellis conſiſtentiam decoctae

plum-

plumbum corneum adiunxiſſet: nempe ſic plumbum phoſphoratum natum eſt, vnde phlogiſti interventu phoſphorus elici potuit.

*Methodus facilis acidum citrinum ſumma puritate parandi.* Succus citri alcali fixo vegetabili ſaturatur. Liquori percolato ſolutio limpida ſacchari ſaturni paulatim adfunditur, donec praecipitatum album comparere deſinat. Ob id, quod mox dicetur, notandum eſt, certam ac pondere definitam ſacchari ſaturni quantitatem aqua ſoluendam ſolutionemque percolatam ponderandam eſſe, vt ex huius ſolutionis reſiduo per regulam trium terminorum portio ſacchari ſaturni ad decompoſitionem alcali citrati inſumta colligi poſſit. Vbi ſedimentum album a lixiuio ſupernatante (terra foliata tartari) ſeparatum multaque aqua elotum eſt, cum acido vitriolico diluto digeritur. Quantum huius acidi adhibendum ſit, hac ratione definitur. Semiuncia ſacchari ſaturni aqua ſoluitur, duae drachmae olei vitrioli vncia vna aquae diluitur, hocque acidum iſti ſolutioni guttatim tamdiu admiſcetur, donec non amplius turbida fiat: iam ex reſiduo acidi diluti colligitur, quantum olei vitrioli ad decompoſitionem certae adeoque ad noſtrum proceſſum adhibitae portionis ſacchari ſaturni requiratur. Poſtquam praecipitatum, quod diximus, cum acido vitriolico aliquamdiu digeſtum ſaepiusque verſatum fuit, liquor clarus decantatur, aliquotque eius guttae cum ſolutione terrae ponderoſae nitroſa commiſcentur. Quod ſi nihil praecipitatur, acidum citrinum vitriolico non eſt inquinatum: ſin, ſolutio nitroſa terrae ponderoſae acido citrino guttatim tamdiu adfunditur, donec nihil amplius praecipitetur. Tum ſpatum ponderoſum ſeparatur, acidum ad ſucci vsque conſiſtentiam euaporando inſpiſſatur, aliquotque guttae acidi nitroſi diluti admiſcentur. Iam acidum in locum parum calidum ad cryſtalliſationem reponi-

p. 59—62.

tur.

tur. Calor ſolis modicus ad id optimus eſt. Paucis diebus elapſis, cryſtalli in liquore apparent, cryſtallis acidi tartarei magnitudine ac pulchritudine nihil cedentes. — Theoria huius proceſſus. — Acidum citrinum hoc modo paratum puriſſimum eſt. In acidum ſaccharinum nunquam mutatur. — Cum alcalibus fixis acidum citrinum cryſtallos generat, non item cum volatili. Alcali minerale citratum cryſtallos exhibet quartam partem pollicis longas, tenues, aquae inſtar limpidas, multum aquae fouentes, ſed in aëre mox pelluciditatem perdentes atque fatiſcentes. — Eadem ratione, qua acidum obtinetur citrinum, etiam ſaccharinum e ſale acetoſellae elici poteſt.

p. 62—67. *Theoria atramenti nigri.* Gallarum puluis cum quadruplo circiter quintuploue aquae pondere probe coquitur, decoctumque per linteum exprimitur, atque filtratur. Liquori limpido colato, qui cum quauis ſolutione ferri ſaturata colorem nigrum contrahit, ſolutio alcali vegetabilis tamdiu guttatim admiſcetur, quamdiu praecipitatum albide fuſcum conſpicuum fit. Tum miſtura in linteum effunditur, ſique nihil fluidi amplius per linteum tranſit, linteum caute comprimitur, vt maſſa ſpiſſa, quoad eius fieri poteſt, ſola in linteo remaneat. Quod in linteo relictum eſt, aliquoties cum pauca aqua commiſcetur, rurſusque comprimitur, poſtque ſiccatur aëre in libero, vbi reſinae formam adipiſcitur. Dicatur *magiſterium gallarum.* Liquor, qui per linteum primo tranſiit, non cum reſidui loturis, quas abiicere licet, confunditur, ſed ſolus per chartam bibulam colatur. Lixiuio ſalino limpido percolato ſacchari ſaturni ſolutio guttatim admiſcetur, quamdiu paecipitatum albofuſcum apparet, quod probe notandum eſt non ſtatim in vaſis fundum ſubſidere. Hoc praecipitatum, vt labor minus taedioſus ſit, ſtatim initio multa

aqua

aqua edulcoratur, poſtque liquor quietus ſeruatur, vt praecipitatum, quantum fieri poteſt, in vaſis fundum decidat; quod cum in aqua facile poſſit ſuſpendi, notabile ſpatium in liquore occupat. Vbi lotura caute decantata eſt, reſiduo guttatim adfunditur tantum olei vitrioli, quantum quartam partem ſacchari ſaturni adhibiti pondere aequat; quae miſtura dum verſatur, praecipitatum albeſcit, citoque delabitur. Vbi miſtura clara facta eſt, lixiuium flauum ſupernatans decantatur, adque conſiſtentiam extracti vegetabilis euaporando redigitur. Haec materia, quoniam multa ipſi cum acidis communia ſunt, *acidum gallarum* audiat. — Iam auctor proprietates acidi magiſteriique gallarum perſequitur, hucusque proceſſus rationem reddit, vt atramenti theoriam inde repetat. Haec vero ſic habet. Dum decoctum gallarum cum ſolutione ferri ſaturata commiſcetur, acidum, quod ferrum ſolutum tenet, magiſterium gallarum adoritur, qua re terra martialis libera fit, quae iam cum acido gallarum praecipitatum atrum ac ſpecifice leue generat. Itaque magiſterium gallarum in hac affinitate duplici vices gerit ſalis alcalini terraeue alcalinae. Id inde apparet, quod acidum gallalarum cum alcali coniunctum eadem phaenomena exhibet. — Cur atramenti nigredo adfuſis acidis euaneſcat. Obiter HALLII theoria atramenti ridicula *) exploditur. — Magiſterium gallarum inter gummata, reſinas, ſalesque medium locum tenere videtur. — Omnia propemodum metalla cum acido gallarum materias gignunt difficulter ſolubiles colorum etſi diuerſorum, tamen ſemper obſcurorum aut luridorum. — Si velis acidum gallarum ita ſeruare, vt ne muceſcat, perinde vt extracta vegetabilia,

*) HALLENS *Magia, 4ter Theil, p. 255.*

tabilia, ad iuſtam conſiſtentiam inſpiſſandum eſt. Tum ſi experimentum cum eo inſtituere placet, aliqua inſpiſſati portio aqua ſoluitur, ſolutioque percolatur, quoniam interdum aliquid terrei demittit.

p. 67—72. *Methodus ſales medios fluoratos puros parandi, nullis adhibitis ad deſtillationem acidi fluorati vaſis plumbeis.* Vaſa plumbea, quibus in acidi fluorati eductione et conſeruatione ad inquinamentum ſiliceum vitandum vulgo vtuntur, ſuis non carent incommodis, quorum maximum eſt, quod phaenomena inter deſtillationem oblata nullo modo licet obſeruare. Igitur auctor ad vaſa vitrea rediit, eamque excogitauit methodum, qua inquinamentum ſiliceum, niſi prorſus euitaretur, tamen admodum minueretur. Tota res huc redit. In excipulum ingeritur aquae alterum tantum (ponderis habita ratione), quantum acidi vitriolici ad acidum e fluore minerali extricandum inſumitur. Ipſum acidum vitriolicum ſubduplo aquae diluitur, priusquam fluori minerali ſuperfunditur. Deſtillatione peracta, quod per eam paratum eſt, per chartam bibulam colatur. Acidi percolati aliquantillum pauca aqua diluitur: quod ſi miſtura non turbatur, id ſigno eſt, acidum fluoratum omne fere inquinamentum ſiliceum perdidiſſe; ſin turbida fit, acido percolato quantitas aquae proportionalis addenda eſt, miſturaque denuo per chartam bibulam transmittenda. Tum iterum tentatur, num acidum percolatum aqua adfuſa turbidum fiat, quod ſi accidat, idem artificium denuo adhibendum eſt. Iam acidum fluoratum hac ratione a terra ſilicea purgatum in lagena epiſtomio vitreo inſtructa ſeruatur. Lagena, ſi placet, etiam ſequenti ratione poteſt ad hunc vſum praeparari. Furni vulgaris calore probe ſiccetur, ſiccatae ſebi candidi aliquid ingeratur, in lagena liquetur, vasque diligenter agitetur, vt ſebum totam vaſis ſuperficiem internam obducat. Quo facto,

facto lagena inuertatur, vt ſebum adhuc liquidum effluat. Poſt lagena refrigeretur, inque ea acidum fluoratum ſeruetur. Hoc modo fit, vt acidum vitrum non nudum contingat, vitro interim eam retinente pelluciditatem, vt vel minima impuritas appareat. Nec metuendum eſt, ne acidum ſebo inquinetur, nam primo ſebum parietes lagenae inueſtit pellicula tenuiſſima, deinde acidum fluoratum, maxime ſi tantopere dilutum fuit, ſebum nulla ratione adgreditur. Neque tamen neceſſe eſt, vt lagena ſic praeparetur. Noſter acidum fluoratum modo memorato paratum per plures menſes in lagena ſeruauit, ſic vt nihil terrae ſiliceae ſolueretur: nam omnino notandum eſt, acidum fluoratum terrae ſiliceae quantitatem non prorſus exiguam tum demum ſolutam tenere poſſe, ſi multa aqua non dilutum ſit. Si quis obiiciat, acidum fluoratum ſic paratum certis experimentis, v. c. figuris in vitro per corroſionem inſculpendis, ſuam ob debilitatem minus idoneum eſſe, is ſequentia cogitet. Acidum fluoratum dilutum in calore quidem atmoſphaerico vitrum parum adoritur, ſed ſolari iam calori expoſitum vires ſoluentes exſerit, ſique ad gradum aquae ebullientis caleſcit, vapores emergentes vitrum ſatis ſuperque corrodunt. Quae cauſa eſt, cur lagenam hoc acidum tenentem calori exponere non liceat; alioqui vapores exiſtentes terram ſiliceam e vitro eliciunt, etſi haec terra ob acidi debilitatem mox ſub forma ſedimenti albi ſecedit. Quantumuis vero aquae ad acidum fluoratum diluendum ſumas, tamen aliquid inquinamenti ſilicei retinet, etiamſi aqua adfuſa non amplius turbetur. Quod ſi ad ſales medios gignendos adhibetur, inter ſaturationem terra ſilicea ſecedit, indeque coagulatio tunc naſcens oritur. Iam quod ſales in aqua facile ſolubiles, v. c. alcalia fluorata, attinet, coagulatio ſequenti modo poteſt euitari. Lixiuium terra

ſilicea inquinatum in linteum infunditur. Initio miſtura nonnihil turbida, tum prorſus pellucida transpluit. Si nihil amplius tranſit, linteum digitis caute comprimitur. Sic lixiuium maximam partem limpidum tranſire cogitur, inquinamentumque ſiliceum fere ſiccum in linteo remanet. Lixiuium percolatum denuo per chartam bibulam filtratur, poſtque ad euaporandum et cryſtalliſandum reponitur. Poſſunt etiam lixiuia per linteum colata euaporando exſiccari, tumque rurſus in aqua ſolui: ita enim terra ſilicea ſub forma non gelatinae, ſed pulueris intacta relinquitur. Sed quod ſpectat ſales terreſtres fluoratos in aqua parum ſolubiles, alia eſt via inſiſtenda. Vt etiam hi terra ſilicea puri obtineantur, terra cum acido fluorato coniungenda prius alio acido ſoluitur, quod cum ea ſalem facile ſolubilem gignat, alcaliaque vehementer appetat. Iam huiusmodi ſolutio commiſcetur cum ſolutione ſalium mediorum terra ſilicea carentium ante dictorum: ſic per affinitatem duplicem terra protinus acido nubit fluorato, ſubque forma pulueris delabitur a lixiuio ſalino ſupernatante per edulcorationes ſeparandi. — Iisdem artificiis ſales metallici fluorati puri obtineri poſſunt.

p. 72—77. *Quomodo acidum tartareum acidumque acetoſum concentratum cum fructu fere ſimul parari poſſint.* Terra calcarea cruda pura aceto vini deſtillato calore aquae ebullientis ſaturatur, lixiuiumque ſic natum clarificatur. Tum tartari tartariſati ſolutio paullatim adfunditur, donec miſtura non amplius turbida fiat. Sedimentum, quod decidit, album probe edulcorandum eſt, calx tartariſata, lixiuiumque ſalinum decantatum terram foliatam tartari ſolutam tenet. Si ad acetum ſaturandum vndecim lothones cretae bene ſiccatae adhibueris, calci tartariſatae octo lothones cum dimidio acidi vitriolici concentratiſſimi (aquae quadruplo ad hunc finem diluti) ſuperfunduntur, miſtu-

ra

ra in phiala viginti quatuor horas calori exponitur, identidemque verſatur, tum liquor limpidus decantatur, ſedimentum per linteum comprimitur, denuoque aqua eluitur, omnia lixiuia acido-ſalina commiſcentur, ab inquinamento gypſeo euaporando et decantando purgantur, tandemque ad cryſtalliſandum reponuntur. Terrae foliatae tartari decoquendo paratae nouem lothones cum dimidio acidi vitriolici concentrati ſubduplo aquae diluti in retorta adfunduntur, deſtillatioque inſtituitur. Sic acidum acetoſum obtinetur ſumma puritate, quod ad aquam refertur = 6 : 5 — Aetiologia huius proceſſus. — Calx tartariſata ſic obtenta perinde, vt terra foliata tartari, quam hic proceſſus exhibet, albiſſima eſt. Etiam ambo acida ſic extricata puriſſima ſunt. Tartareum hac ratione in cryſtallos pulchras facilius coit. Vnde praeſtantia huius methodi ſatis ſuperque intelligitur. — De rationibus conſtantibus principiorum in ſalibus vere neutralibus. Apparet hinc, quantum a matheſi ad doctrinam affinitatum chemicam diligentius, quam hucusque factum eſt fierique potuit, applicata ſperare liceat. Suſpicatur noſter, variis innitens tentaminibus, affinitates elementorum chemicorum purorum cum certo quodam elemento inde ab vnitate ſecundum ſeriem definitam progredi.

*Eductio alcali vegetabilis e tartaro vitriolato.* p. 78—79. Tartarus vitriolatus in laboratoriis chemicis ſaepiſſime oritur. Sed cum eius vſus perquam exiguus ſit, ad eius decompoſitionem cum fructu inſtituendam chemici animum adpulerunt. Conſtat, tartarum vitriolatum ſalis culinaris additione per affinitatem duplicem in ſalem Glauberianum poſſe verti: ſed cum proceſſus ad id neceſſarius magnum frigoris gradum requirat, apparet, laborem tantum per hiemen poſſe ſuccedere. Igitur noſter methodum excogitauit commodam facilemque tartarum vitriola-

tum omnibus anni tempeſtatibus ſaltim principii eius alcalini reſpectu habito in vſum trahendi. Ea vero ſic ſe habet. Tres partes calcis viuae cum duabus partibus ſalis huius vitriolici commiſcentur, inque aheno cum aquae iuſta copia probe coquuntur. Tum miſtura refrigeratur, ac quieta ſeruatur, vt partes, quae terreae videntur, aheni fundum petant. Lixiuium illis ſupernatans eſt alcali cauſticum. — Ratio et praeſtantia huius proceſſus. Cum gypſum calce facilius in vaſis fundum ſubſidat, alcali vegetabile hac methodo, quam vulgari, longe commodius cauſticatur.

p. 80—86. *Eductio terrae peculiaris ex oſſibus.* Vulgo terra in oſſibus latens pro calce phoſphorata habetur. Id, ſi maximam oſſium partem ſpectes, veriſſimum eſſe, noſter non negat: ſed idem contendit, in oſſibus praeter calcem phoſphoratam non modo magnam vim terrae calcareae liberae (huius praeſentiam iam inde colligi poſſe, quod oſſa vſta cum acidis incaleſcant), ſed etiam terram peculiaris naturae acido phoſphoreo iunctam atque non minus a terris ſalis amari, calcis, ſpati ponderoſi aluminisque, quam a ſilicea diuerſam contineri. Terram hanc naturae peculiaris oſſibus vere ineſſe, hac ratione reperit. Liquor acidus in acidi phoſphorei praeparatione, qualem noſter ſupra deſcripſit *), a ſelenite ſeparatus euaporando exſiccatur. Sic obtinetur ſal acidus in aqua facile ſolubilis. Si liquor acidus alcali quouis ſaturatur, inter continuam efferueſcentiam magna copia terrae candidae delabitur. Haec terra cum acidis non efferueſcit, etſi alcalibus aëratis praecipitata fuit. Hac nota iam a terris calcarea, ponderoſa, magneſiaque diſtin-

*) Videatur ſuperius *methodum acidus phoſphoreum magna copia parandi.*

distinguitur, cumque acido vitriolico tam saturata quam supersaturata nihil aluminis gignat, etiam a terra aluminari diuersa censenda est: denique a silicea eo differt, quod sicca omnia fere acida subit. Iam accuratius noster copioseque proprietates huius terrae, vt eius a ceteris terris simplicibus discrepantia clarissime appareat, persequitur. Colligit inde, hanc terram omnes proprietates generales terrarum alcalinarum possidere, inque iis, si tempus, quo inventa est, respicias, locum quintum occupare, sin gradum affinitatis ipsius cum acidis spectes, ante terram aluminarem ponendam esse. *Terra animalis* a nostro dicitur, donec alii nomen accommodatius proponant.

*Adnotatio ignem elementarem spectans.* Residuum a naphthae acetosae praeparatione alcali minerali saturatum nostro olim euaporatione et refrigeratione magnam vim crystallorum dederat. Denuo in arena calida euaporare coactum, etsi arena prorsus refrigerata esset, nihil tamen amplius crystallorum genuit. Itaque ad crystallisationem promouendam, placuit auctori patinam euaporatoriam in locum admodum frigidum transferre. Quod cum faceret, liquorque nonnihil agitaretur, vas protinus multum incaluit, et liquor in massam abiit pultaceam exiguis constantem crystallis. Idem phaenomenon etiam in alio sale noster obseruauit. Itaque verosimillimum ipsi videtur, aquae euaporationem non solam esse causam crystallisationis, sed etiam materiae ignis euolutionem ac separationem multum ad eam conferre. (Inter crystallisandum calorem saepe sensibilem explicari, dudum notum fuit). p. 86—87.

*Contra* LAVOISIERII *hypothesin experimentis cum acido phosphoreo institutis superstructam.* Arbitratur noster, experimenta, quibus clariss. Gallus ad theoriam suam stabiliendam vsus est, nullam habere p. 87—96.

bere vim demonſtrandi, concluſionesque adeo inde deriuatas mathematicis veritatibus prorſus repugnare. Id hoc loco reſpectu acidi phoſphorei habito, argumentis vtens maxime hydroſtaticis, demonſtrat, ſibi perſuaſum habens, paucis mutatis eadem de ceteris omnibus acidis valere. — Noſter vt explicet augmentum ponderis in terris metallicis nonnullisque acidis, v. c. phoſphoreo et arſenicali, ſumit, ignem elementarem, etſi pondere ſenſibili careat, tamen pondus materiarum adaugere poſſe eo, quod vim earum centripetam intendat.

Totus libellus ita comparatus eſt, vt ab auctore praeclara, maxime in mathematica affinitatum chemicarum doctrina, ſperare liceat. Omnino admodum optabile eſt, vt cum analyſi chemica mathematica magis, quam, vulgo fit, coniungatur. Ex hoc enim connubio quin pulcherrimi vberrimique fructus in diſciplinas chemicas redundaturi ſint, nemo talium rerum peritus dubitabit.

Obiter notamus, noſtrum Regiomonti in regno Boruſſiae diſſertationem *de vſu matheſeos in chemia* nuper eulgaſſe, quam nobis nondum videre licuit.

## VI.

Nye Samling af des Kongelige Norſke Videnſkabers Seſſkabs Skrifter. FØRSTE BIND. Med Kobbere. 4. Kiøbenhavn. 1784. pp. XXX. et 596.

ANDET BIND. 4. 1788. pp. 642.

i. e.

Noua Acta Societatis, quae Nidroſiae floret. Vol. I. II.

Igno-

Ignoſcant lectores nobis, nimis ſero actorum arcticorum mentionem facientibus! Pleraque ſcripta volumine vtroque hoc comprehenſa egregie commonſtrant eruditionem et ingenium auctorum.

PRIMVM VOLVMEN continet ſequentes tractatus:

I. I. E. GVNNERI *meletemata critica circa monſtra varia marina, praeſertim circa belluam, quam Norvegica lingua Kraken vocant, et ſerpentes marinos.* Plerisque lectoribus innoteſcunt certe fabulae abſurdae, quas auctor libri peruetuſti, qui *Kongsſpeilet* Danica lingua dicitur, deinde PONTOPPIDANVS, cum aliis narrauerunt de enormi magnitudine et incredibilibus moribus belluae marinae, quam nemo ipſe vidiſſe teſtabatur. — Originem fabulae noſter quaerit in PLINII hiſtoria naturali *), qui, in Gaditano oceano *arborem* in tantum vaſtis diſpanſam ramis, vt ex ea cauſſa fretum nunquam intraſſe credatur, exiſtere refert. Nomen Norvegicum *Krage*, ſ. *Krake* cum *arbore* conſentit: vnde GVNNERVS arbitratur, veteres monachos fabulam eamdem per Noruegiam propagaſſe. (Rationem opticam huius fabulae dederunt iam BÜSCHIVS in *tractatibus opticis* et WETTERLINGIVS in *Actis Societ. Holm. ann.* 1788. *Ian.* Orta eſt nimirum ex errore optico, qui facit, vt in certo quodam ſolis ſtatu obiecta ſubmarina ſuper eodem conſpicere videamur. Hinc itaque inſulae coralliis conſitae aut rupes iisdem refertae in maris ſuperficie apparent et moueri ac natare videntur, ob maris ipſius perpetuum motum. Phaenomenon idem vocatur lingua Germanica *die Kimmung*, Suecica *Högring*, Hollandica *Obduining.*) — De *ſerpentibus marinis* ficta multa enubilat auctor: viciſſitudines regulares vnda-



*) Lib. IX. c. 4.

rum, vt inter tres ſemper media ſit fortiſſima, aut ex nouem undis vltima ſemper antecellat priores, huic traditioni de ſerpentibus marinis vndas illas eructantibus occaſionem praebuiſſe arbitratur: ſimul contendit, quidquid narratum ſit de ſerpentibus hiſce horrendis, ad BALAENAM *Myſticetum* referri poſſe. — Deinde diſcutit fabulas, quas narrant accolae maris Atlantici et glacialis de CANCRI *Gammari* ſpecie, quam dicant *Hummermorn*, de hominibus marinis (*Klakkekalle*) et de aliis monſtris.

2. M. FALCHII *obſeruationes circa pinuum et abietum in ſiluis Norvegiae oeconomiam.*

3. N. COLLIN *de abuſu communi ſiluarum Norvegiae.*

4. HAMMERI *tentamen de optima methodo maltum Anglicum conficiendi et exſtruendi aedificium eodem ſcopo aptum.*

5. STRØMII *annotationes ad deſcriptionem regionis* SØNDMØR. Egregia haec hiſtoria naturalis regionis Norvegicae iam ante XXX annos in lucem prodita *) ab auctore ipſo augmentis his locupletatur. Aquas fontanas puras iterum deſcribit. MNIVM *fontanum* non eſſe ſignum characteriſticum aquarum purarum. Acidulum fontem ſe reperiſſe in locis paludoſis, quae ochra et aliis mineris ferri ſcatebant. De WALLERII ſaxo aëre liqueſcente, quem Sueci *Sjelffrätſten* dicunt: de CRONSTEDII baſalte martiali. Lignum betulinum cauere farinam ab acaris: hinc argumentatur auctor, eſſe hoc lignum remedium praeſtans contra ſcabiem aut porriginem ab *acaris reduviis* oriundam. Reuera Lapponum mos eſt, ab infantibus ſcabiem huius lingni ope arcere. — Mirati pro-

*) Phyſiſke og økonomiſke Beſkrivelſe over Søndrøør i Norge. 4. Sørøe. 1762. 1766. T. I. II.

profecto ſumus, arborem in Indiae vtriuſque calido climate creſcentem ſponte etiam in ripis Norvegicis provenire, nempe MIMOSAM *ſcandentem*, quam *Vette-Nyre* vernacula lingua nuncupant. — De pediculis, veſpertilionem infeſtantibus, qui vero differre ſpecie videntur a FRISCHII pediculis veſpertilionum. — De muribus amphibiis inſulas ad ripam maris Norvegici deuaſtantibus. (Quod Baldum dixit auctor animal, nobis videtur ad MYOXVM *Glirem* SCHREB. debere referri.) Deſcribuntur inſuper, praeter notiora animalia, ANAS *Penelops*, A. *Marila*, MOTACLLA *phoenicurus*, PARI noua ſpecies, CHARADRIVS *Hiaticula*, FRINGILLA *flauiroſtra*, LABRI noua ſpecies, quam L. *roſtratum* dicit, GADVS *luſcus*, CALLIONYMI dubia ſpecies, quam C. *Dracunculum* credit eſſe, COTTI duae ſpecies nouae. Larvam phalaenae, *Aam* dictam, excitare dolores intolerabiles, dum ſub cutim irrepſerit. (Forſan de *Furia* ſic dicta *infernali* hoc valet.)

6. EIVSDEM *illuſtratio morbi* SPEDALSKHED *dicti*. Eſt morbus in Norvegia endemius, ſcorbuto ſimilis, vnde et nomen vernaculum, leproſi tamen characteris particeps. GORDIVM *argillaceum* hunc morbum excitare, argumentis experientia fultis convictus negat auctor. In regionibus orae maritimae propioribus ſolummodo hic morbus graſſatur, neque in remotioribus. (*Leprae nodoſae* ſiue λεοντιασεως ARCHIGENIS ſpeciem prae ſe fert, neque tamen negari poteſt, *leprae pſoricae* quandoque ſimilem eſſe. (Cf. HENSLER *vom abendländiſchen Ausſatze*. p. 375. et *excerpta* p. 110. ſq.)

7. EIVSDEM *deſcriptio vermis inteſtinalis in halecibus obſeruati*, quem *Sild-Aat* dicunt incolae. SQVILLAM, *cauda tricuſpidata*, dicit auctor.

8. MØLLER *tentamen circa ſanitatem populi Norvegici*. 1. De *ſcorbuto boreali*, quae ſpecie differre

ferre autumat auctor. Symptomata vulgaria sunt: Habitus liuidus, fuscus, intumescens aut macilentus, cachecticus: gingiuarum corruptio, maculae liuidae in cruribus et tibiis, saepe etiam in aliis partibus: orthopnoea, aut saltim respiratio anxia, asthmatica, quae a variis ad signa pathognomonica morbi refertur: haemorrhagiae variae immodicae, absque caussa manifesta apparente: languor virium, artuum fere immobilitas, propensio ad dormiendum: exanthemata valde prurientia per totum corpus, praesertim scabies herpetica in ceruice: tubercula atro-russa per totum corpus erumpentia: vlcera fungosa, inaequalia, cruenta, praesertim in cruribus et tibiis: vlcera cacoëthea, exedentia in faucibus, quibus tonsillae et partes adiacentes corrumpuntur; membra spastice contracta: artuum dolores arthritici: hydropici tumores: tumores fungosi ad capitis infantilis magnitudinem excrescentes: colicorum denique dolorum species. Foetor adeo putridus ex corporibus euaporatur, vt fere nemo in domiciliis aegrotorum commorari possit. — Caussas remotas indagaturus, auctor ad aërem humidum, ventis salubribus non innouatum, ad motus corporei defectum, ad animi adfectus tristes et melancholicos, ad victum ex piscibus salitis digestu difficilibus petitum, respicit et egregie confirmat experientia sua. Concursum caussarum earumdem requiri vt morbus producatur. Haereditario iure transit morbus a parentibus ad progeniem. Contagium nullum obseruari, nisi praedispositio fortior adsit. Opinionem de venerea natura huius mali praedominari in Norvegia: non tamen assentitur, et iure suo, auctor. — De indole scorbuti Noruegici nil certi pronunciat: modo salis communis naturam adipisci fluida corporis, iam solidas partes debilitatas esse, nunc lymphae congelationem accusari posse. Hinc tres species habet: SCORBV-

TVM

TVM *muriaticum, acidum* et *putridum.* His accommodat remedia. Diaetam vero aliis omnibus remediis praefert. — Quod primam attinet ſpeciem, laudat in eadem aquam puram, iuſcula carnis recentis, ſerum lactis, decoctum radicum graminis et bardanae, malti et turionum pini: praeterea balnea frigida, frictiones frequentes, exercitia corporis aſſidua. In acido ſcorbuto commendat tetraquamiam, praeſertim cochleariam, iberim, mentham, ſinapi, cineres clauellatos, ſales fixos alcalinos, alcalia volatilia, velut ſpiritum cornu cerui, aut terras ipſas, ceu oculos cancrorum etc. In putrida ſpecie ſcorbuti praedicat vſum acidorum et vegetabilium et mineralium. Eam denique ſpeciem conſiderat, quae ex rancore, vt putat, adipis originem ducit. (Miramur tamen, auctorem eruditum ſolidorum debilitatem adeo praeteruidiſſe, vt acrimoniis tantum multiplicandis inhaereat.)

9. HIORT *de minera argenti cornea* (HORNERTZ) *et figurati argenti ſpeciebus in fodinis prope* KONGSBERG *inuentis.*

10. GLAHN *de* ANGIAK *Grönlandorum.* Credunt Grönlandiae incolae, abortu occulto progenitos infantes mutari in auiculas, quae ſonum clamoſi recens natorum ſimilem edant: has vocant *Angiak* fem. *Angialik.* Morem ſuperſtitioſum populi cum Iſraelitarum cerimoniis comparat.

11. IDEM *de ritibus incolarum Grönlandiae in capiendis cetaceis.*

12. SCHNABELII *examen, quatenus lingua vetus Norvegica adhuc ſuperſit in dioeceſi Hardangeriana.*

13. BERLINI *obſeruationes meteorologicae, Nidroſiae per annum* 1770 *inſtitutae.* Barometri altitudo fuit inter 26 poll. $4\frac{1}{2}$ lin. et 28 poll. $5\frac{1}{2}$ lin. Thermometri ſtatus inter — 1° *Fahr.* et + 77 — 78° *Fahr.* — Anno 1771 barometr. inter 26. poll. $8\frac{1}{2}$ lin.

lin. et 28 poll. 6¾ lin. thermometr. inter — 11° *Fahr.* et + 75° *Fahr.*

14. STRÖMII *Obſeruationes meteorologicae in regione Söndmör per annos* 1767 *et* 1768 *inſtitutae.*

15. FESTER *de machina ſarritoria* (BYDUINGS-MASKINE.)

16. BERLIN *de machina trituraria.*

17. WARGENTINII *determinatio geographica ſitus oppidorum Norvegiae.*

18. FLACH *computatio ſumtuum, quos ligna in regione* SØNDMØR *comparanda requirunt.*

19. GLAHN *de cane Grönlandico.* Differt haec varietas adhuc multo plus a canibus climatum temperatorum, quam canis Islandicus. Cum BVFFONIVS, illam non deſcripſerit, addamus auctoris deſignationem. Lupo perquam ſimilis eſt, capite oblongo, ore magno, auribus breuibus, erectis, crinibus confertis, cauda ſpiſſe capillata, quam fere ſemper demittit. Maximi canes Grönlandiae ouem exaequant. Plus ganniunt (*tude*) quam latrant.

20. IDEM *de modo numerandi apud Grönlandiae incolas.*

21. ARANTZ *de methodo compendioſa, ſyllogiſmos probandi.*

22. *Deſcriptio breuis praefecturae* BOMSDALEN *Norvegiae.*

23. HAGERUPII *ſermo, dum praeſidium ſocietatis obtineret.*

24. WILDRVPII *reſponſio.*

VOL. II. continet:

1. MODEERII *methodum expurgandi aquaeductus et canales minores.*

2. FESTER *de linea meridionali et figura terrae.*

3. *De falconibus et venatione eorumdem.*

HERTZ-

4. HERTZBERG *deſcriptio aquae mineralis in dioeceſi* FINDAAR. Fontis origo eſt in margae ſtratis, cui interſperſa eſt ochra. Vaſis infuſa aqua hepaticum odorem emittit, et cuticula fulgens ſuperficiei innatat. Flammam in fontis ſuperficie ſaepius detectam auctor a phoſphoro deriuat (melius tribuitur aeri inflammabili erumpenti.). Vulcanica producta inſulae *Findaar* multa ineſſe. Continere fontem praeter acidum vitrioli ſulfuri natiuo nuptum acidum muriaticum, alcali volatile vrinoſum et phlogiſti magnam partem, ferrum mineraliſatum. Prodeſſe vſum fontis in atrophia infantum, obſtructione menſium, rheumatiſmo venereo, in hectica febre et in variis cachexiis vt in hydrope. Externus vſus commendatur (ob ferreas particulas) in ophthalmiis et variis rheumaticis malis.

5. FESTER *meletemata mathematica et phyſica de aurora boreali.* Conſideratis initio atmoſphaerae noſtrae altitudine et altitudine aurorae borealis, auctor ad atmoſphaerae ſolaris conſilium transfert, cuius phaenomenon luculentum eſt *lux zodiacalis.* Atmoſphaeram ſolarem ad orbitam lunarem vſque expandi et grauitationis ope ad atmoſphaeram terreſtrem deſcendere, cum hac commiſceri: ſic produci auroram borealem. (Hypotheſis haec *Mairaniana* noua tamen eaque egregia cepit incrementa ex FESTERI tractatu.)

6. ROSTED *de* PHOCA *vitulina* (Steen - Kobben.) Deſcriptio bona. Iunio menſe pariunt, Septembri coeunt phocae. Lactant catulos per octo dies et quod excurrit. Iulio amittunt crines, quam ob rem tunc temporis non capiuntur, dum corium inutile eſt. Vltimo menſe grauiditatis foetus lanuginem ſuam amittit, progerminant interea crines, quos ante annum poſt partum praeterlapſum haudquaquam rurſus perdit. Autumno, vbi nutrimenta

plura

plura habent, phocae macilentae ſunt (ob coitus frequentiam) vere vero pinguiores. Hinc prouerbium ortum eſt: *Naar Souven er maverſt, er Kobben fedeſt:* (Dum *oues macreſcunt, phocae pinguescunt.*) Deſcribit auctor modum piſcandi et vſum phocarum. Sanguis coctus praedicatur, tanquam antiſcorbuticum praeſtans.

7. IDEM *de modo piſcandi* SQVALI *ſpeciem* (*Haakiaerringen*) et de vſu eiusdem.

8. FALCK *de piſcatione* GADORVM, *praeſertim G. Callariae* (*Torſk*).

9. ARENTZ *examen, quo patet methodus breviſſima via aequationes reſoluendi, quae quantitates plures incognitas ſimul continent.*

10. FESTER *de rebus quibusdam, quae ſummam pictorum admirrtionem merentur.*

11. SMITH *inquirit, quatenus in panegyricis herois vitia indici poſſint.*

12. STRØM *de* SQVALO *glauco* (*Haa-maerren*) et SCOMBRO *Thynno* (*Haa-ſtørjen.*) SQVALI *glauci* caput acutius eſt: ſpiracula propius adiacent oris angulis.

13. IDEM *deſcribit plantas marinas ad ripam Norvegiae inuentas.* Variis plantis marinis auctor noua nomina impertit, quas tamen ab aliis iam deſcriptas eſſe credimus. FVCVS *foliaceus* a nobis ipſis ad ripam maris Balthici inuentus et ad FVCVM *criſpum* relatus eſt. F. *pinnatifidus* omnino nouus eſt, et cum F. *pinnato* LINN. affinis. F. *Bryum* auct. credimus eſſe CONFERVAM *ſquarroſam* OEDER. — TREMELLA *ſpermophora* (noua ſpecies). TVBIPORA *adnata* (in aliis coralliis creſcit), T. *aculeata.* ALCYONIVM *proliferum.* Varia alia Corallina ELLISII et DILLENII obſeruauit et aeri incidi curauit.

14. IDEM *de minerali Norvegico,* HAKMETTE *dicto.* Species *vitrioli martis* eſſe videtur.

15. IDEM

15. IDEM de MOTACILLA *ſcolopacina*: roſtro ſubulato, incuruato parum: lingua cuſpidata abſque ſetis aut capillis.

16. IDEM de MARMOTA *Lemmo* (*Lemenden*).

17. IDEM *de laruis inſectorum earumque metamorphoſi.* Laruae COCCIONELLAE 14 — *guttatae:* CASSIDAE *viridis:* ELATERIS *meſomeli:* STAPHYLINI *murini:* HEMEROBII *betulini:* PHALAENAE *Noctuae*, quam *ferrugineam* dicit auctor, alis ſuperioribus faſcia dilute ferruginea, in parte ſuperiore longitudinaliter extenſa, lineolis abruptis albis: PHAL. *Geometrae*, quam *pectinicornem* dicit auctor, elinguem, alis griſeis, atro-maculatis: PHAL. *Bombycis, ſeticornis*, alis griſeis, fuſco-lineatis, litera o notatis: PHAL. *Noctuae* exſoletae LINN. TENTHREDINIS *betulae* hic deſcribuntur et aeri inciſae conſpiciuntur.

18. IDEM *de piſcatione* GADI *Callariae in Norvegia.*

19. FESTERI *ſolutio problematis mechanici. Quodſi vas breuiſſimo tempore, maxima aquae quantitate repletum per planum inclinatum attrahitur ad certam altitudinem, inueniendi magnitudinem anguli, quem debet planum inclinatum facere cum linea horizontali.*

20. ABRAHAMSONII *exercitatio in locum* HORATII *de arte poetica.*

21. FESTER *de atmoſphaerae mixtione cum particulis alienis et ratione quantitatis harum particularum ad quantitatem aeris puri.* Calculi ope auctor inuenit rationem particularum peregrinarum ad quantitatem aeris puri eſſe vt 1 : 4000.

22. IDEM *de cautelis neceſſariis naturae curioſorum in inſtituendis experimentis.* Egregius tractatus, dignus, qui ab omnibus phyſicis legatur.

WUNDARZT (*der*), *eine Wochenſch. zur Beförd. der Kenntniß des menſchl. Körp., ſeiner aeußerl. Fehler u. Krankh. u. ihrer Heilart. Jahrg.* 1. *Quart.* 4. *Gera* 8.

WURSTER'S (S. F.) *vollſtaendige Anleitung zu einer nützl. u. dauerh. Magazin-Bienenz. m. K. Tübing.* 8.

YOUNG'S (ARTH.) *Annal. d. Ackerbaues u. d. Künſte, a. d. engl. überſ. v. D.* HAHNEMANN, *u. m. Anmerkung. begl. v.* RIEM. *Th. I. Leipz.* 8.

ZEITUNG (*mediciniſch-chirurg.*), *herausg. v. D.* I. I. HARTENKEIL *u.* F. X. MEZLER, *B.* I. *Salzb.* 8.

— (*wieneriſche oekonomiſche*), *Jahrg.* 5. *auf* 1789. *Wien.* 8.

ZÜCKERT'S, (I. F.) *allgem. Abhandl. von Nahrungsm. Zweyte v. Prof.* SPRENGEL *durchgeſehene und mit Anmerk. verm. Ausgabe. Berl.* 8.

ZULIANI (FRANC.) de apoplexia, praeſertim neruea, commentarius. Ed. nou. Lipſ. 8.

— *über den Schlagfluß, vorzüglich über den Nervenſchlag, a. d. lat. mit einig. Anmerk. Hannov.* 8.

---

Contenta

## Contenta in hac parte.

I. Hiſtoire et mémoires de la Societé des Sciences Phyſiques de Lauſanne. Tome troiſième p. 187
II. CAMPERS *ſämmtliche klein. Schrift. die Arzn. Wundarzneyk. u. Naturg. betr.* p. 228
III. PYL'S *Aufſätze u. Beobacht. a. d. gerichtl. Arzneywiſſenſchaft* p. 286
IV. GILIBERTI aduerſaria medico practica prima p 295
V. RICHTER *über d. neuern Gegenſt. d. Chymie, vorz. d. ohnl. entd. Halbm.* Vranium p. 312
VI. Nye Samling af des Kongelige Norſke Videnſkabers Seſſkbas Skrifter B. I. II p. 334
VII. Noua literaria p. 344
VIII. Catalogus phyſic. et medic. qui ann. 1790 in Germ. prod. p. 356

# COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.




## VOLVMINIS XXXIV. PARS III.

LIPSIAE, MDCCXCII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Pr. Elmsly, Edinburgi apud Elph. Balfour, Lugd. Bat. ap. Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi Iunior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Mediolani apud Ios. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Guibert et Orgeas, Florentiae apud Ios. Molini, Holmiae apud M. Swederum, Lisbonnae apud M. Borell et Socios, Lausannae apud I. H. Pott.

Jos: Banks

I.

Entomologie, ou hiſtoire naturelle des Inſectes, avec leurs caractères génériques et ſpécifiques, leur deſcription, leur ſynonymie et leur figure enluminée. Par Mr. OLIVIER, Docteur en médecine, de l'académie des ſciences, belles lettres et arts de Marſeille, correſpondant de la ſociété royale d'agriculture de Paris. Coleoptères. Tome ſecond. A Paris, chez Baudouin, ſe et trouve à Strasbourg chez Amand König, libraire. 1790.

i. e.

Entomologia, ſiue hiſtoria naturalis inſectorum, cum eorum characteribus genericis ac ſpecificis, deſcriptione, ſynonymia iconibusque coloratis. Auctore OLIVIER, medicinae doctore, academiae ſcientiarum, literarum elegantiorum et artium Maſſilienſis ſocio, ſocietatis regiae agriculturae Pariſienſis correſpondente. Coleoptera. Tomus ſecundus.

De tomo primo huius operis ſplendidi in commentariis noſtris iam actum eſt *). Pari diligentia ſequentes recenſebimus. Miſſus, qui initium ſecundi tomi faciunt, a *dermeſte* incipiunt, cuius octodecim ſpecies ſiſtuntur. Nomen huius generis deriuatum eſt a vocabulo graeco, quod cutem ſignificat,



*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXXIII. Part. I. p. 136.

quoniam pleraque horum inſectorum inprimis pelles animalium in rerum naturalium collectionibus ſeruatorum, tum eas, quae in pellionum officinis praeparatae proſtant, adgrediuntur. Inſignes ſunt praedones, ſummumque ſaepe tum muſeorum poſſeſſoribus tum pellionibus damnum inferunt.

Genus inſequens *nicrophorum**), hoc eſt, ſi nomen graecum latine vertas, veſpillonem, complectitur. Tantummodo quatuor hoc genus ſpecies continet. *Caſſida* continet vnam et viginti. *Nitidula* triginta tres. *Byrrhus* decem. *Anthrenus* quinque. *Sphaeridium* quaduordecim. *Ptinus* decem. *Ptilinus* vnam. *Ips* viginti quatuor. *Scaphidium* quatuor. *Melyris* ſeptendecim. *Lymexylon* quinque. *Telephorus* viginti etc. — Haec inſecta habitu ſuo ingrato et odore, quem exhalant, foetido, fere indicant, qua viuant ratione, et quae loca incolant. Interdum in campis reperiuntur: ſed inſtinctu quodam mota loca quaerunt tenebroſa et ſolitaria, vbi abſcondita ſunt animalium cadauera et excrementa, quibus veſcuntur. Odorem horum inſectorum foetidum his ſubſtantiis animalibus putreſcentibus, quas perrepunt comeduntque, originem ſuam debere, id argumento eſt, quod talia inſecta recens nata neque adhuc huiusmodi alimentis paſta nullum odorem ſpargunt. Igitur vſus horum inſectorum in oeconomia naturae generali is fuerit, quod tellurem ab inquinamentis purgant, quae a ſubſtantiarum organicarum deſtructione vel decompoſitione nunquam non oriuntur.

Pars hiſtorica vitae morumque cuiusuis generis inſectorum nihil non continet, quod attentione dignum ſit. Clariſſimus OLIVIER, vt peritus naturae ſcrutator, quidquid de ſingulis generibus reperire potuit,

*) Debebat eſſe *necrophorus*.

potuit, diligenter adnotauit. Non modo celeberrimum illuſtremque naturae ſcrutatorem, REAUMURIUM, imitando expreſſit, ſed etiam longe vlterius progreſſus eſt. Nam cum princeps ille entomologorum Gallorum diſſertationibus ſuis deſcriptionibusque tantummodo certas inſectorum claſſes complexus ſit, noſter vniuerſam hiſtoriam naturalem inſectorum Europae totiusque vniuerſi perſequitur. Praeter enarrationem claram, ſuccinctam diligentemque eorum, quae ſingula ſpectant inſectorum genera, hoc opus continet anatomiam completam tum inſecti, tum laruae. Sequuntur poſt ſpecies, earum characteres peculiares, varia nomina latina gallicaque, loca, vbi naſcuntur commoranturque, indicatio muſeorum, in quibus aſſeruantur, docta inquiſitio in ordinem a ſingulis entomologis conſtitutum. Quiuis miſſus multos locos exhibet, vbi inſecta deſcribuntur noua, prius incognita, nec vnquam deſcripta, quae noſter demum detexit.

LINNAEVS refert ſecundum CRAMERVM, larvas inſectorum noxias arſenici aluminisque ope necari poſſe. Sic noſter vtile dulci ſemper coniungit. In quolibet genere obſeruationes leguntur prius incognitae neque nullius momenti.

Reſtat, vt aliqua loca huius entomologiae vniverſalis cum lectoribus noſtris communicemus.

N. 10. *Nicrophorus.*

„Nicrophori a LINNAEO et plerisque entomo„logis inter ſilphas relati ſunt. SCOPOLI et GEOF„FROY inter dermeſtas eos collocarunt. GLEDITSCH „alicui horum inſectorum nomen *veſpillonis* dederat, „quoniam illud viderat ſub terra defodere cadauera „animalculorum, quibus veſci aſſolet. FABRICIVS „cum in his inſectis characteres reperiſſet ad genus „peculiare formandum accommodatos, genus no„vum conſtituit nicrophorumque vocauit.

„Antennae breues, craſſae, fere rotundatae, „maxillaeque ex duabus compoſitae partibus, quarum „vna exterior, longa, baſi tenuis, fereque antennul„lae ſimilis eſt, nicrophoros a ſilphis dermeſtisque „ſatis diſtinguunt.

„Antennae nicrophororum fere ſunt longitu„dine capitis, vndecimque articulis conſtant, quo„rum primus longus nonnihilque tumidus, ſecun„dus exiguus, admodum breuis, ſequentes rotunda„ti ſunt, quatuor vltimi efformant maſſam ſat craſ„ſam, fere rotundam ac foliatam.

„Os conſtat e labio ſuperiore, duabus mandi„bulis, duabus maxillis, labio inferiore, quatuorque „antennulis.

„Labium ſuperius corneum eſt, emarginatum „et ciliatum.

„Mandibuiae ſunt corneae, arcuatae, acutae, „edentulae.

„Maxillae fere corneae ſunt, e duabus compo„poſitae partibus, quarum altera exterior rotundata „eſt, baſi tenuis, nonnihil arcuata, fere longitudi„ne antennulae, altera breuis ſatisque ampla.

„Labium inferius prominulum eſt, baſi cor„neum, extremitate membranaceum, tenue, nonni„hil emarginatum.

„Antennulae anteriores ſunt filiformes, qua„tuorque conſtant articulis, quorum primus admo„dum exiguus eſt, duo inſequentes ſunt aequales et „conici, vltimus paullo minus latus eſt propemo„dumque cylindricus. Inſertae ſunt ad baſin partis „exterioris maxillarum. Poſteriores eadem fere cum „anterioribus longitudine ſunt filiformes et e tribus „articulis compoſitae fere aequalibus. Inſertae „ſunt ad partem lateralem, nonnihil anteriorem la„bii inferioris.

„Ca-

„Caput horum inſectorum ſat magnum eſt, „nonnihil inclinatum et a thorace diſtinctum. Oculi „ſunt oblongi, et neutiquam prominent.

„Thorax aliquantulum compreſſus eſt, vndi„que marginatus, margine anterius plus minusue „exſecto.

„Elytra plerumque breuiora ſunt abdomine, „duasque obtegunt alas membranaceas, replicatas, „quibus inſectum nonnunquam vtitur. Clypeus eſt „ſat magnus, triangularis, inque apice nonnihil „obtuſus.

„Corpus forma eſt aliquantulum oblonga. Ab„domen eſt ſatis breue, in apicem deſinens ſexque „annulis compoſitum. Pedes ſunt craſſi ſatque for„tes. Femora poſteriora ſunt nonnihil tumida. Cru„ra anteriora inſtructa ſunt dente laterali forti, ex„euntque in duas ſpinas ſatis fortes.

„Tarſi ſunt filiformes, et quinque articulis „compoſiti, quorum quatuor priores longitudine „decreſcunt, vltimus eſt elongatus duobusque ter„minatus vncinis admodum fortibus. Tarſi ante„riores breuiores ſunt ac multo magis lati ceteris; „quatuor priores articuli ſunt cordati, ac parte in„feriore admodum hirſuti

„Nicrophori inſecta ſunt, quorum odor fortis „et iniucundus ſatis indicat, quae loca habitent, qui„busque materiis veſcantur. Vt multa alia inſecta, „hanc praeſtant vtilitatem, quod carnes putridas ex„crementaque, quae alioquin aëris atmoſphaerici bo„nitatem peſſundarent, conſumunt. Inſtinctus, orga„niſationi nunquam non accommodatus, facit, vt avi„de quaerant cadauera animalculorum, vt iis pro cibo „vtantur; eſtque phaenomenon attentione ſane di„gnum, ſi quis eos videat odore cadaueroſo illectos „coire opusque ſociatis viribus aggredi, ſicque tran„quille laborum ſuorum fructus auferre. Simul

„enim talpae aut muris cadauer putreſcens foetorem „ſpargit, maiori minoriue numero accurrunt, dili„genterque et laborioſe terram circa cadauer vndi„que effodiunt, quod ſic paullatim abſconditur. Hac „ratione, etſi operae non apparent, opus tamen ab„ſoluitur, omniaque tum euaneſcunt. Quatuor aut„quinque horum inſectorum hoc modo talpae cada„ver intra viginti quatuor horas ſepelire poſſunt. „Tum omni metu libera in cadauer ſepultum ingre„diuntur, tranquilleque eo veſcuntur. In his cada„veribus etiam oua ſua deponunt, laruaeque ipſo„rum viuunt.

„Laruae nicrophororum longae ſunt, albide „cinereae, capite bruno. Corpus earum e duode„cim conſtans annulis anterius in parte ſuperiore ha„bet laminam exiguam ſquamoſam colore ferrugineo. „Laminae vltimorum annulorum inſtructae ſunt cu„ſpidibus exiguis eleuatis. Caput durum eſt, ſqua„moſum, mandibulis armatum ſatis fortibus et ſe„cantibus. Sex habent pedes ſquamoſos, perbre„ves, affixos tribus primis corporis annulis. Vbi „in maximam longitudinem excreuerunt, in terram „maiori, quam pedis vnius, profunditate ſeſe inſi„nuant, foramen ouale effodiunt, quod materia glu„tinoſa, vt parietes ne corruant, inueſtiunt, ibique „in nymphas transmutantur. Inſectum perfectum „inde emergit poſt tres quatuorue hebdomadas."

*Character generis.*

„*Antennae vnderim articulatae; articulus primus „longior, ſubcylindricus, ſecundus breuiſſimus, alii ro„tundati, vltimi quatuor clauati, claua maiori rotun„data, perfoliata.*

„*Labium ſuperius corneum, emarginatum, ci„liatum.*

*Man-*

„*Mandibulae corneae, arcuatae, acutae, inermes.*

„*Maxillae ſubmembranaceae, bipartitae; lacinia* „*exteriori multo longiori, rotundata, arcuata; inte-* „*riori breuiſſima.*

„*Labium inferius porrectum, baſi corneum, api-* „*ce membranaceum, ſubemarginatum.*

„*Palpi quatuor filiformes, ſubaequales; anterio-* „*res quadriarticulati; articulo primo minimo, ſecundo* „*tertioque conicis, aequalibus, vltimo ſubcylindrico.* „*Poſteriores triarticulati, articulis ſubaequalibus.*

*Species.*

*Nicrophorus Veſpillo.* (*Nicrophore Foſſoyeur.*)

„*Nicrophorus ater, elytris faſcia duplici ferru-* „*ginea.* Fabr. Ent. pag. 72. N. 2. Spec. Inſ. Tom. I. „pag. 84. N. 2. Mant. inſ. Tom. I. pag. 48. N. 2.

„*Silpha Veſpillo oblonga, atra, clypeo orbiculato* „*inaequali, elytris faſcia duplici ferruginea.* Linn. „ſyſt. nat. pag. 569. N. 2. faun. ſuec. N. 441. 1).

„*Dermeſtes thorace marginato, elytris abſciſſis,* „*nigris, faſciis duabus transuerſis vndulatis luteis.* „Geoffr. inſ. Tom. I. pag. 98. N. 1. Tab. 1. fig. 5.

„*Scarabaeus maiuſculus niger, duabus luteis fa-* „*ſciis vndulatis transuerſim ductis ſupra alarum thecas.* „Liſt. Loq. pag. 381. N. 2.

„*Pollinctor vulgaris maior et minor.* Voet. Cole- „opt. p. 53. t. 30.

„*Antennae nigrae, articulis tribus vltimis ferrugi-* „*neis. Caput nigrum. Thorax niger rufo-villoſus,* „*marginatus, antice truncatus, poſtice rotundatus.* „*Elytra abdomine breuiora, nigra, faſciis duabus vn-* „*datis, flauis aut ferrugineis. Corpus nigrum. Pe-* „*ctus villo rufo denſo tectum.*

„Habitat in tota fere Europa, in cadaueribus. „Odorem ſpargit admodum foetidum.“

II.

Tabula plantarum fungoſarum. Auctore IOANNE IACOBO PAVLET, Doct. Medic. Pariſ. Acad. Med. Madritenſ. ſocio etc. Pariſiis, e typogr. regia, 1791. 4. cum fig. pagg. 31.

Clariſſimus PAVLET iam plus triginta annos tentaminibus, experimentis et perquiſitionibus ſuper fungis occupatus fuit. Tabula plantarum fungoſarum, quam hoc loco indicandam cenſuimus, prodromus eſt tractatus completi ſuper his plantis ſingularibus.

P. 5. „Opus, inquit auctor, de quo excerpta eſt haec „tabula, gallico ſermone ſcriptum, duabus partibus „includitur, quarum prima, ſiue fungorum, iuxta in„uenti tempora deſcriptionisue, ſiue ſcriptorum vario„rum de fungis narrationem chronologicam analyti„camque ſiſtit, quam proxime ſequitur duplex ſynony„mia fungorum, ſcilicet generum et ſpecierum; eo fine, „vt omnia nota vna patefierent et lux quaedam affulge„ret in tenebris. Huic additur vocum latinarum in„dex, vt conducibilis, ideo locupletiſſimus.

„Secunda vero pars, altero volumine, fungo„rum, qui praeſertim in Galliis reperiuntur, metho„dicam diſtributionem, huicce tabulae conſentane„am, exhibet, vna cum accurata ſpecierum deſcri„ptione, indigitans, data occaſione, ipſarum loca „natalia, tempeſtatem idoneam, indoles, caſus ex „ipſarum eſu aduerſos, plura experimenta ſiue che„mica, ſiue in animalibus capta, eo ſcopo, vt dubiis „fides, toxicis alexiterium vel quid refraenans, eſcu„lentis vero condimentum ſalubrius daretur, ne alii „nocerent, alii fierent ancipites cibi. Hic additur „etiam vocum gallicarum, imo vulgatiſſimarum, „iuxta varia Galliae idiomata, index, vt nulli, in-

„primis

„primis non extraneo, haec pars eſſet aliena, et „omnibus fuiſſet commoda. Operi ſubnectuntur, „tertio volumine, ſpecierum memoratarum eodem„que ordine diſpoſitarum icones ad viuum expreſſae „picturataeque, tabulis aeneis N. cc. diſpertitae.

„*Plantae fungoſae.* Non in errore verſari vi- p. 7.
„dentur, qui plantas fungoſas in regno vegetabili „tanquam peculiarem prouinciam ab omni alia di„verſam, certisque limitibus circumſcriptam habent. „Equidem hae terrae fruges frondibus floribusque „ſaltem conſpicuis carent: ſubſtantia propria, ſcili„cet carnoſa, in principio ſemper molli et alba do„nantur, cuius in vniuerſum protruſio propera, du„ratio breuis, textus aquoſitate fragilitateque inſi„gnis, et corpus ad putridam liquationem pronum.

„Hae fruges merito plantae dicuntur, cum ger„minent, radiculas moueant, et ſemina, quorum „quaedam ſeruntur, emittant.

„Non ſunt animalia aut animalculorum domi„cilia, cum nulla loco motione vel irritabilitate do„nentur, et gelatum animale vel calcaream materi„em haud ſuppeditent, in quo praecipue diſtant a „ſpongiis, corallinis et aliis animalculorum domici„liis. A lichenibus, muſcis, fucis, byſſis, quibus „cum aliquam adfinitatem vicinitatemque alunt, dis„crepant, quod cupulis cruſtaceis tartareisue inſtru„ctae non ſint, vt lichenes; nec frondoſae virentes„que, ſetis, vrnis, calyptris, aut germinibus inſi„gnes, vt muſci; nec vtriculae, vt fuci; nec fila„mentoſae, vt byſſi. Sunt plantae mere carnoſae, „ſtructura ſimplici praeditae, quarum pars praeci„pua in multis eſt tabula, id eſt, capitellum tabula„tum cum vel absque pediculo; in aliis membrana „plicata vel diuerſimode extenſa; in aliis caulis ſim„plex furculaceusue; in aliis demum maſſa rotunda„ta; in omnibus ſemina geſtans vel in callo quodam

partis

„partis inferioris tabulae, vel in foueis, plicis, aut „ſub quadam epidermide membranae tecta, vel in „ſuperficie caulis ſparſa, vel in interioribus globi in„carcerata; vnde, primo intuitu, ratione habitus, „generatim in quatuor capita ſiue claſſes redigi poſ„ſunt, ſcilicet in *tabulatas*, in *membranaceas*, in *fa„ſtigiatas*, et in *globatas*.

p. 1. „*Claſſis* I. *Plantae fungoſae tabulatae.* Plantae „fungoſae tabulatae dicuntur illae, quarum pars prae„cipua eſt capitulum tabulatum, hoc eſt, compla„natum orbiculatumque, plus minus horizontale, „cuius centrum ſemper craſſius oris.

„Huiusce claſſis plantae ſunt ordine duplici; „nam aliae mediam partem tantum capitelli per me„dium transuerſim ſecti ad inſtar ſemicirculi geſtant „lateraliter et arcte arboribus inſertam, in directio„nem horizontalem excreſcentem; et aliae e ſolo, vt „ſolemne eſt, verticaliter ſurgentes, pediculo plus „minus longe inſident. Hae *Agarici*, illae *Fungi* „nomine ſalutantur, qui tanquam duo capita prae„cipua ſiue ordines plantarum huiusce claſſis ha„bentur.

p. 23. „*Claſſis* II. *Plantae fungoſae membranaceae.* „Plantae fungoſae membranaceae dicuntur illae, qua„rum corpus vel pars praecipua ex membrana exten„ſa vel plicata, aequali craſſitie in omni puncto prae„dita conſtat.

„Hae plantae generaliter duplicis ordinis ſunt; „nam aliae paruae minorisque pretii, ſeſſiles aut te„nui ſcapo ſarcto inſident; et aliae ſpecioſae, pedi„culo inſigni cauoque ſuſtentantur; hae ſcilicet pri„mae *Pezizae*, illae *Merulii* dicuntur.

p. 27. „*Claſſis* III. *Plantae fungoſae faſtigiatae.* Plan„tae fungoſae faſtigiatae dicuntur illae, quarum cor„pus homogeneum, verticaliter ſurgens, nullum

„oper-

„operculum capitulumue habet, et nudum verticem „mucronatum digitatumue geſtat.

„Hae fruges duplicis ſunt ordinis; nam aliae „carnoſa, tenera fragilique ſubſtantia donantur, et „aliae ſubſtantia dura, ſicca, intus leucophaea vel „albicante, extus vero pulla vel nigra: vnde praeci„pua duo capita ſiue ordines, quorum primus tene„neras fragilesque includit, et alter ſiccas et pullas. „Hae *Clauariae* nomine indigitantur, illae *Atricau„les* inſcribuntur.

„*Claſſis* IV. *Plantae fungoſae globatae.* Plan- p. 29. „tae fungoſae globatae dicuntur illae, quarum cor„pus rotundatum vel globoſum ſemina ſua in inte„rioribus recondit.

„Hae plantae, ratione habitus locique natalis, „ſunt duplicis ordinis; nam aliae ſubſtantia homo„genea praeditae, corticeque immunes, ſub ter„ra creſcunt; et aliae cortice vno vel plurimis obdu„ctae, ſubterraneae, vel terreſtres exſtant. Illae „*Tubera*, hae *Lycoperda* dicuntur."

Ingenium doctrinaque clariſſimi auctoris ex ſingulis huius ſcriptionis articulis ſatis ſuperque elucent.

## III.

Inſtitutiones pharmaceuticae, ſiue philoſophia pharmaceutica. Auctore ROBERTO DE LAVGIER, Doct. Med. S. C. Maieſt. Conſiliar. Vniverſit. Vindobon. et Mutin. Chemiae et Botanices Profeſſore Emerito, Reg. Nanceianae, et Georgophil. Florentin. Academiar. Socio, atque Mutinenſi medicorum Collegio adſcripto. Pars I, II, III. Mutinae 1788 — 1791. 8. apud ſocietatem typographicam.

Cla-

Clariſſimus LAVGIER cum medicinam, chemiam ac botanicen in vniuerſitate caeſarea Vindobonenſi docuiſſet, iam Mutinenſem academiam profeſſor ornat. Philoſophia pharmaceutica, quam euulgauit, cuiusque hoc loco recenſionem ſumus daturi, experientiae fructus eſt conſummatiſſimae. Quae eius ſit ratio, paucis exponamus.

Prima pars complectitur praefationem et vndequadraginta capita ſequentia.

Caput I. de pharmacia in genere. Cap. II. de pharmacia in ſpecie. Cap. III. de pharmaciae membris. Cap. IV. de cognitione. Cap. V. de praeparatione in genere. Cap. VI. de praeparatione in ſpecie. Cap. VII. de mixtione generali. Cap. VIII. de conſeruatione. Cap. IX. de parmacopoeo. Cap. X. de tirocinio pharmaceutico. Cap. XI. de pharmacopolio. Cap. XII. de laboratorio pharmaceutico. Cap. XIII. de pharmacologia. Cap. XIV. de pharmaciae ſubiectis in genere. Cap. XV. de pharmaciae ſubiectis in ſpecie. Cap. XVI. de medicamentis in ſpecie. Cap. XVII. de medicamentis ſimplicibus ex regno vegetabili. Cap. XVIII. de medicamentis ſimplicibus ex regno animali. Cap. XIX. de medicamentis ſimplicibus ex regno minerali. Cap. XX. de generali medicamentorum ſimplicium collectione. Cap. XXI. de ſpeciali medicamentorum ſimplicium collectione. Cap. XXII. de radicum collectione. Cap. XXIII. de corticum collectione. Cap. XXIV. de lignorum collectione. Cap. XXV. de foliorum collectione. Cap. XXVI. de florum collectione. Cap. XXVII. de fructuum et ſeminum collectione. Cap. XXVIII. de medicamentorum nomenclatura. Cap. XXIX. de medicamentorum ſynonymis. XXX. medicamentorum claſſes. Cap. XXXI. de pharmaciae laboribus. Cap. XXXII. ſyſtematis pharmaceutici ratio. Cap. XXXIII. ſyſtematis pharmaceutici tabellae. Cap. XXXIV. de medicamentorum

rum formulis. XXXV. de formularum partibus. Cap. XXXVI. de cuſtodia et repoſitione. Cap. XXXVII. de duratione. Cap. XXXVIII. de pharmacopolii viſitatione. Cap. XXXIX. de medicamentorum taxatione.

Altera pars exhibet tres claſſes, in plura diuiſas genera ſpeciesque. Praeparationes ſequentibus continentur operationibus: conſcindere, raſpare, ſcobinare, radere, limare, tundere, contundere, terere, conterere, triturare, quaſſare, piſtare, porphyriſare, alkoholiſare, cribrare, incernere, tamiſare, digeſtio, maceratio, ablutio, edulcoratio, decantatio, deſpumatio, colatio, filtratio, ſolutio, liquatio, ſublimatio, lotio, mundatio, fuſio, vitrificatio: fermentatio ſpirituoſa, aceſcens, alcalina, rancida, vapeſcens, deſtillatio, decompoſitio artificialis via ſicca, ſublimatio, conſeruatio per exſiccationem, euaporatio, conditura, mixtio.

Tertia pars tomum peculiarem conſtituit, qui 1791 impreſſus fuit, cuiusque exordium ſic habet.

„Promulgatis et a publico benigne acceptis in„ſtitutionibus meis pharmaceuticis, honorifico et„iam illuſtris collegii noſtri medici encomio compro„batus, proin ad vlteriorem laborem incitatus, ter„tiam partem de productis pharmaceuticis tractan„tem, prioribus binis iam praemiſſis addere tandem „mihi deliberatum ac conſtitutum eſt.

„Producta enim pharmaceutica, vt in libris „proſtant, quoad nomenclationem, et proprium „characterem, ſunt obſcuritate referta, vbique flu„ctuantia et indefinita, ideoque operae pretium fore, „ea ad priſtinam et veram ſignificationem reſtituere, „ſuaſit bonus rerum ordo, medicinae decus, et pro„ximi ſalus.

„Absque enim iuſta ac dilucida definitione, ab „antiqua origine, vocis etymologia, eſſentia rei, com-

„compoſitione, conſiſtentia, et vſu deſumta, nulla „datur productorum certitudo, neque ipſis in ſyſte„matico pharmaceutico codice proprium et determi„natum aſſignare locum poterit vnquam pharmaco„logus.

„Miranda eſt profecto confuſa atque abſurda „rerum et vocabulorum pharmaceuticorum produ„ctorum coagmentatio, quae vetuſtate coalita in er„rores ferme inextricabiles medicinae atque pharma„ciae cultores neceſſario induxit, vel eosdem ſaltem „in poſterum anxios dubiosque circa veram medica„mentorum ſignificationem omnino reddidit.

„Eo vsque peruenit rerum abuſus, atque ter„minorum peruerſitas, vt hodie vnum pro altero „accipiatur productum, vel plura toto coelo diſſimi„lia vnico comprehendantur titulo, et ad vniuscu„iusque auctoris arbitrium in aliena nec competente „claſſe collocentur.

„Quidam videlicet conſeruam cum electuario „confundunt, et ipſam dein conſeruam a ſyrupo, „melle, rob, pulpa non diſtinguunt.

„Alii electuarium cum maſſa pilulari, pilulam „cum trochiſco, paſtillo et morſulo; morſulos cum „tabella, electuario, condito, rotula et eclegmate „miſcent.

„Multi ceratum, vnguentum, cataplaſma, em„plaſtrum, linimentum, balſamum eadem eſſe pro„ducta aſſerunt.

„Plurimi ſpiritus cum oleis, aquis, oleum cum „ſalibus coniungunt, imo limites inter tincturam, „eſſentiam, infuſa, et elixiria non aſſignant, oleo„ſaccharum ad quintas eſſentias referunt etc.

„In ſumma pharmacia temporum lapſu facta eſt „ſicuti turris Babylonica, quae a linguarum confu„ſione imperfecta, et intermiſſa remanſit, atque „eiusdem fatum ſubiit.

„Non

„Non mediocris ergo difficultas erat, illud „chaos antiquum extricare, hanc complicatam ex„planare materiam, erroris cauſam inueſtigare, re„formata ad artis leges adducere, perſpicuis defini„tionibus rem fluctuantem firmare, atque inuaria„bili charactere determinare.

„In hoc autem opere, et maxime in hac inſti„tutionum tertia parte artis terminos et productо„rum titulos, ſiue generica nomina cum ſuis varie„tatibus barbare confuſa, ad priſtinam et legitimam „ſignificationem reſtituere anniſus ſum.

„Cum autem horum terminorum explicatio, in „variis huiusce operis locis hinc inde diſperſa, nec „facile ſtatim quaerenti ſe exhibeat, ideo in fine hu„ius tertiae partis index inuenietur, qui, ſicut di„ctionarium vel lexicon pharmaceuticum; paginam „indicabit, in qua operationis vel producti vocabu„lum propria definitione patefiet, id quod certe do„centi, diſcenti, vel examinanti, maximi erit com„modi, atque vtilitatis.

„Adeoque ſecundum aſſumtum methodi ordi„nem in mea tabella ſynoptica expoſitum, haec ſigil„latim nunc producta enucleando, meis votis atque „promiſſis ſatisfeciſſe videor. Pharmaceutica vtpote „producta artis finem clare commonſtrant, atque „tertiam harum inſtitutionum partem neceſſariam „conſtituere videntur.

„Quid nunc per productum pharmaceuticum „intelligatur, ſequenti modo exponere ſatagam etc. „etc.“

Philoſophia haec pharmaceutica digna profecto eſt, quam pharmacopoei diligenter euoluant, religioſeque ſequantur.

IV.

WILHELM BUCHANS, *praktiſchen Arztes und Mitgliedes des königl. Collegii der Aerzte zu Edinburgh, Haus-Arzneykunde. Nach der eilften engliſchen und der vierten franzöſiſchen Ausgabe überſetzt und mit Zuſätzen begleitet von* KURT SPRENGEL, *der Arzneykunde Doctor und öffentlichen auſserordentlichen Profeſſor auf der Friedrichs-Univerſität, auch Mitgliede der Röm. Kaiſerl. Academie der Naturforſcher — Altenburg in der Richterſchen Buchhandlung* 1792. 8. mai. pagg. 808. Praefatio traductoris et auctoris, introductio et elenchus capitum pagg. XLVIII.

i. e.

GVILIELMI BVCHAN medicina domeſtica, ſecundum editionem anglicam vndecimam gallicamque quartam verſa et additionibus aucta a CONRADO SPRENGEL.

Primae editionis recenſionem olim iam commentarii noſtri exhibuerunt *). Gallica verſione Cl. DVPLANIL, quae primum Pariſiis 1775. in 12. prodiit **), Cl. BVCHAN in recentioribus editionibus vſum eſſe, ipſe depraedicat. In hac ordinem capitum nonnihil mutatum, paſſim, quantum ex collatione cum recenſione iſta patet, quaedam omiſſa, hinc inde, praeſertim in prophylaxi morborum, acceſſiones factas, appendicemque de remediis eorumque formulis ſubiunctam eſſe, iam non vlterius commemora-

*) Vol. XXI. p. 580.

**) Conf. Comm. Lipſ. Vol. XXVII. p. 607.

morabimus *), ad ea potiſſimum reſpecturi, quae Cl. SPRENGEL in verſione ſua praeſtitit. Nimirum in praefatione iuſtum pretium cognitionis medicae in iis, qui medicinam non faciunt, conſtituit, vt nempe a morbis ſibi cauere diſcant, non autem protinus, niſi theoria ſufficiente inſtructi, remedia ipſa in vſum ducant; primarium igitur huius operis vſum conſiſtere in regulis diaeteticis; inde a cap. 44. (quod in prima editione eſt partis 2. caput 34.) Cl. BVCHAN pleraque obiecta ſuperficiarie tantum tractaſſe, ideoque ſe magis extractum quam verſionem verbalem exhibere, et vltimis capitibus inde a 48. (primae ed. 37. ſeqq. quibus vltimum, in ed. pr. non inueniendum, ſubiunctum eſt, cautiones in vſu balnei frigidi et aquarum mineralium complectens) nulla ſupplementa addidiſſe, ne moles libri nimis increſceret. Iam de ſupplementis iſtis doctis quibus interdum quaedam gallici traductoris interſperſa ſunt, diſpiciemus.

Ad caput 1. Ratio demortuorum infantum ad adultos. Lactationis effectus ſalutares in matres. Coniugium quibus ſubiectis diſſuadendum. De veſtitu, alimentis, motu, munditie infantum. Requiſita nutricis. p. 675.

Ad caput 2. De morbis metallifoſſorum ab acido aereo ſiue gas mephitico et aere phlogiſtico ſpecieque eius, inflammabili, atque a vaporibus metallicis per acidum aereum ſolutis. Morbi artificum variorum ex eodem fonte. Morbi militum a deſidia p. 689.



*) Vnicum tantum monemus, in recenſione priori l. c. p. 588, obſcuritatem vel errorem nobis obuerſari videri, quum Cl. BVCHAN differentiam inter tuſſim ſtomachicam et pulmonalem in eo ponat, quod in hac tuſſis inſpirationem comitetur, quod in ſtomachica non ſit. p. 328.

tempore pacis, et a veſtimentis eorum. Scorbutus nautarum: COOKII ad eum praeuertendum ſollertia *); quantum affectus animi hilariores in eo valeant. Diaeta animi litteratis neceſſaria.

p. 700. Ad caput 3. Sollicite diſtinguendum inter appetitum naturalem et praeternaturalem ſiue factitium ad regulas temperantiae ſtabiliendas. Illuſtre CORNARI exemplum. Quae in victu animali obſeruanda ſint: eius ſelectus; morbi ſic dicti gallici boum clariorem ideam non Cl. GRAVMANNO, quippe qui loco glandularum induratarum hydatides viderit, ſed Cl. HEIMIO **) deberi. Secalis cornuti noxae a ſuperflua humiditate, qua phlogiſton acidi ſaccharini ſecalis attrahatur, idque dephlogiſticetur et cauſticum reddatur. Vſtilago et variae plantae frumento admiſtae, earumque noxae. (De reliquo vel huic capiti, vel 31. vbi de aquae corruptae remediis agitur, iam addendum recentius conſilium Cel. BVCHOLZ ***) de puluere carbonis, aquae admiſcendo.)

p. 707. Ad caput 4. enarrantur, quae hinc inde noſtris temporibus ad abrogandam ſepulturam in templis praeſtita ſunt. Sequentia vero Cl. Traductor ob limites ſibi praefixos tranſit, et protinus ad caput 14. (in prima ed. 8. partis II.) de febribus intermittentibus progreditur. Cauſſam earum non adeo in relaxatione ſolidorum, quam ſyſtematis neruoſi debilitate ponendam eſſe: inde limitandas laudes euacuantium, neceſſitatem roborantium cum aduerſus febrem

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 469.

**) PYLS *Repertorium für die öffentl. und gerichtl. A. W. II. B. 1. St. Berlin* 1790. 8. *S. 76. f.*

***) GRENS *Journal der Phyſik* 1792. *V. Band. 1. Heft. S. 3. ff.*

brem ipſam curandam, tum ad praecauendas recidiuas.

Ad cap. 16. de pleuritide. Diſtinctionem in- p. 716.
ter eam et peripneumoniam nec frugiferam in praxi, nec omnino adaequatam eſſe. Magis eſſentiale discrimen inter pleuritidem gaſtricam, mere inflammatoriam, et rheumaticocatarrhalem. Pleuritis ſicca, ſine terrentibus ſymptomatibus ſubdole aegrum brevi tempore gangraena trucidans. Inflammatio pectoris occulta, chronica. Exitus pleuritidis in ſuppurationem eamque inſequentem phthiſin, de quo ſolo Cl. BVCHAN cap. 18. agit; reſolutionem tamen tertia adhuc hebdomade, licet id rarius accidat, exſpectari poſſe, quod Cel. BANG obſeruationibus inprimis conſtitit *). Vtriusque euentus ſigna. Exitus in gangraenam, ſemel tantum a Cl. SPRENGEL obſeruatus. Cautiones in ſanguine mittendo, vbi excretio per ſputa libera eſt et facilis.

Ad caput 20. (9. ed. pr.) Febrem malignam non p. 724.
ſiſtere peculiarem ſpeciem et perperam cum putrida confundi, neque petechias requiſitum eſſentiale illius eſſe; malignitatem febrium in ſola depreſſione virium vitalium abſque cauſſa manifeſta poni oportere.

Ad caput 21. de purpura. Eam nec veteribus p. 726.
incognitam fuiſſe; dari omnino vere criticam; an a miaſmate ſui generis pendeat, ignotum, ideoque cauendum a moliminibus hoc inuertendi, vnde facilis ad Syluianos errores via.

Ad caput 23. (12.) Antiquitates et propaga- p. 732.
tio morbi varioloſi. Contagium non vltra pedem ſe extendit **); non tam peculiari indole virulenta,



*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXXIIII. p. 59.

**) HAYGARTH; vid. Comm. noſtr. Vol. XXVIIII. p. 252.

quam conſtitutione generali aeris eiuſdem expanſionem iuuante, quae etiam in ſymptomata morbi varioloſi diuerſimodo influit; hinc potius epidemicus, quam contagioſus dici meretur. Veriſimillimum, contagium tantum a pure proficiſci; an ab habitu varioloſorum, dubium. Epidemias non ſemper a vere ad auctumnum, ſed interdum contrario modo decurrere, nonnumquam etiam verſus finem demum maligniorem fieri; neque ſemper ſubiecta cacochymica maius periculum ſubire; neque confluentes variolas ſemper malignas eſſe, neque diſcretas periculo vacare. De variolis lymphaticis ſiue cryſtallinis, et ſanguineis. Variorum conſilia ad eradicandas variolas: Cl. MEDICVM *) experientia deſtitutum videri ad conſilia ipſius confirmanda; funiculi vmbilicalis recens natorum expreſſionem **) ob copioſa teſtimonia in contrarium inutilem habendam. De glandulis varioloſis COTVNNII, SARCONII, et inprimis HOFMANNI ***); aſſumtum ab eo humorem putridum iure ab VNZERO taxari, et aſſumto ducto excretorio occluſo exiſtentiam vaſorum lymphaticorum abſorbentium negari non poſſe, niſi ea HOFMANNI mens fuerit, iſta quoque ſpaſtice contrahi et ſicut in hydrope muniis ſuis inepta reddi. De ſymptomatibus variolarum: propenſio in ſomnum ſub initium, ſignum malignitatis, facile in ſoporem tranſiens; conuulſiones ante eruptionem cum ſtridore dentium, tendinum ſubſultu, lacrymis, praeſertim a dentitione aut vermibus, periculoſae. Sudores vniuerſales debilitantes viſcidi, vel partiales capitis et colli, ante eruptionem mali; vniuerſales cali-

*) Eorumd. Vol. XIII. p. 52.
**) Eorumd. Vol. XXII. p. 309.
***) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXXII. p. 660. ſeqq.

calidi lenientes ſub eadem, critici. Euacuationes primarum viarum ſub initium vel ab illarum impuritatibus vel a ſtimulo materiae varioloſae in illas; poſteriores, praeſertim poſt eruptionem ſubſiſtentes, nullo modo iuuandae; hinc aeque errare, qui emeticis vires ſpecificas in prima periodo aſſignent, ac qui diarrhoeam omnino damnent adſtrictioremque alvum omni modo quaerant. Pulſatio vaſorum colli non periculoſa, niſi diutius poſt eruptionem ſubſiſtens aut vehementior. Dolores fixi in partibus internis ſemper attentione digni. Cephalaea poſt eruptionem ſubſiſtens, ſaepe cum debilitate vniuerſali vnicum ſignum malignitatis ſucceſſu temporis demum ſe monſtraturae. Dolores pectoris cum raucedine et pituita in bronchiis iam in primo ſtadio affectionis pulmonis plerumque lethalis praeſagia. Dolores infimi ventris poſt eruptionem variolarum lymphaticarum diarrhoeae periculoſae praecurſores. Malignitas morbi ſaepe 2. demum vel 3. ſtadio ſe prodit. Delirium tacitum cum ſtupore iunctum, praecipue poſt eruptionem praeſagium ſummi periculi a retrogredientibus variolis, quo in caſu duos tantum aegros Cl. Traductori balneis vaporoſis vniuerſalibus fomentisque ex vino et cortice peruuiano ſeruare contigit; ſectio inflammationes internas occultas monſtrauit. Cauſſae huius retrogreſſus: conſtitutio catarrhalis, refrigerium, infarctus abdominales, cutis in corpore de reliquo ſano rigidior et ad inflammationes diſpoſita, purgantia, imo clyſmata, intempeſtiue exhibita. Vſus florum zinci et opii aeque ſalutaris, ac Cl. HVFELAND eum inuenit *), opio cum ipecacuanha iuncta et a quarta ad dimidiam grani partem altera vel tertia quaque hora exhibito (DOVERI puluerem in



*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXXIII. p. 650. 652.

adiectis formulis correctiorem praeſcripſit Cl. tradu-
ctor, vnico exemplo, quo a Cl. BVCHAN receſſit:
opii et ipecacuanhae ſingulorum gr. vnum magneſiae
et ſacchari ſingulorum drachma vna, mixta diuidan-
tur in ſex partes, omni bi- vel trihorio ſumendas).
De variolis abſque ſuppuratione innocue euaneſcen-
tibus (quod phaenomenon ex hypotheſi ſua ſatis in-
genioſe Ill. HOFMANNVS *) explicat) earumque a
variolis ſpuriis diſcrimine annotatio Cl. DVPLANIL.
De vſu acidi vitriolici in ſtadio ſecundo, id tamen in-
commodi habentis, quod fauces nimis irritet aluum-
que crebro adſtringat, quod poſterius a floribus zin-
ci non metuendum, quorum ſub vſu Cl. SPRENGEL
acido vitriolico ſaepe carere potuit. Maturior eua-
cuantium vſus, quamprimum ſuppuratio ſummum
gradum attigerit, lenioribus laxantibus; protinus
poſt exſiccationem ialapa cum mercurio dulci. Va-
riolis ſuperatis ſerum lactis vel infuſum dulcamarae,
graminis et taraxaci per tres vel quatuor hebdoma-
das bibendum, et octauo quoque die purgans inter-
ponendum. Tandem nonnulla de inoculatione, eius
fatis, laudibus, et ſub quibus conditionibus ſiniſter
euentus ab ea metuendus ſit.

p. 762. Ad caput 24. (13.) In quibus morbilli cum
variolis conueniant et ab iis diſcrepent. Venae ſe-
ctio in infantibus tenellis ſcarifationibus et deriuan-
tibus ſupplenda, ne nimium debilitentur. Inflam-
mationis pulmonum diuerſae cauſſae; vnde alii eam
tempeſtiuo corticis peruuiani vſu, alii tartaro emeti-
co praeuertiſſe perhibeant. De rubeolis, a Cl. BV-
CHAN non memoratis: harum a morbillis et ſcarla-
tina diuerſitas. De tumore leucophlegmatico poſt
ſcarlatinam ſuperſtite.

Ad

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXXII. p. 670.

Ad caput 25. de eryſipelate. Variae eius ſpe- p. 768.
cies. Exemplum inflammatorii a ſuppreſſis men-
ſtruis, nonniſi repetitis venae ſectionibus cedentis.
Aliud catarrhalis in femore, in tumorem album ge-
nu degenerantis, omnibus remediis reſiſtentem, nec
niſi ſolutione colophonii in ſpiritu vini curandum.

Ad caput 26. de phrenitide. Perperam phre- p. 771.
nitidem et inflammationem cerebri pro ſynonymis
haberi, quum prior, delirium febrile continuum, al-
terius quidem ſymptoma eſſe poſſit, ſaepe vero ab
aliis etiam cauſſis pendeat. Venae ſectiones in affe-
ctionibus cerebri non nimis ſaepe repetendae; vſus
reſoluentium internorum, praecipue pulueris DO-
VERI, frigidarumque fomentationum. Inflamma-
tio membranarum cerebri a cauſſa gaſtrica. Sym-
ptomata inflammationis tardius accedentia, inter-
dum fomentationibus frigidis fortioribusque anti-
phlogiſticis ſuperanda, ſaepius mortifera: cauſſa ae-
que membranarum ac diploes contuſio.

Ad caput 27. de inflammatione oculorum. Cau- p. 773.
tiones in opii vſu: laudanum ob varios praeparatio-
nis modos ratione proportionis additorumque aro-
matum minus conueniens.

Ad caput 28. (17.) De differentia anginae ca- p. 774.
tarrhalis et inflammatoriae. Noxae gargariſmatum
irritantium in poſteriore. Cauendum, ne venaeſe-
ctionibus nimiis morbus in peripneumoniam tranſeat.
Emeticorum vſus praeſtantior.

Ad caput 35. (24.) Olei ricini et electuarii p. 777.
SELLII ex cortice peruuiano, ſemine cinae, vitrio-
lo martis et melle laudes aduerſus vermes.

Ad caput 36. (25.) Vomitoria in ictero non- p. 778.
niſi recenti, ſolisque ductibus biliariis obſtructis; no-
xia in hepatis ipſius obſtructione vel induratione, in
morbo ab iracundia aut calculis biliariis producto.
In morbo chronico methodus Kaempfiana et reme-

media lente ſoluentia, diutius continuanda. In calculis biliariis aer fixus; oleum ricini non multum pollicetur.

p. 780. Ad cap. 37. de hydrope. Hydrothoracem bis a natura curatum vidit Cl. SPRENGEL, inueteratum ipſe ſanare non potuit; multum tamen leuaminis praeſtitere puluis DOVERI, ſcilla, kermes minerale, ſulphur antimonii et ſimilia. De hydrocephalo. Oedema pedum non ſemper ſymptoma hydropis. De hydrope ſaccato, ouariorum, vteri, peritonaei (omnia a Cl. DVPLANIL). Opilionem in Pomerania nouacula ſibi ipſi vmbilicum reſcindendo ab hydrope ſe liberaſſe, Cl. Tradutor relatum accepit.

p. 788. Ad cap. 38. de arthritide. Fons eius abdominalis. Rigoroſioris diaetae in ea effectus exemplo a Cel. LIEVTAVD memorato. Rheumatiſmum ab ea parum differre. Quaedam de iſchiade.

p. 792. Ad caput 41. de apoplexia. Varii eius gradus; ſigna antecedentia; apoplexia ab iracundia; periodica; gaſtrica; verminoſa; ab abſceſſu cerebri, carie cranii, tophis venereis, ſcabie et arthritide retropulſis, polypis in cerebro vel corde (nerueae nuſquam mentio facta). In ſanguinea arteriotome; in ferosa efficacitas belladonnae *), cui tamen in caſu allegato ſimul ſales neutri iungebantur.

p. 796. Ad caput 43. (32.) Symptomata melancholiae inueteratae a Cl. DVPLANIL enarrata. Vtilitas valerianae, potiſſimum extracti ipſius, et opii aut cum valeriana aut cum ipecacuanha iuncti. In mania venae ſectiones largae, niſi contraindicans adſit; arteriae temporalis ſectio, hirudines venis frontalibus admotae; ſtillicidii vſus inſignis. Paralyſis aut ſponte aut excitato terrore ceſſans; electricitas nonniſi

**) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXIIII. p. 319.

niſi modice adhibenda. De paralyſi, morborum aliorum ſequela. Epilepſia connata negatur cum Illuſtr. TISSOT *). Varia momenta, quae eam ſanabilem vel inſanabilem praenunciant. Valeriana antiepilepticorum princeps.

Ad caput 46. (33.) Aduerſus arſenicum auxilia ab HAHNEMANNO propoſita **); aduerſus mercurium ſublimatum ſales alkalini aqua ſoluti vel hepatis ſulphuris ſolutio aquoſa cum potulentis mucilaginoſis oleoſis et antiphlogiſticis efficacior quam remedium NAVIERII ***). p. 803.

Ad caput 47. (36.) Fluoris albi origo venerea difficulter determinanda. Curatio gonorrhoeae, partium affectarum irritationem tollendo et ſymptomata inflammationis mitigando. Iniectiones irritantes nonniſi duplici ſub conditione locum habent: ſi morbus a ſola debilitate ortus vel ſecundarius eſt, et ſi materia morbifica parum irritat, nec ſymptomata adeo moleſta ſunt. Noxae mercurialium in gonorrhoea. Vtilitas opiatorum in tumore teſticulorum, praeſertim in clyſteribus, adiunctis ſitu horizontali, libertate alui, hirudinibus ad femora, praeſente iam induratione balnea, cataplaſmata ex cicuta aliisque narcoticis, frictiones mercuriales. Gonorrhoeae inoculatio. Ad reſoluendos bubones frictiones mercuriales ad radicem penis et interiora femorum, emeticorum doſes refractae, vt nauſeam tantum ſuccuſſionesque corporis efficiant; ſi autem ſuppuratio auerti nequeat, cauendum a cataplaſmatibus, ſolumque alui apertae ſeruandae ratio habenda, apertura vero naturae committenda, qua facta protinus mercurio p. 804.

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XX. p. 699.
**) Eorund. Vol. XXX. p. 236. ſeqq.
***) Eorund. III. Dec. Suppl. p. 624.

curio dulci et frictionibus ad cauendam reſorptionem vtendum, hisque remediis opii vſus iungendus, vlcerique tantum conſueta digeſtiua imponenda.

V.

*Bergbaukunde. Erſter Band. Leipzig, bey Georg Joachim Göſchen*, 1789. 4. *pagg.* 408. (praeter paginas praefationis, catalogi membrorum ſocietatis etc.) tabb. aenn. 7. *Zweyter Band*, 1790. *pagg.* 468. tabb. aenn. 9.

i. e.

Acta ſocietatis metallicae. Vol. I. II.

Cum anno 1786 Szkleni (Szklenoſ. Glaſshütte) in comitatu Vngariae Barſchienſi prope Schemnicium ad amalgamationis proceſſum obſeruandum perficiendumque mineralogi noſtrorum temporum clariſſimi conueniſſent, IGNATIVS A BORN, F. G. H. A TREBRA, IO. IAC. FERBER, NICOLAVS PODA, ANTONIVS A RVPRECHT, FAVST. D'ELHVYAR, I. F. G. A. CHARPENTIER, IO. HAWKINS, OLAVS HENKEL, fundamenta iecerunt ſocietatis metallicae, per omnem ſparſae tellurem, quae iam bina actorum volumina, laborum ſuorum fructus praeclaros, cum eruditis omninoque monticulturae ſtudioſis communicauit. Priusquam ad horum actorum contenta enarranda nos accingimus, de ſocietate ipſa pauca praefari iuuat.

Vol. I. p. 1 – 8. Initio voluminis primi horum actorum *literae* proſtant *inuitatoriae ſocietatis metallicae* ad orbem mineralogicum a mineralogis, quos diximus, Szkleno menſe Septembri 1786 emiſſae. Agitur ibi de natura et indole ſocietatis metallicae. Tractantur

ab

ab ea geographia phyſica, mineralogia chemiae ſuperſtructa, montium cultura cum mechanica ad monticolarum vſum accommodata, geometria ſubterranea, hiſtoria montium culturae, minerarum excoctio tam fuſoria, quam amalgamatoria. Socii tribus claſſibus continentur: ordinariorum, extraordinarium honorariorum. Ordinarii ſunt viri monticulturae minerarumque excoctionis theoretice practiceque periti: extraordinarii theoretici, qui iſtas diſciplinas ad vſum monticolarum practicum excolunt: honorarii amici, fautores ac patroni monticulturae. Finis ſocietatis eſt, vt, quicquid ad monticulturam ſenſu latiſſimo ſumtam promouendam et excolendam poteſt conducere, colligat cumque ſociis communicet, quo poſſit ab illis in vſum publicum conuerti. — —

Sequitur *primum additamentum ſuper natura ſocietatis metallicae.* Quae in literis inuitatoriis propoſita fuerant, hic ſupplentur, illuſtrantur, corriguntur, definiuntur. p. 9 — 34.

Quodlibet actorum volumen tres in partes diuiditur. Prima pars complectitur *diſſertationes* deſcriptionesque obſeruationum numeris ſuis abſolutarum: altera *epitomas*: tertia *adnotationes* excerptas e literis etc.

Diſſertationes primi voluminis ſunt:

I. *Hiſtoria mineralogica aurifodinarum in montibus Vöröſchpatakenſibus prope Aurariam (Abrudbanya) in magno principatu Transſyluaniae, cum charta petrographica. Auctore* DE MÜLLER, *C. R. conſiliario guberniali et inſpectore rerum montaniſticarum et ſalinarum ſuperiore Aurariae paruae (Salatna) in Transſylvania.* Pauca de metallifodinis Transſyluaniae in vniuerſum praemittuntur. Abrudbanya inter Romanorum Aurarias Dacicas princeps fuit, atque etiamnunc inter aurifodinas Transſyluaniae auri eſt feraciſſima. Non in ipſo pago aurum effoditur, ſed p. 37 — 91.

in

in montibus ſemileucam orientem verſus diſſitis, ad quos pertinent Vöröſchpatakenſes, de quibus a noſtro hic agitur. Primum montium valliumque ſitus atque directio, venaeque metallicae accurate definiuntur, ſaxorumque characteriſtica datur deſcriptio, adiunctis etiam chemicis. Praeter montes primitivos (maxime ſchiſtoſos) et ſecundarios noſter reperit etiam vulcanorum ſuboles, genuinas lauas, craterem immenſum efformantes. Omnino in Transſyluania, maxime in eà parte, vbi metalla effodiuntur, multi ſunt montes vulcanici, de quibus noſter forſitan alia exponet occaſione. Laua Vöröſchpatakenſis, vt in aliis fit regionibus, in argillam plaſticam fatiſcit. Hic illic adſperſae ſunt adnotationes ad hiſtoriam monticulturae harum fodinarum pertinentes. Notabile eſt, noſtrum alicubi reperiſſe ligna in ſtatum mineralem conuerſa, quae aurum continent.

Sequitur deſcriptio formarum, ſub quibus aurum in montibus Vöröſchpatakenſibus occurrit, vbi ſimul de matricibus auri agitur.

*Aurum natiuum.* Aurum natiuum ſolidum in craſſioribus fruſtulis, vel maſſa quadam, WALL. Spec. 402, a. Fruſta pondere 11, 12 adeoque 14 marcarum reperta ſunt. Aurum natiuum ſuperficiale. Rariſſimum noſter credit eſſe; nam quod vulgo ſic dicunt, non vere ſuperficiale eſſe autumat, cum lamellae ſeu membranae ſint iuſto craſſiores. — Aurum natiuum granulare lapidibus inſperſum, WALL. Spec. 402, b. — Aurum natiuum bracteatum, Lithophylac. Born. I. pag. 64. — Aurum filiforme, capillare. — Aurum natiuum dentatum. — Aurum natiuum germinans, WALLER. Spec. 402, c. — Aurum natiuum reticulatum. — Aurum natiuum cryſtalliſatum lamelloſum. — Aurum natiuum cryſtalliſatum pyramidale. — Aurum natiuum cryſtalliſatum

ſatum prismaticum. — Aurum natiuum cryſtalliſatum hexaedrum. — Aurum natiuum cryſtalliſatum octaedrum. — Aurum natiuum cryſtalliſatum compoſitum. — Aurum natiuum cryſtalliſatum irregulare. (Aurum natiuum druſinum, WALLER. Spec. d. CRONST. §. 164. 1 — 3.)

*Aurum laruatum* (aurum mineraliſatum nonnullorum) h. e. regulinum, ſed quod artificiis conſuetis non poteſt extricari. Aurum laruatum pyrite (aurum mineraliſatum pyrita LINN. 152. *Gelf*). Suſpicatur auctor, aurum argentumue pyritis tantum mechanice inhaerere, adeoque non vere illis laruata dici; vt HENKELIVS recte docuiſſe videatur, in pyritis nihil auri ineſſe. — Aurum laruatum minera argenti cinerea (aurum minera argenti cinerea mineraliſatum, Lithophylac. Born. I. 68.).

*Aurum mineraliſatum*, h. e. ſulphure aut acido ita ſolutum, vt phlogiſto ſuo careat, noſtro ignotum eſt. Probat ZIMMERMANNI ſententiam, aurum mineraliſatum aut nuſpiam reperiri, aut, quod probabilius ſit, a nobis non agnoſci.

II. *Examen foſſilis colore variabili e ſilua Hercynia. Auctore* I. FR. GMELIN, *profeſſore Gottingenſi.* Reperitur in ſerpentino: colore eſt aureo habituque ſuo externo ad ſpatum ſcintillans verſicolorum (*Schillerſpat*) appropinquat. Non tamen pro feldſpato poteſt haberi. Characteres huius foſſilis definiuntur externi, experimentaque chemica enarrantur cum eo inſtituta ad principia eius extricanda, vt intelligeretur, qui locus ei in ſyſtemate mineralogico aſſignandus foret. Semiuncia dedit: p. 92 — 101.

Drachm.

| | Drachm. | Gran. |
|---|---|---|
| terrae ſiliceae - | 1 | 45 |
| ferri - - | 0 | 57 |
| terrae aluminaris - | 0 | 43 |
| magneſiae - - | 0 | 27 |
| materiae, quam ſal alcalinus fuſione ſuſceperat, ſed quae acido adfuſo abiit | 0 | 13 |
| | 4 | 0 |

p.102–106. III. *De ochris Berrienſibus in Gallia. Auctore Bar.* DE DIETRICH. Supplentur LEMONNIERII et GVETTARDI harum fodinarum deſcriptiones, doceturque, quibus artificiis ochrae effodiantur.

p.107–126. IV. *Deſcriptio oeconomiae ſtatusque, qui nunc eſt, aquaeductuum fodinarum Burgſtadtenſium ſuperiorum, maxime iuuantium fodinas praeſtantiſſimas, Dorotheam et Carolinam, Clausthalii. Auctore* G. A. STELZNER, *rerum montaniſticarum Clausthalii magiſtro ſuperiore.* Cum tab. aen.

p.127–133. V. *Obſeruationes cum acu magnetica in ſylua Hercynia inſtitutae.* Apparet ex his obſeruationibus, declinationem acus magneticae, quae dudum occidentem verſus facta eſt, iam non amplius illuc fieri, ſed orientem verſus reuerti. Anno enim 1783 declinatio maxime fuit 19° 13′ 6″, anno 1787 18° 40′ 19″. Aurorae boreales maiores in acu magnetica motum oſcillatorium perpetuum generarunt, eiusque declinationem mire affecerunt. — Obiter de diuiſione verſorii, qua geometrae ſubterranei vtuntur. —

p.134–181. VI. *Fragmentum diſſertationis ſuper conditione metallifodinarum in Carinthia ſeculo decimo ſexto. Auctore* CAROLO DE PLOYER, *C. R. conſiliario guberniali Oeniponti in comitatu Tyrolenſi.*

VII.

VII. *De antiqua aurifodina Steinheidenſi in ſylua Thuringica. Auctore* CHR. G. VOIGT, *conſiliario aulico et archiuario Vinarienſi.* p. 182–199.

VIII. *De geneſi hydrargyri et cinnabaris fodinis Horzowizenſibus in circulo Bernunenſi Bohemiae. Auctore* ROSENBAVM. Praemiſſa montium fodinarumque cinnabaris Horzowizenſium deſcriptione noua docetur methodus hydrargyri e cinnabari eliciendi (hoc enim ſub hydrargyri geneſi intelligendum eſt) a ROSENBAVMIO excogitata. Accedit tabula aenea apparatum deſtillatorium ſiſtens. p. 200–216.

IX. *Auri et cupri proceſſus fuſorius Tyrolenſis, communicatus ab* IGNATIO A BORN. p. 217–237.

X. *Theoria amalgamationis, communicata a* FAVSTO D' ELHVYAR, *directore generali tribunalis rerum montaniſticarum in Noua Hiſpania. Ex hiſpanico theotiſce verſa.* Borniana methodus amalgamatoria ab omnibus metallurgis, qui anno 1786 Szkleni conuenerant (inter quos etiam noſter fuit), vnanimi plauſu excepta fuit. Minus de theoria operationum amalgamatoriarum chemica inter eos conuenit. Scilicet diſſenſerunt de rebus magni ſane momenti: de ſtatu auri inprimisque argenti in mineris adhuc latentis tum ante tum poſt vſtulationem cum ſale culinari, deque ratione, qua hydrargyrum bina haec metalla e mineris vſtulatis extrahit. Alii autumabant, aurum argentumque immutabilia ſemperque regulina tum ante, tum poſt vſtulationem eſſe; vſtulatione tantum denudari, adque contactum hydrargyri immediatum disponi; hinc hydrargyrum nihil aliud niſi particulas auri et argenti regulinas diſperſas cogere cumque ipſis copulari. Alii aſſerebant, haec metalla perinde, vt cetera omnia, mutabilia eſſe, adeoque etiam poſſe calcinari. Cogebant inde: partem horum metallorum in mineris ſulphuri iunctam pariter, ac omnia alia metalla ſimiliter p. 238–263.

conſtituta, naturae eſſe plus minusue calciformis; inter vſtulationem minerarum cum ſale culinari aurum et argentum, ſaltim ex parte, in ſtatum ſalinum tranſire, maximeque ab acido muriatico ſolui; hydrargyrum cum mineris vſtulatis tritum inprimis partem acido ſolutam appetere, ſalesque inter vſtulandum ortos per affinitatem duplicem decomponere, id quod toties fieri conſtat, quoties metalla acidis ſoluta per alia metalla praecipitantur. Inter eos, qui poſteriorem tuerentur ſententiam, etiam noſter fuit. Igitur ad eam firmandam multa deinceps tentamina inſtituit, ſic vt numerum non ſpernendum obſeruationum nouarum priusque prorſus ignotarum colligeret. Nata hinc eſt theoria amalgamationis, cuius hoc loco initium ſiſtitur, quaeque ſententiae poſterioris veritatem ſatis demonſtrat. Cum chemiae haud contemnenda lux inde affulgeat, accuratam huius theoriae recenſionem dabimus.

Quatuor continetur diſſertationibus. Prima de metallorum differentia quoad eorum poteſtatem in calces abeundi agit. Altera ſpectat acidorum vitrioli, nitroſi imprimisque muriatici in aurum et argentum efficacitatem. Tertia demonſtrat, omnia omnino metalla, ſi ſulphuri iuncta ſint, naturae eſſe plus minusue perfecte calciformis, adeoque ſulphur argentum ipſumque aurum mineraliſare poſſe, ſi ſulphuris cum argento auroque connubium eadem, qua cum aliis metallis, ratione contingat. Quarta denique ipſam amalgamationis theoriam chemicam complectitur. Vltima haec diſſertatio duas in partes diuiſa eſt. Prior pars de amalgamatione minerarum vſtulatarum, qua ratione in Hungaria fit, poſterior de amalgamatione minerarum non vſtulatarum, quemadmodum in America peragitur, exponit. De proceſſu amalgamatorio Americano auctor accuratius,

tius, quam nunc potuit fieri, aget, vbi in ipſa America eum diligenter perquiſiuerit.

*Diſſertatio I. Meditationes ſuper differentia metallorum.* Primum de metallis ac ſemimetallis. Notae, quibus ſemimetalla a metallis diſcrepare dicuntur, ſunt volatilitas et abſentia ductilitatis. At enim vel aurum argentumque in variis operationibus metallurgicis vaporum formam induere ac volatiliſari, negari nequit. Praeterea e tentaminibus academicorum Pariſinorum conſtat, ſpeculi cauſtici ardore haec duo metalla in vaporum formam facile conuerti poſſe. Ipſa platina ante tubum ferruminatorium, ſi aëre dephlogiſticato ad ignem augendum vtare, volatiliſatur; id quod EHRMANNI, aërem dephlogiſticatum ad fuſionem materierum refractariarum adhibentis, experimenta apertiſſime docuerunt. Quod ſi quis afferat, calorem foci ſpeculi ardentis a calore furnorum fuſoriorum vulgarium nimium differre, ſpeculorumque cauſticorum vſum tam rarum eſſe, vt furnorum calor ad definiendum corporum reſpectu ignis habitum recte adhiberi poſſit, monendum eſt: definitiones arbitrarias incertasque omni vſu carere; nondum certo conſtare, num aurum argentumque ad formam vaporum induendam ardore foci ſpeculi cauſtici egeant, verosimiliterque calorem longe minorem ad id ſufficere; denique cobaltum regulumque magneſiae nigrae minus volatilia eſſe, quam plumbum ſtannumque, quae tamen metallis nemo non adnumerat. Quod ſpectat ductilitatem, haec proprietas tam in ſemimetallis, quam in metallis reperitur. Omnis differentia in gradu ductilitatis vertitur. Zincum poteſt in laminas admodum tenues extendi, arſenicumque ipſum ad vim exiguam, inprimis cultri, non frangitur. Metalla ductilitatis gradu non minus, quam ſemimetalla, inter ſe diſcrepant. — Apparet igitur, corporum metallicorum

in metalla ac ſemimetalla diuiſionem, vtpote futilem nulliusque vſus, repudiandam eſſe.

Tum de notis, quibus metalla perfecta ab imperfectis diſtinguuntur. Maioris momenti metallorum in perfecta et imperfecta diuiſio eſſe perhibetur. Plurimarum artium, inprimis earum, quae mineras auri argentique ſpectant, tanquam baſis eſt, methodusque amalgamatoria, qua BORNII ingenium metallurgiam adauxit, cum ea arcte cohaeret; vt, num quid valeat, diligenter perquirendum ſit. Metalla perfecta et imperfecta a ſe inuicem eo differre dicuntur, quod imperfecta in ſtatum calciformem redigi poſſint, non item perfecta. Igitur noſter primum calcinationem metallorum via ſicca, tum calcinationem via humida expendit: calcinatio per nitrum nihil eſt aliud, niſi binarum iſtarum coniunctio. Si plumbum igni ſimulque aëris contactui expoſueris, funditur, protinusque ſuperficies cuticula terrea, quae ſplendore metallico careat, contegitur. Quam ſi abſtuleris, noua ſimilis naſcitur, hacque etiam ablata tertia prodit. Quod ſi hoc modo cuticulae deinceps auferuntur, tota maſſa in ſtatum terreſtrem pedetentim conuerti poteſt. Si hanc materiam terream poſtmodo examines, intelligas, metallum hac operatione non modo diuiſum, ſed etiam indolis ſuae mutationem notabilem paſſum eſſe. Periit ductilitas priſtina: abiit metallicus ſplendor: mutatus eſt color: volumen increuit: pondus ſpecificum decreuit. Ponderoſior eſt calx metallo regulino. Igni expoſita longe difficilius liquatur, maſſaque liquata nec faciem metallicam nec colorem plumbi recuperat, ſed ex viridi flauet ac plus minusue pellucida eſt. Tantummodo puluere carbonario alioue corpore phlogiſtico adiuncto forma priſtina redit, ſic vt ponderis augmentum euaneſcat. Calx acidis ſolvitur,

vitur, sed tranquille ac sine effervescentia *), interque solutionem nihil fluidi aëriformis euoluitur. Cum terris potest colliquari, vitraque sic generat colorata, plus minusue pellucida: e contrario plumbum regulinum omne cum terris connubium respuit **). Cuprum, ferrum, stannum omniaque semimetalla simili processu in calces possunt conuerti, sed natura earum diuersissima est. Nonnulla, vt wismuthum stannumque, ad calcium naturam induendam exiguo calore, alia, v. g. cuprum, intensiore indigent. Niccolum cobaltumque, pura si sunt, ignem vehementissimum requirunt. Ferrum in calcem abit, priusquam funditur: arsenicum fere eodem tempore, quo liquescit: reliqua metalla citius tardiusue, postquam liquata sunt. Inprimis focus speculi caustici ad metalla calcinanda efficax est, sed scintilla electrica adhuc citius calcinat. Calces vnius eiusdemque metalli saepe admodum inter se discrepant, prout ignis gradus, metalli quantitas phlogistique in calce relicti ***) portio comparata sunt. Calcinatio metallorum via humida per aërem, aquam, inprimisque acida peragitur. Saepe plures harum causarum iunctis viribus agant necesse est. Constat, cuprum, ferrum



*) Dummodo inter calcinandum nihil acidi aërei absorbuerit: tum enim pariter effervescet, sed fluidum aëreum, quod sic extricatur, alius est indolis, quam quod solutio plumbi regulini in iisdem acidis explicat. Idem valet de ceteris metallis eorumque calcibus.

*) Etiam cetera metalla cum nulla terra, neque cum calcibus metallicis, ne suis quidem ipsorum, coniungi se patiuntur.

*) Hypothesin Stahlianam auctor hoc loco, tantummodo vt melius intelligatur, sequitur, cum notissima sit.

omninoque omnia metalla, quae imperfecta audiunt, in aëre libero ſplendore ſuo facieque metallica orbari, tandemque rubigine obduci, quae eſt genuina calx metallica. Idem ipſis accidit, ſi aliquamdiu aquae immerſa iacuerunt. Haec tamen mutatio non in omnibus metallis aeque cita eſt. Mox notabiliterque in ferro cernitur, paulo tardius in plumbo, in nonnullis poſt longum demum temporis ſpatium. Si metallum acidis ſoluitur, ex ipſius ſuperficie exiſtunt bullae aëreae, quarum euolutio motum ciet, qui efferueſcentia dicitur, ac tamdiu durat, donec metalli nihil non ſolutum aut calcinatum ſit. Quamdiu ſolutio durat, liquor eſt turbidus, ſed breui poſt clarus limpidusque fit. Si quid alius metalli ſolutionem decomponere valentis ingeras, metallum ſolutum in eius ſuperficiem praecipitatur, recuperatque priſtinum ſtatum regulinum. Sin ſolutio ſale alcalino, calce, terra ponderoſa, magneſia aut terra aluminati decomponitur, praecipitatum faciem gerit terream. Caret colore, ſplendore, ductilitate metalli ſoluti: pondus ipſius ſpecificum minus eſt, ſed pondus abſolutum calorque ſpecificus increuerunt. Reſpectu acidorum aliter, quam antea, comparatum eſt, cumque nullis metallis connubium init, ne cum eo quidem, ex quo ortum ſuum duxit. Sine additamento ſi funditur, nullas exſerit proprietates metallicas, ſed maſſam vitriformem generat: cum terris colliqueſcit: priſtinam formam recipit, ſi cum corporibus phlogiſticis igne tractatur. Verbo: omnes habet proprietates metalli igne calcinati, adeoque nihil eſt aliud, niſi vera ac genuina calx metallica. Haec ſunt communia omnibus metallis phaenomena, ſi actioni acidorum exponuntur: ſed praeterea magnum inter ea diſcrimen hoc reſpectu intercedit. Non omnia metalla aeque facile in quolibet acido ſoluuntur: cum aliis hoc connubium citius

eum

cum aliis tardius abſolvitur: in aliis ſolutio etiam in frigore fit, alia ſunt calore iuuanda. Alia metalla penitus ſoluuntur; alia tantum in calces corroduntur, ſic vt nihil eorum menſtruum ſubeat. Non omnia acida cum metallis eandem ſubſtantiam aëriformem elaſticam gignunt, neque etiam idem acidum cum omnibus metallis. Si metallum ex hisce ſolutionibus per aliud metallum praecipitatur, recuperat, quod inter ſolut onem amiſit, faciemque exhibet priſtinam, quocunque tandem metallo praecipitetur *). Sed praecipitata ſalibus alcalinis terrisque excuſſa longe alius ſunt indolis, interque ſe discrepant non modo reſpectu metallorum ipſorum, ſed etiam ratione ſolutionis eiusdem metalli pro varia natura ſubſtantiarum praecipitantium varioque gradu dephlogiſticationis praecipitati. — Iam auctor inquirit, quatenus metalla, quae perfecta dicuntur, ab his legibus diſcedant, numque ideo diſcrimen aliquod inter corpora metallica conſtituendum ſit. Et primum quidem de hydrargyro agit, quod inter haec et cetera metalla medium locum tenere videtur. Hydrargyrum ob inſignem, qua gaudet, volatilitatem, igne minus facile, quam metalla memorata, calcinatur. Admodum longa et taedioſa eſt haec hydrargyri in calcem converſio. Puluis ruber, qui hac operatione obtinetur, ſplendore caret metallico, non liquidus eſt, minus volatilis, quam hydrargyrum, ac pondere ſpecifico minore: cum terris copulari ſe ſinit, vitraque tum generat. Cum acido nitroſo nihil exhibet aëris ni-



*) Nonnullis horum praecipitatorum aliquid terrei adhaeret. Eſt haec, vt BERGMANNVS docuit, pars metalli praecipitantis, quod in hac operatione calcinatur.

troſi. Vno verbo: natura ſua et indole ab hydrargyro regulino mirum quantum discrepat; calx eſt metallica. Solutiones huius metalli eadem, quae ceterorum metallorum ſolutiones, phaenomena exhibent; quae phaenomena ipſius dephlogiſticationem ſatis ſuperque demonſtrant. Hae ſolutiones ſi aliis praecipitantur metallis, hydrargyrum prodit regulinum; ſin ſale alcalino aut ſubſtantiis terreis turbantur, praecipitata fiunt conſpicua eiusdem naturae, cuius eſt calx mercurialis igne parata, adeoque ſunt calces metallicae via humida natae. Aurum argentumque via ſicca poſſe calcinari, docent tentamina academicorum Pariſinorum cum ſpeculo cauſtico inſtituta, EHRMANNI cum aëre vitali, denique ſcintillae electricae in laminas filaque aurea argenteaque vires. Aurum in hisce proceſſibus calcem coloris purpurei dat: color calcis argenti nondum accurate definitus eſt *) Experimenta cum ſpeculo cauſtico et a MACQVERO in furno porcellanae coquendae inſtituta calces dederunt coloris oliuacei. Etiam BERGMANNI tentamina rem comprobant: etenim vtrumque metallum non modo ante tubum ferruminatorium calcinauit, ſed etiam cum fluxibus vitrificavit, hocque modo vitra obtinuit colorata. Quod platinam attinet, etſi hucusque ad haec tentamina tantummodo impura platina adhibita fuit, vt, quid ſit ſentiendum, nondum liceat certo definire, tamen probabile eſt, etiam platinam puram poſſe calcinari, quamuis, vt videtur, difficilius auro argentoque. Clariſ-

*) Definitus eſt. Cf. *Beſchreibung einer ungemein groſſen Elektriſier-Maſchine und der damit im Teylerſchen Muſeum zu Harlem angeſtellten Verſuche durch* MARTINUS VAN MARVM, *erſte Fortſetzung, aus dem Holländiſchen. Leipzig*, 1788. 4. *S.* 19.

Clariſſimus quidem MORVEAV laminam e platina confectam igne electrico calcinauit inque fumum convertit. Nitro nulla eſt in aurum argentumque vis: ſed platina per hunc ſalem calcinatur. Tria haec metalla ſi acidis ſoluuntur, eadem, quae cetera metalla, phaenomena exhibent. Omne, quod hic cernas, discrimen gradu continetur. Praecipitata, quae ex his ſolutionibus alia metalla excutiunt, pariter ſunt perfecte metallica ſiue regulina *); ſed quae per ſales alcalinos aut ſubſtantias terreſtres deturbantur, omnes habent proprietates generales praecipitatorum ceterorum metallorum eadem ratione paratorum, adeoque verae ſunt calces metallicae **). Forſitan ali-



*) Dephlogiſticatio *omnium* metallorum per menſtrua acida ſtatusque calciformis, in quem metalla ſic rediguntur, nullo argumento certius demonſtrantur, quam phaenomenis, quae harum ſolutionum per alia metalla praecipitationem comitantur. In his operationibus metallum praecipitans acido ſoluitur, dum ſolutum praecipitatur. Itaque illud phlogiſto ſpolietur neceſſe eſt. Hoc phlogiſton cum acido aut aliquo eius principio vnitum tanquam fluidum aëriforme auolaret, niſi libentius cum calce metallica in ſolutione latente coiret, eamque reduceret. Ideo his in operationibus deeſt efferuescentia, praecipitataque regulina apparent. Huic legi vniuerſali metalla perfecta perinde, vt reliqua, adſtricta ſunt. In praecipitationibus ſolutionum ipſorum eadem apparent phaenomena, adeoque hinc eadem concludenda ſunt.

**) Sunt, qui horum trium metallorum praecipitata per ſales alcalinos terrasque parata, productaque, quae ex ipſis via ſicca obtinentur, metalla ipſa regulina in particulas minutiſſimas redacta, ceteroquin nihil

quis obiecerit, cum auri, argenti platinaeque praecipitata, nulla materie phlogiſtica addita, reduci poſſint, quod cum metallorum imperfectorum calcibus fieri nequit, dubitari poſſe, an verae ſint calces metallicae. Hoc vt argumento primario vtuntur, qui diſcrimen tam inſigne inter metalla ſibi videntur reperiſſe. At enim vero facile poteſt demonſtrari, hoc argumentum e praeiudiciis, non e perquiſitione accurata reductionum metallorum dependere. Nam primum falſum eſt, calces trium iſtorum metallorum per ſe ipſas poſſe reduci, nulla adiuncta ſubſtantia, quae phlogiſton calcinatione abactum reſtituere poſſit, hancque ſubſtantiam, qualiscunque tandem fuerit, nihil hac in re diſcriminis efficere. Euictum eſt, non quamlibet ſubſtantiam inflammabilem ad reductionem omnium calcium metallicarum aeque accommodatam aptamque eſſe. Id quod aliter eſſe non poteſt, cum gradus affinitatis ipſarum cum phlogiſto non iidem, ſed diuerſi, ſint. Solus contactus aëris inflammabilis acido arſenicali via humida faciem impertit metallicam. Nonnullae aliae calces metallicae, non omnes, perinde ſeſe habent. Paullulum phoſphori ſi auri, argenti cupriue ſolutioni admiſceas, haec metalla ſub forma completa ſ. regulina praecipitantur: ſed in reliquorum metallorum ſolutioni-

nihil prorſus immutata, eſſe cenſeant. Sed aut omnis chemia luſus eſt ingeniorum, aut diuerſa corpora cenſenda ſunt, quorum natura viresque diuerſae ſunt. Iam cum iſta producta alia phaenomena exhibeant, quam metalla, quibus ortum debent ſuum, etiam natura ſua ab illis diſcrepent oportet; cumque ratione proprietatum ſuarum habita cum ceteris calcibus metallicis congruant, non poſſunt non calces metallicae dici haberique.

tionibus hoc non fit. Vitriolum martiale aurum e menſtruis ſub forma regulina deturbat: ſed aurum ſolum metallum eſt, cui hoc accidat. Ad calces plumbi reducendas minus, quam in ceterorum metallorum reductionibus, intereſt, quanam materia phlogiſtica vtare. Auri, argenti platinaeque calces cum his ſubſtantiis phlogiſticis facile reducuntur; quid, quod illis phlogiſton eripiunt, quae eius tenaciſſimae ſunt. Materia caloris lucisque, in qua phlogiſton ineſſe, phaenomena innumerabilia euincunt, horum metallorum calces facilius, quam ceterorum, reducit. Hoc ſolum eſt diſcrimen, quod *facilius* reducit: nam etiam reliquorum metallorum calces plus minusve perfecte per calorem lucemque reducuntur. Hydrargyri quidem calces ſine vllo alio additamento faciem recipiunt metallicam: nonnullae plumbi calces perinde ſe habent: ferri calx igni ſola expoſita magneti fit obſequioſa, adeoque ad ſtatum regulinum accedit: nonnullorum aliorum metallorum calces, ſi igne ſat vehementi ſolae vruntur, aërem dephlogiſticatum perinde exhibent, vt calces mercuriales, quod documento eſt, ipſas ad ſtatum completum pariter appropinquare. Calx magneſii nigra, ſi ſimiliter tractatur, ſaltem ex parte albeſcit. Suſpicatur auctor, pluribus tentaminibus inſtitutis nos tandem eo peruenturos eſſe, vt omnes calces hoc modo perfecte reducamus. Igitur etiam hic nullum aliud apparet diſcrimen, niſi quod gradu ſpectatur, omniſque hoc ſolum diſcrimen in naturae productis proceſſibusque detegere licet.

Ex his, quae dicta ſunt, apparet: nullam aliam inter metalla dari differentiam, niſi qua ſingula natura ſua diſtinguantur; in omnibus metallis easdem reperiri proprietates, ſed gradu inter ſe diuerſas; hinc claſſes metallorum, quarum limites accurate definiti ſint, non dari, neque etiam aſſumi poſſe, niſi

niſi naturae, quod ipſi non competit, obtrudere velis. Quod ſi ad corpora naturalia in claſſes dirimenda differentiae tales, quales inter metalla locum habent, ſufficerent, liceret v. c. vini ſpiritum, cum ſpeculo cauſtico ferroque candefacto non accendatur, a corporibus inflammabilibus ſeparare. Qua ratione omnem naturae ſcientiam perturbari, quis non intelligit? —

p. 264–282. XI. *Experimenta et relationes ad proceſſum amalgamatorium promouendum comparata. Communicata a* F. G. H. DE TREBRA. Primum deſcribuntur experimenta cum apparatu paruo ad imitationem eius, quo monticolae vtuntur, conſtructo ab auctore inſtituta. Is apparatus in tabula aenea ſiſtitur. Regulum arſenici cum hydrargyro copulari poſſe, quod a pluribus negatum, ſed a BERGMANNO demonſtratum fuit, etiam ex auctoris tentaminibus conſequi videtur. — Additur deſcriptio tabulae aeneae apparatum amalgamatorium Ioachimsthalenſem exhibentis.

Epitomae primo volumine continentur hae:

p. 285–304. I. *De ſitu Tauriae naturali, natura et indole ſoli aquarumque ipſius, omnimoque omnibus obiectis regni mineralis, quae ibi reperiuntur. Epitome operis maioris, quod academia Petropolitana anno* 1786 *euulgavit. Communicata a Principe* DEMETRIO GALLIZZIN *Hagae Comitum.* Sita eſt Tauria inter 50° et 55° longitudinis, et inter 45° et 47° latitudinis. Septentrionem verſus extenditur vsque ad gubernium Catharinoslawenſe, verſus orientem terminatur mari Aſowienſi ac flumine Cubanenſi, verſus auſtrum et occidentem mari nigro. Quatuor ſunt eius partes: planities, montana regio, peninſula Kertſch et Inſula Taman. — *Planities* conſtat e planis ampliſſimis, quae a Boryſthene ad Perecopium, indeque ad flumina Salghir et Boulghanak occidentale extenduntur

tur. Reperiuntur ibi plures lacus ſalſi, fontes aquae ſalſae, corporaque marina petrefacta, id quod videtur demonſtrare, hanc Tauriae partem olim ſub aquis marinis latuiſſe. Solum eſt argilla flaua in ſuperficie miſta humo rurali ſalique copioſo. Fertilitas ſoli inaequalis eſt, atque ab humo rurali et humiditate ſoli dependet. Solum bonum paſcendis pecudibus variisque culturae generibus aptum eſt, ſed caret arboribus, qui tamen defectus ſatione facile poſſet ſuppleri. Aquae fluminum riuorumque parum probantur, cum in ſolo limoſo tardiſſime proſerpant. Puteales ſaepe ſalſae, interdum inſipidae ſunt, ac plus minusue partium ſalinarum continent, ſed putei circa Koslow aquam dant optimam. Lacus ſalſi mari vicini ſunt, ſolumque leuiter inclinatum, quo a mari ſeiunguntur, conſtat e fragmentis teſtaceorum ac ſabulo marino; vnde cogas, lacus iſtos fuiſſe olim ſinus maris, atque etiam nunc ſubterraneam inter illos hocque communicationem intercedere; nam etſi incredibilis copia ſalis quotannis inde extrahitur, non tamen exhauriuntur, quamuis riui incidentes aquam dulcem aduehant. Parum hi lacus profundi ſunt, ſolumque aliorum ſabuloſum, aliorum argillaceum eſt. Sal calore aeſtiuo ingenti elicitur, ſic vt nullo ad id hominum labore aut artificio opus ſit. Aeſtate pluvioſa longe minor eius copia obtinetur. — *Montes* prope Caraſſoubazare incipiunt, ibique viginti leucas ruſticas a flumine Salghir diſtant. E lapide conſtant ſolido, mixto e conchitis ſabulaque craſſiore. Diuiduntur in montes anteriores, medios, et altos ſiue iugum meridionale. Alii videntur e ſedimento aquarum marisque nati, alii ortum ſuum debere igni ſubterraneo, denique alii veſtigia exhibent clariſſima magnarum reuolutionum, quas per ignis ſubterranei vehementiam paſſi ſunt. In hac regione montana inſignes cernuntur cataractae, quarum quae ad

Akar-

Akar-ſou eſt, maximam attentionem meretur, cum aquarum caſus perpendicularis $\frac{1}{18}$ leucae ruſſicae efficiat. Magnus in montibus cauernarum numerus reperitur, quas priſci huius terrae incolae excauarunt. Quod producta ſpectat vulcanica, proſtant 1) pumices nigricantes, 2) fragmenta inſignia argillae durae ſolidaeque cum pyrite ſulphureo cryſtallique fatiſcentes, 3) quatuor lauae ſpecies. Vna ſpecies eſt admodum ſolida, plenaque cryſtallis ſchorlaceis nigris: altera e griſeo virideſcens, poroſa, plena granis vitreis ac tanquam immerſa vitro albo et viridi: tertia terrea, fuſca, inſtructa cryſtallis ſchorlaceis exiguis coloris nigri: quarta obſcure griſea aut nigra, cauernulas hic illic exhibens repletas cryſtallis nigris albisque fatiſcentibus. Haec exempli cauſa ex inſigni penu obſeruationum oryctologicarum hic poſitarum. — *Peninſula Kertſch* 20 — 21 leucas ruſſicas longa, 20 — 50 lata eſt. In introitu plana, aperta, poſt colles, denique prope Kertſch montes adeo exigui apparent. Litora maris nigri et Aſowienſis hanc cingentia peninſulam altiſſima ſunt, praerupta maximamque partem argillacea. Inter colles reperiuntur lacus ſalſi, quorum plerique modo per iſthmos tenues, e ſabulo marino conchisque compoſitos, a mari ſeiunguntur. Iſthmus Arabat peculiarem peninſulae partem conſtituit, e ſabulo conchisque conſtat, lacusque nonnullos ſalſos continet. In montibus caeruleum Berolinenſe natiuum occurrit. Ad vnius leucae ruſſicae diſtantiam a Yenikale fontes aquae ſalſae e terrae viſceribus petroleum educunt: ſolum argillaceum hos fontes circumdans in ſuperficie petroleo imbutum eſt: petroleum picis inſtar nigrum eſt, facileque igni admotum inflammatur. Quinque leucas ruſſicas inde ad ſeptentrionem et occidentem diſtat lacus ſalſus in montis vertice, plenus limo nigro ſulphureo. Odorem exhalat ouorum putrido-

tridorum, heparque ſulphuris plantis huius lacus adhaereſcit. — *Inſula Taman* circiter ſexaginta leucas ruſſicas longa eſt: maxima latitudo quadraginta, minima viginti efficit. Solo eſt argillaceo, collibus obſita, admodumque excelſa. In parte meridionali ſolum eſt ſabuloſum, inprimis circa Limanum Cubani, vti ampliſſimae ſalinae lacusque ſalſus occurrunt. Sal aeſtate paratur. Inſula nebulis admodum obnoxia eſt, vnde etiam nomen accepit: etenim Touman turcice nebulam ſignificat, ac MÜLLERVS docuit, hanc inſulam a Turcis non Taman, ſed Touman appellari. Ad quinque leucarum ruſſicarum diſtantiam ab oppido in cacuminibus collium argillaceorum foramina reperiuntur limum ſalſum eructantia. Alia eorum deſierunt iam eructare, alia etiamnunc limum obſcure griſeum petroleoque imbutum euomunt. Colles hi fere rotundi ſunt, aperturam habent exiguam rotundam, in medio apice, ex qua limus ſub bullae forma euehitur et quaquauerſus extenditur. Solum circumiacens ſterile eſt, interdumque ſale tectum Glauberiano, quo etiam limus ſiccatus contegitur. Circa foramina ſolum eſt fiſſum ac mobile. In vicinia foraminum adhuc vomentium calor quidam ſentitur, etſi limus eructatus tactu frigidus reperitur. Adde, quod tempeſtate calida longe plus, quam frigida, euomitur. Ad viginti leucarum diſtantiam a Taman fontes ſalſi petroleum dant copia multo maiore, quam ipſa illa foramina. Limus etiam illic per aperturam rotundam prodit: ſed omnes fontes ſalſi aqua ſalſa limoſa pleni ſunt, cui petroleum innatat. Petroleum hoc interdum efficit ſtratum vnum circiter pedem altum, longeque craſſius eſt ac magis nigrum Yenikalenſi. Solum fontes circumdans maximam partem nihil aliud eſt, niſi ſchiſtus margaceus, ſubgriſeus et ſubflauidus, petroleo ſaturatus, qui in aëre libero in laminas tenues fatiſcit,

ſcit, adque alumen conficiendum poteſt adhiberi. Ad brachium meridionale fluminis Kuban fontes naphthae purae eſſe dicuntur. Hoc petroleum tam volatile eſt, vt Solano flante ipſius vapores vel in media peninſula Tauriae odorari poſſis. — *De climate et indole aëris.* Clima Tauriae calidum eſt. Inſignis copia arborum plantarumque, inprimis fructus delicatiſſimi, qui aëre in libero perfecte matureſcunt, hoc ſatis ſuperque demonſtrat. Calor tres quartas partes temporis annui perdurat, naturaque vt priſtinas vires hyeme fractas recuperet, quatuor menſes interdumque minus temporis ſpatium ſufficiunt. Ver menſe Martio incipit, aërisque calor ab eo inde tempore paullatim ad ſummum ardoris gradum euehitur, qui ſaepe a medio Iunio ad finem vſque Auguſti durat. Semper tamen temperatur a ventis vehementibus conſtantibusque, qui admodum regulariter ab hora decima antemeridiana ad ſextam pomeridianam flant. Pluuiae frequentes, ſaepe cum tonitru vehementiſſimo coniunctae, etiam ad aërem refrigerandum conducunt. Menſes September et October tempeſtatem efficiunt ſuauiſſimam. Moderatus tunc eſt aëris calor coelumque ſerenum; id quod ad medium vsque Nouembrem continuo durat. Decembri menſe frigus nixque, ſed inconſtanter, apparent: glacies ſemper intra duos tresue dies euaneſcit, ac Ianuario dies calidi amoenique neutiquam rari ſunt. Solani et Aquilones conſtantiſſimi ſunt: hyeme vehementer ſpirant, niuemque ac frigus aduehunt. Autumno et vere coelum reddunt nebuloſum, aeſtate aërem refrigerant ac purgant. Omnes ceteri venti ſunt fere inconſtantes. Africo pariter eſt character peculiaris. Violenter ſpirat, frequentiſſime tempore autumnali, tuncque calor ſentitur aëris peculiaris cum ſiccitate coniunctus, etiamſi coelum tunc temporis tectum ſit. Igitur probabile

fit,

ſit, hunc ventum eiusdem eſſe naturae, cuius ſunt tempeſtates calidae in Perſia aliisque Aſiae regionibus. In vniuerſum maior calor frigusque vehementius in planitie, quam in montibus, ſentiuntur, pluviaque illic tempore aeſtiuo rarius cadit. Alius ventus e genere inconſtantium, qui in prouincia Balouclava aliisque locis litoris meridionalis obſeruatur, pariter meretur attentionem. Vndarum maris impetu actarum inſtar violenter incipit, breui ſedatur, memorabilemque generat calorem inque aëre fortem odorem, quamquam plerumque poſt ſolis demum occaſum ſpirat, et a mari oritur. Aëris conſtitutio, ſi aërem circa mare Aſowienſe excipias, vbiuis ſaluberrima eſt. Nulli hic morbi endemii regnant, occurruntque fere febres intermittentes et acutae, ac dyſenteria, quae circa finem aeſtatis apparent, facileque poſſent caueri, ſi incolae a refrigeratione ſeſe melius defenderent, fructibusque immaturis abſtinerent. Peſtis in Tauria nunquam nata eſt, ſed ſemper e terris Turcicis illuc translata, morbique illius terribilis, quem Aſtracanenſes morbum Crimmenſem vocant, hic tantummodo nomen cognitum eſt, nec quenquam de eo loqui audias.

II. LEIBNITII *tentamina ſucceſſu deſtituta cum machinis montaniſticis ſyluae Hercyniae. E ſcriptis archiualibus communicata a* F. G. H. DE TREBRA. Inſtituerat LEIBNITIVS, cum aquae ad machinas mouendas iuſtae deeſſent, hunc defectum vento ſupplere, ſed res ſucceſſu caruit. Iam CALVÖRIVS de tentaminibus Leibnitianis fuſe expoſuit. Hic longe accuratius de iis clariſſimus TREBRA coepit agere. p. 305–324.

Adnotationes primi voluminis ſunt:

I. *De monticultura hodierna relationes.* Breuiter narratur, quomodo noſtris diebus comparata ſit quaeque augmenta ceperit monticultura in imperio Auſtriaco, Saxonia ſuperiore, Saxonia inferiore, p. 327–336.

Germania meridionali, regno Boruſſico, Heluetia vicinisque montibus Sabaudiae, regnis ſeptentrionalibus, Magna Britannia, Gallia, regno Hiſpanico.

p. 337–360. II. *Obſeruationes mineralogicae ſuper montibus in itinere Praga Ioachimsthalium facto. Auctore* CAROLO ANTONIO RÖSSLER, *C. R. conſiliario aulico et inſpectore rerum montaniſticarum ſuperiore in Bohemia.* In prima ſectione montes (maximam partem arenacei) pertractantur a Praga vsque ad Foratſchen pone Kolleſchowitz procurrentes. Notabile eſt ſtratum lithanthraceum Buſtichradenſe ditiſſimum, cuius pars ante plures annos caſu ignem cepit, qui nondum potuit, quantumuis laboraretur, exſtingui. De lapidis arenacei et granite fatiſcente et aquis eloto origine. — Altera ſectio ſpectat montes anteriores prope Foratſchen vsque ad eminentiam Giſshübelenſem. Granitici ſunt. Granites hoc loco compoſitus eſt 1) e feldſpatho dilute rubro, quarzo albo granis mediocribus, nulla mica, 2) feldſpatho rubro, multo quarzo, nulla mica. Etiam baſaltes hic reperitur. Hac occaſione de baſaltae origine noſter breuiter agit. FERBERI auctoritate ſuffultus credit, plures montes e baſalte conſtantes veras eſſe vulcanorum progenies; ſed negat, omnes huiusmodi montes ortum habere vulcanicum. Vel baſalten columnarem contendit via humida naſci potuiſſe. Omnino tales montes negat pro vulcanicis haberi poſſe, niſi veſtigia adſint certiſſima vulcani olim igniuomi iamque exſtincti. — Tertia ſectio tractum ab eminentia Giſshübelenſi ad thermas vsque Carolinas deſcribit. Etiam hic granites dominatur. Varietates illius hic reperiundae deſcribuntur. De granitis prophyritas aemulantibus. — Denique quarta ſectio regionem ſpectat a thermis Carolinis ad Ioachimsthalium vsque. — De montibus Ioachimsthalenſibus ipſis in continuatione differetur.

III.

III. *Extractum e diario super itinere Hannovera ad regiones Rheni superioris fodinarumque hydrargyri Palatinatus anno* 1787 *instituto. Auctore* O. F. LASIO. Tabula aenea addita est, in qua a mari Balthico vsque ad montem Bructerum variae montium altitudines exhibentur. Multae insperſae sunt obſeruationes ad Germaniae vulcanos exſtinctos pertinentes. p. 361–393.

IV. *Extracta ex epistolis:*

1) I. HAWKINS. De mineralogia Graeciae. Geologia huius terrae dignissima est, quae a naturae scrutatoribus diligenter excolatur. Denudationes stratorum, e quibus montes constant, inprimis in litoribus insularum Archipelagi, studium structurae interioris horum montium admodum facilitabunt. Omnes propemodum primitiui sunt, ac praeter saxa iam in Germania cognita nonnulla noua priusque incognita continent. Omnes metallifodinae antiquorum temporum in Attica, Macedonia, Thracia, Thaso, Siphno et Cypro iam neglectae obliuionique traditae sunt. Vidit tamen H. aliqua earum vestigia propemodum deleta iuxta montem Laurium in Attica, Siderocapsae in Macedonia, et Solcae in Cypro. In singulis his locis reperit ingentes scoriarum aceruos, atque Siderocapsae argentifodinam magni pretii, quam 150 Graeci colerent. Descriptionem huius argentifodinae actis societatis metallicae inserendam se curaturum esse, pollicetur. Misera est monticulturae minerarumque excoctionis ibi ratio ac remotissima a nostra perfectione. — Nullus in omni oriente locus geologorum attentionem magis meretur, quam Thera insula (*Santorin*), vicinaeque insulae minores nuperioribus temporibus exortae. In geologia harum insularum serutanda octo dies H. occupatus fuit, iamque in eo est, vt eius descriptionem cum mineralogis communicet. p. 394–395.

p. 396–401. 2) D. GROSCHKE. Primum deſcribitur ſaxum e columnis baſaltae compoſitum in litore meridionali inſulae Scoticae Mull, cuius effigiem tabula aenea in titulo huius voluminis expreſſa exhibet. Obiter de Staffa. Zeolithus ſiliceus coloris flauide viridis, qui Dunglaſſi prope Dumbarton in Scotia reperitur, cum Prehnite e capite bonae ſpei allato quoad principia penitus congruit, eandemque cum illo polituram admittit. Cryſtalliſatio ac ſtructura primum noſtrum mouerant, vt aliquam inter duo haec foſſilia affinitatem intercedere ſuſpicaretur. Quae ſuſpicio aliquot tentaminibus cum acidis et ante tubum ferruminatorium a noſtro inſtitutis firmata, iamque examine Klaprothiano extra omnem dubitationem poſita eſt. De cryſtalliſatione huius zeolithi. De variis Scotiae ſaxis. In montibus Grampianis ſchiſtus occurrit micae ditiſſimus, qui cum aqua forti effervescit, ſed etiam ad chalybem vehementer ſcintillat. Ceterum hi montes conſtant e gneiſſo, ſchiſto illo calcareo, ſchiſto micaceo, ſchiſto argillaceo, porphyrio et granite. Ad memorabilia montium Scoticorum pertinent etiam terra ponderoſa aërata cryſtallique forma habituque cryſtallis cruciatis ſyluae Hercyniae ſimiles. Vtraque foſſilia Strontiani reperias. Prope ſuperficiem terrae in ſpato calcareo cumque galena occurrit Caſtletowni in Derbyſhire *bitumen* obſcurum nigro-fuſcum *elaſticum*, reſinam elaſticam Cayennenſem tactu et elaſticitate perfecte aequans. — Poſtremo loco de duobus lapidibus nuper demum cognitis inſignis duritiei et ponderis agitur. Altera ſpecies patriam habet prouinciam Indiae anterioris Bengalenſem, iamque per aliquot annos in Anglia cognita fuit, ſpatum adamantinum (*adamantine-ſpar*) ibi dicta. Ab incolis Bengaliae corundum vocatur. Abb. HAÜY in diario phyſico Pariſino eius cryſtallyſationem deſcripſit, ſed falſo putat, ſegmen-

ſegmentem in priſmate ſexlatero vtrinque truncato ſemper adeſſe, adeoque harum cryſtallorum characterem conſtituere. Etenim hoc ſegmentum modo accidentale eſt, pendetque a ſtructura partium, quae cum oblique ſitae ſint, facile ſecedit cryſtalli angulus ſegmentumque illud efformat. In granite hoc foſſile hoſpitatur, id quod noſter in multis vidit ſpeciminibus; vt SAGIVS tantummodo matricem, non ipſum ſpatum adamantinum, vidiſſe videatur, vtpote quod pro granite habeat e quarzo, feldſpato ſchörloque nigro compoſito. Altera ſpecies ſpati adamantini e regno Sinenſi adportatur, nuperrimeque demum in Europam venit. Hoc foſſile in Sina, quemadmodum corundum in Bengalia, in puluerem redactum ad lapides duros ſecandos poliendosque adhibetur. Obſcuro eſt colore, duriſſimum, ponderoſiſſimum. Cryſtalli videntur e laminis conſtare ſex laterum, quae ad alteram extremitatem magnitudine magis magisque decreſcunt. Habet noſter cryſtallum vnum pollicem altam: diameter extremitatis maioris tres quartas partes pollicis, minoris dimidium pollicem efficit. Quotquot vidit ſpecimina, hanc exhibent formam, vt definire non audeat, num extremitates ſemper ſint truncatae, an cryſtallus in apicem excurrat. Matrix etiam granites eſt, conſtans ille e feldſpato rubro, quarzo, mica et ſchoerlo. Clariſſ. KLAPROTH hoc foſſile examinauit. Pondus ſpecificum reperit 3,710. Quinta pars ſpeciminis ad experimentum ſumti (ponderauit 300 grana) fuit ferrum magneticum, quod pro principio ipſius nequit haberi. Ad principia quod ſpectat, reperta ſunt 154 grana terrae aluminaris, et 77 grana terrae a terris quinque ſimplicibus cognitis diuerſae adeoque pro noua habendae. Itaque modo 9 grana perierunt.

3) SCHREIBERI, *inſpectoris fodinarum Galliae.* De mineris nonnullis argenti Allemontenſibus, p. 402–404.

bus, mutationibusque, quas in ſole aëreque libero patiuntur.

p.405–408. 4) Alicuius ex iis, qui ante annos aliquot regis Hiſpaniarum auctoritate e Saxonia in Nouam Hiſpaniam ad monticulturam minerarumque excoctionem ibi perficiendam arceſſiti ſunt. Primo nauigatio Gadibus in Nouam Hiſpaniam breuiter deſcribitur. Montes prope Ialapam e maſſa conſtant baſaltina per vulcanos ingentes paſſa mutationes, nam cauernulas habet vitreas. Ad Pirote occurrunt porphyrius, pumices ſaxumque baſaltinum modo dictum. Magis ad occidentem montes calcarei. In tota hac regione veſtigia cernuntur clariſſima reuolutionis, quam olim telluris cortex ibi ſubiit, vehementiſſimae. —

p.409–ad fin. Sequuntur catalogus eorum, qui ſocietatem metallicam conſtituunt, tabulaque acceptorum et expenſorum.

Tranſimus iam ad volumen alterum.

Vol. II. Primo loco explicatur tabula aenea in titulo huius voluminis expreſſa, ſiſtens cum Rammelsbergii locum, vbi furnus vſtulatorius ingens in inſula Angliae Angleſey vſu receptus aedificatus fuit.

Diſſertationes hoc volumine continentur ſequentes:

p.1-22. I. *Relatio de aurifodina ad la Gardette prope Allemont, communicata a* I. G. SCHREIBERO, *inſpectore fodinarum Galliae. E gallico verſa. Accedit tabula aenea ſectionem huius aurifodinae horizontalem et perpendicularem ſiſtens.* Cum ſumtus non ferret huius fodinae cultura, neglecta fuit.

p.23–48. II. *Examen chemicum cryſtallorum cruciatarum montis St. Andreae ad ſyluam Hercyniam ac ſpati ponderoſi ſolidi Rammelsbergenſis. Auctore* WESTRVMB. *Etſi* Cryſtalli cruciatae (*Kreuzkryſtallen*) montis St. Andreae iam ab HEYERO diligenter ſunt examinatae, noſter tamen earundem analyſin a ſe inſtitutam deſcribere

bere non dubitauit, cum non modo duas earum varietates examini ſubiicere chemico ipſi licuerit, ſed etiam aliam, quam HEYERVS, viam inſtiterit. Quod habitum externum harum cryſtallorum attinet, inſident ſpato calcareo, nonnunquam etiam quarzo. Figura ſunt tabulata. Quaeuis tabula facies habet binas anguſtas, binasque longe latiores. Extremitates harum tabularum quadrilaterae ſunt ac faciebus rhomboideis acuminatae. In faciebus latioribus tabulae ab alia tabula eiusdem formae ſecantur, ſic vt cryſtalliſatio crucis figuram referat. Interdum hae tabulae non in apices excurrunt, ſed oblonga ſiſtunt regularia. Sic eſt comparata ſpecies notior harum cryſtallorum e fodina *Abendröthe*. Rarior ſpecies, quae modo ſemel in fodina *Andreaskreuz* occurrit, minus regulariter cryſtalliſata eſt, ac varie differt reſpectu decuſſationis tabularum, ſtructurae earundem, apicumque e faciebus rhomboideis compoſitorum. Inprimis diſcrepat a ſpecie notiore eo, quod in ſuperficie irregulariter profunde ſtriata eſt, ſic vt oculis armatis e pluribus cryſtallis conflata videatur. Species notior harum cryſtallorum colorem habet lacteum, rarior fuſce cinereum. Tam in faciebus externis quam in fractura vtraeque varietates plus minusue ſplendent. Splendor tamen ſpeciei rarioris fortior eſt, quam vulgaris. Huius ſplendor cereus eſt, ſplendorem aequat matris perlarum. Dantur acerui cryſtallorum perfecte pellucidarum; ſed pleraeque, quas auctor vidit, obſcurae ſunt. Nonnullae ſunt ſemipellucidae: in vniuerſum ſpecies rarior magis pellucet altera. Fractura eſt foliata adque ſpataceam accedit. Diſſiliunt cryſtalli in fragmenta lateribus indefinitis, acutis. Duritie ſunt media: vitrum leuiter incidunt. Ad chalybem alliſae ſcintillas edunt exiguas, interque digitos poſſunt comminui. Tactu ſunt frigidae. Mediocri ſunt pondere: grauitas ſpe-

cifica ſpeciei albae eſt 2,355, coloratae 2,361. — Has iam cryſtallos noſter igne, aqua, ſalibus alcalinis, acidis fluxibusque tentauit. E centum granis cryſtallorum albarum obtinuit:

| | Gr. |
|---|---|
| terrae ſiliceae - | 44 |
| terrae ponderoſae - | 20 |
| terrae aluminaris - | 20 |
| aquae - - | 16 |
| | 100 |

Totidem grana cryſtallorum coloratarum dederunt:

| | Gr. |
|---|---|
| terrae ſiliceae - | 47,50 |
| terrae ponderoſae - | 20,00 |
| terrae aluminaris - | 12,00 |
| ferri magneſia mixti - | 4,50 |
| aquae - - | 16,00 |
| | 100 |

Nihil prorſus terrae calcareae in his cryſtallis continetur. Forſitan tenent aliquid acidi vitriolici. Eadem principia HEYERVS detexit: proportio tantum paullulum variat, cuius discriminis rationem reddere noſter ſtudet. — In nullo ſyſtematum mineralogicorum lapidem reperias, quo has cryſtallos poſſis referre. Vnus KIRWANVS BINDHEIMII auctoritate inter ſpecies tereae ponderoſae refert terram ponderoſam aëratam cum notabili portione terrae ſiliceae et ferri. Facile tamen intelligitur, etiam ab hac ſpecie has differre cryſtallos. Noſter eas ſecundum KIRWANI principia definit terram ponderoſam cum magna portione terrae ſiliceae, notabili quantitate terrae aluminaris et aquae, ſaepe etiam paullo ferri magneſio remixti. — Spati ponderoſi Rammelsbergenſis characteres externi ſunt hi. Colore eſt ſubcoeru-

coeruleo-griſeo, qui in aliis locis in nigro-griſeum, in aliis in albide griſeum vergit. Reperitur in fruſtis magnis ſolidis. Splendore eſt debili, non metallico.

Fractura parum aſpera, interdum ſubſpatacea. Diffilit in fragmina lateribus indefinitis, acutis. Non eſt pellucidum: tantummodo portio albide griſea ad margines ſemipellucida eſt. Solidum eſt, non tamen durum: vngue enim poteſt incidi. Ad chalybem alliſum deteritur, rariſſimeque ſcintillat. Portio lucidior durior eſt obſcuriore. Parum cedit facileque frangitur. Tactu frigidum, nec pingue eſt. Pondere eſt inſigni: grauitas enim eius ſpecifica ad grauitatem aquae deſtillatae refertur = 4313: 1000. Ad principia huius lapidis extricanda w. ignem, aquam, acida, alcalia, alios ſales adhibuit. Dederunt centum grana

| | Gr. |
|---|---|
| ſpati ponderoſi - | 83,50 |
| terrae ſiliceae - | 6,50 |
| calcis martialis - | 4,00 |
| ſelenitae - - | 2,00 |
| aluminis - - | 1,50 |
| aquae et bituminis - | 2,00 |
| | 99,50 |
| Perierunt adeo - | 0,50 |

Quo melius de principiis huius foſſilis conſtaret, analyſis repetita fuit. Tum haec reperta eſt eorum proportio, paullulum immutata, ſed de noſtri ſententia verior. Dederunt centum grana:

| | Gr. |
|---|---|
| ſpati ponderoſi - | 82,00 |
| calcis martialis - | 4,00 |
| terrae ſiliceae - | 6,50 |
| ſelenitae - - | 2,50 |
| aluminis - - | 1,50 |
| aquae et bituminis - | 2,00 |
| | 99,50 |
| Perierunt itaque, vt prius | 0,50 |

Vocat hunc lapidem w., donec nomenclatores aliud nomen repererint, ſpatum ponderoſum bituminoſum, aut cum KIRWANO lapidem hepaticum, etſi nihil tenet hepatis ſulphuris, et a lapide hepatico KIRWANI et BERGMANNI ratione proportionis principiorum vehementer discrepat *). Quod documento eſt ſyſtema mineralogicum ſoli analyſi chemicae proportionibusque principiorum per eam erutis vix poſſe ſuperſtrui.

p. 49—58 III. *Deſcriptio canis (carruli vehendis mineris) maioris Sachſenhauſenſis axe mobili clauoque directorio procurrente. Auctore* STOCKICHT, *commiſſionario rerum montaniſticarum Braubaci.* In tabula aenea mechaniſmus huius inſtrumenti ſiſtitur.

p. 59—79. IV. *De praeparatione minerarum effoſſarum ad excoctionem in fodina St. Annae Kremnitzii. Auctore* I. F. G. DE CHARPENTIER, *conſiliario rerum montaniſticarum Fribergae Hermundurorum.* Tabula aenea huius praeparationis admodum ingenioſae rationem exhibet.

p 80—102. V. *De fuſione minerarum plumbi in furnis flammantibus Bleybergae in Carinthia. Auctore* I. DE BORN, *C. R. conſiliario aulico.* Tabula aenea addita eſt.

VI. *De*

*) Vid. T. BERGMANNI ſciagr. §. 90.

VI. *De vſu lithanthracum deſulphuratorum (Coaks) ad fuſionem minerarum plumbi cuprique argentiferarum in comitatu Wiedrunkelenſi. Auctore* KLEINSCHMIDT, *conſiliario camerae Offenbaci.* p. 103–120.

VII. *Hiſtoria amalgamationis Ioachimsthalii in Bohemia. Auctore* CAROLO ANTONIO RÖSSLER, *C. R. conſiliario rerum montaniſticarum ac monticulturae in Bohemia inſpectore ſuperiore.* p. 121–199.

VIII. *Theoria amalgamationis, communicata a* FAVSTO D'ELHVYAR. *Continuatio.* p. 200–296.

*Diſſertatio II. Inquiſitiones in acidi muriatici erga aurum argentumque vires.* Acidum nitroſum argentum facile ſuſcipit, ſic vt nec magna concentratione nec calore opus ſit, etſi ſolutio tum acceleratur. E contrario acidum vitriolicum magnum concentrationis gradum ebullitionemque exigit, vt iſtud metallum adoriatur, atque ſuſcipiat. Sed acidum muriaticum *fluidum* in argentum regulinum agere poſſe, hucusque ab omnibus negatum fuit. Hoc tum demum fieri poſſe chemici aſſeuerarunt, ſi acidum muriaticum in vapores verteretur, id quod in auri ſeparatione per cementationem accidit. Hac in operatione laminae aureae argentiferae cum ſale culinari, vitriolo martis vſto et farina laterum ſtratificantur inque vaſe congruo igni exponuntur. Acidum vitriolicum igne euolutum ſalem culinarem decomponit, ſic vt acidum muriaticum extricatum argentum adoriatur et ab auro ſeiungat. Sic hoc phaenomenon vulgo explicant: recte, vt videtur, tentaminibusque a noſtro inſtitutis conuenienter. At ſi cogites, acidum vitriolicum argentum ſoluere poſſe, acidumque muriaticum forſitan poſtmodo argentum ſolutum ob maiorem affinitatem vitriolico eripere, intelliges, hoc experimentum argumentum eſſe admodum ambiguum effectus immediati acidi muriatici in argentum. Igitur vt certo diſceret, num haec

argenti

argenti ſolutio vni acido muriatico deberetur, hoc noſter tentamen inſtituit. Laminas argenti cuſas, vt ſubtilius eas diuideret, cum quarzo tenuiter pulue-rato in mortario vitreo contriuit. Huic miſturae ad-iunxit ſalem culinarem, omniaque tum ſub fornice docimaſtica in furno docimaſtico calcinauit. Inter hanc operationem acidum muriaticum in vaporum formam conuerſum eſt, qui tum viſu, tum odo-ratu ſentirentur. Ad ſalem alcalinum ſalemque culinarem, ſi quid eius remanſiſſet, extrahendum miſtura calcinata ſaepius aqua deſtillata edulcorata re-ſiduumque aqua forti pura digeſtum eſt. Liquor de-cantatus cum acidi muriatici aliquot guttis tentare-tur, colorem non immutauit nullaque argenti veſti-gia exhibuit. Reſiduum iterum aqua deſtillata edul-coratum tumque acido muriatico concentrato dige-ſtum eſt *). Liquor cum limpidus factus eſſet, de-cantatus eſt, parsque eius aqua deſtillata diluta, quo facto protinus tinctum lacteum contraxit. Sedimen-tum decidit, quod breui colorem adipiſceretur per-larum, verbo, verum argentum corneum eſſet. Hoc experimentum manifeſto docuit, acidum muria-ticum in vapores conuerſum argentum adoriri peni-tusque ſoluere. Iam noſter tentauit, num acidum muriaticum fluidum argentum admodum ſubtiliter diuiſum pariter ſuſciperet. Hoc conſilio laminas ar-genteas cum quarzo contriuit, hancque miſturam cum acido muriatico concentrato dimidiam horam coxit. Liquor limpidus decantatus, aqua deſtillata adfuſa argentum corneum perinde dedit. Vt, quid in

*) In aliis proceſſibus chemicis noſter didicerat, quod prius incognitum fuiſſe autumat, argentum corneum in acido muriatico ſolui, indeque per aquam praeci-pitari.

in frigore acidum muriaticum in argentum valeret, noſter diſceret, laminam argenteam vitro ingeſſit, acidumque muriaticum concentratum ſuperfudit. Primis horis nullam fieri vidit mutationem: interim lamina coepit nigreſcere dieque inſequenti penitus ſoluta fuit. Liquor aqua deſtillata dilutus argentum dedit corneum. Iam etſi haec tentamina effectum immediatum acidi muriatici in argentum ſatis ſuperque euincerent, tamen inquirere noſtro placuit, num forte bolus, quo bracteatores vtuntur, cuiusque nonnihil laminis argenteis adhaereſcere potuerat, ad hanc ſolutionem acidum muriaticum dephlogiſticando aliquid contuliſſet. Igitur argentum e ſolutione nitroſa per laminam cupream praecipitatum cum aqua deſtillata ſaepius coxit, donec aqua nulla amplius acidi veſtigia exhiberet, tumque cum acido muriatico concentrato in frigore digeſſit. Argentum praecipitatum, quod e puluere conſtaret tenuiſſimo, cui particulae craſſiores admixtae eſſent, ſuperfuſo acido muriatico protinus in maſſulas coaluit. Hae maſſulae pedetentim decreuerunt volumine, ſic vt biduo elapſo non amplius cernerentur. Liquor iam limpidiſſimus apparuit, ſed cum aqua dilueretur, protinus lacteam faciem contraxit, ſedimentumque decidit, quod verum eſſet argentum corneum. Ex his tentaminibus iure meritoque cogas, acidum muriaticum vulgare argentum regulinum etiam in frigore perfecte ſoluere. Modo argentum ſubtiliter diuiſum, acidumque admodum concentratum ſit. Quod ſi nimis dilutum eſt, in argentum, ſaltem intra viginti quatuor horas, nihil valet. Solutio limpida eſt, coloremque habet acidi muriatici communem. Sal metallicus in ea contentus tantum exceſſu acidi ſolutus tenetur *), cumque in aqua ſit inſolubilis, certe parum

*) Etiam aqua regia argentum corneum ſoluit, hocque perinde decidit, ſi ſolutionem aqua diluas. Itaque vt

parum ſolubilis, praecipitatur, ſi ſolutio aqua diluitur. Solutio concentrata in frigore cryſtallos exiguas ſplendidas gignit, quae, vt oculis armatis apparet, ſpecioſos aceruos cryſtallorum octoedricarum efformant. In nonnullis cryſtallis vel oculi nudi hanc figuram detegunt. Quamdiu cryſtalli in acido ſunt muriatico, album colorem habent; ſed illo decantato, dum ſiccantur, colorem contrahunt perlarum, qui tum in violaceum tranſit, tandemque in griſeum vergit. Interim ſplendorem ſuum conſeruant, non fatiſcunt, neque aëris humiditatem attrahunt. Si laminam cupri in hanc ſolutionem immergas, licet acidum tantopere abundet, tamen protinus argento obducitur. Quantitatem argenti, quae in data portione acidi muriatici ſoluta teneri poteſt, nondum potuit noſter definire: hoc tantummodo reperit, acidum muriaticum longe minorem argenti copiam nitroſo ſuſcipere. — Diu crediderunt chemici, aquam regiam ſolum eſſe inter acida auri menſtruum. BRANDTIVS pximus vidit, etiam acidum nitroſum ſub certis legibus in hoc metallum agere poſſe. Poſt SCHEELIVS docuit, acido muriatico dephlogiſticato aurum ſolui poſſe, creditque adeo, auri in aqua regia ſolutionem ab hoc acido dependere. Quod acidum attinet muriaticum, hucusque creditum eſt, nihil in aurum virium habere, quamdiu purum nec dephlogiſticatum ſit. Idem de acido vitriolico docetur. Sed haec cum noſtri tentaminibus non penitus congruunt. Primum acidum nitroſum videamus. Acidum nitroſum a ſolutione argenti deſtillando abſtractum noſter laminae

vt in auri per aquam regiam ſeparatione aurum purum adipiſcare, ſolutio multa aqua diluenda eſt; alioqui portio argenti aurum inquinans in ſolutione remanet.

minae auri infudit, inque frigore per octo dies asseruavit. Auri nec color nec splendor mutatus est, deque liquore acido solutio stanni nihil praecipitauit, adeoque ne color quidem eius tantillum immutatus est. In eodem acido noster puluerem aureum e solutione regulina per cuprum praecipitatum per plures dies in frigore digessit. Auri quantitas nihil decreuit, stannique solutio liquorem limpidum non immutauit. Tum eundem puluerem aureum cum acido nitroso coxit, donec hoc acidum admodum concentratum esset: nihilosecius stanni solutio nullam mutationem produxit. Postremo solutionem coquendo exsiccauit, residuum siccum aqua destillata perfudit, stannique solutione tentauit. Color liquoris initio subfusce flauidus, die vero insequente subruber factus est. Nihil decidit; vnde apparet, perpaucillum auri solutum fuisse. Cum noster aurum vna cum nitro sub fornice docimastica calcinasset, ne tum quidem aurum acido nitroso solutum vidit. Ex his tentaminibus consequi videtur, acido nitroso nihil aut perparum virium in aurum soluendum suppetere. De acido vitriolico idem valere videtur, quamcunque viam insistas. Varia noster hoc consilio experimenta cepit, sed nunquam vidit auri tantillum solutum esse. Longe aliter sese habet acidum muriaticum. Aurum eo aperte perfecteque soluitur. Primum noster aurum in puluerem tenuissimum laminas aureas cum quarzo terendo redegit. Pulueri salem addidit culinarem misturamque calcinauit sub fornice docimastica. Calcinatam coxit cum acido muriatico diluto. Cum solutioni decantatae aliquot guttas solutionis stanni adfudisset, protinus praecipitatum apparuit coloris purpurei. Acidum muriaticum laminis aureis cum quarzo tritis superfusum ebullire fecit. Liquor refrigeratus, solutione stanni admista, purpuram mineralem exhibuit. Laminam auream

acido

acido muriatico perfudit, vasque in frigore adſeruavit. Biduo poſt lamina tota acidum ſubierat, liquorque, adiuncta ſtanni ſolutione, purpuram dedit. Denique auctor in eodem acido ac frigore puluerem auri digeſſit e ſolutione auri regalina per laminam cupream praecipitatum ac diligentiſſime edulcoratum. Poſt aliquot horas ſtanni ſolutio e liquore purpuram excuſſit. Intelligitur hinc, acidum muriaticum tam in aurum quam in argentum agere. Requiruntur ad hanc ſolutionem magna auri diuiſio iuſtaque acidi concentratio. Demonſtrat noſter, hanc acidi muriatici virtutem nec alii cuidam acido admixto, nec alicui ipſius dephlogiſticationi tribui poſſe.

*Diſſertatio III. Obſeruationes ſuper combinatione ſulphuris cum metallis.* Primus BERGMANNVS docuit, metalla non poſſe cum ſulphure copulari, niſi plus minusve phlogiſti ſui amittant. Argumenta huius dogmatis in ſcriptis Bergmannianis ſparſa noſter in vnum collegit nouisque obſeruationibus auxit, ſic vt de dogmatis veritate non amplius liceat dubitare. Si ſulphur ramentaque ferrea igne tractantur, aër elicitur hepaticus. Si ſolum ſulphur adhibeas, res aliter habet: quod argumento eſt, ferrum, dum ſulphuri nubat, dephlogiſticari. Idem accidit, ſi iſtam miſturam, non igni exponas, ſed aqua humectes. Hydrargyrum in praeparatione aethiopis mineralis idem ſiſtit phaenomenon, ac noſter idem etiam tum obſeruauit, cum plumbum granulatum ſulphuri iunctum igne tractaret. Variae huiusmodi miſturae, dum connubium ineunt, ignem concipiunt, vnde certo ſequitur, dephlogiſticationem tunc fieri. Magneſium regulinum ſulphuris connubium prorſus reſpuit, calcinatum non item. Idem de zinco valet. Tentare noſter inſtituit, num pſeudogalenam via humida (nam via ſicca DE MORVEAV parauit) parare poſſet. Hoc conſilio ſolutioni zinci vitrio-

vitriolicae hepar ſulphuris ſolutum adfudit: protinus praecipitatum decidit copioſiſſimum e griſeo virideſcens. Liquore limpido decantato, praecipitatum aqua deſtillata ſaepius edulcorauit, ſic vt aqua ebullire cogeretur. Portionem huius praecipitati edulcorati acido muriatico perfudit. Protinus efferueſcentia leuis exorta eſt, inter quam odor exſtitit fortiſſimus aëris hepatici tamdiu durans, donec nihil non zinci ſolutum eſſet. Reſiduum ſubuiride e ſulphure puro conſtitit. Haec ſatis demonſtrabant, zincum cum ſulphure connubium contraxiſſe. Reliqua portio praecipitati ſiccata, inque crucibulo igni ſat forti expoſita fuit. Sic maſſa prodiit bene liquata, ſubnigra, fragilis, fracturae foliatae, tenuiter granuloſae, quae cadmiam fornacum penitus aequaret. Cum noſter eius aliquantulum in acidum muriaticum ingeſſiſſet, odor hepaticus explicatus eſt. Etiam in Dehniano tentamine zinci veram contigiſſe dephlogiſticationem, adeoque non zincum regulinum, ſed calcinatum, cum ſulphure coiiſſe, noſter contendit. Quod aurum ac platina ſulphuris connubium prorſus reſpuunt, noſtro videtur inde repetendum eſſe, quod haec metalla difficlliime ſe calcinari patiuntur, earumque calces materia phlogiſtica quauis accedente formam regulinam protinus recuperant. — Quo certius demonſtraret, metalla cum ſulphure connubium ineuntia vere dephlogiſticari, alia adhuc experimenta inſtituit. Sex vncias cinnabaris cum vna ferri vncia in retorta vitrea loricata, cuius collo apparatum pneumaticum adaptauerat, igni ſatis vehementi expoſuit, vt intelligeret, num inter cinnabaris decompoſitionem aër inflammabilis aut hepaticus extricaretur. Ferrum enim ſi cum ſulphure copulatur, alterutrum aërem inflammabilem gignit. Iam ſi hydrargyrum cum ſulphure connubium contrahens dephlogiſticatur, hoc in tentamine nec aër inflammabilis neque

hepaticus naſci debuit. Id quod etiam accidit: etenim nihil nec aëris inflammabilis nec hepatici extricatum eſt. — Argenti per ſulphuris connubium dephlogiſticationem noſter praeter alia argumenta (obiter hic de argenti cornei natiui geneſi) hoc tentamine euincit. Argentum vitreum puriſſimum in fruſtula redactum cucurbitae indidit. Cum acidum muriaticum vulgare ſuperfunderet, protinus vehemens efferueſcentia contigit, coniuncta cum odore hepatico fortiſſimo. Acidum turbidum redditum eſt, innataruntque ei flocci albidi, qui huc illuc agitarentur, donec in fundum vaſis decíderent. Aliquot guttae liquoris in vitreum transfuſae et aqua deſtillata dilutae ſunt. Illico liquor turbidus factus, argentumque corneum praecipitatum eſt. Facile intelligitur, hoc in tentamine promtam argenti in acido muriatico ſolutionem non poſſe aliunde niſi ex eo repeti, quod ſulphur phlogiſti portionem, qua argenti regulini ſolutio haud parum difficilis redditur, iam antea amouit. Conſequitur inde, argentum ſulphuri iunctum non perfecte metallicum eſſe. Praeterea clar. BRAVME monet, miſturam e ſulphure argentoque compoſitam eo momento, quo copulatio contingat, ignem concipere; vt argentum perinde, ac reliqua metalla, in hoc proceſſu dephlogiſticetur. Ex argento rubro ſimili proceſſu (acidum tum ebullitione iuuandum eſt) noſter argentum corneum obtinuit. In argento rubro argentum non regulinum contineri, vel hinc apparet, quod arſenicum in eo calcinatum ineſt, nullumque metallum, ſi perfectum eſt, nec calciforme, cum calce metallica vniri ſe ſinit. — De auro vix poteſt quicquam certo definiri, quandoquidem adhuc dubitare licet, an omnino aurum cum ſulphure vlla ratione coniungi queat. Tentamina auctoris auri per ſulphuris dephlogiſticationem non magis demonſtrant.

Proba-

Probabile tamen noſtro eſt, naturam artificio nobis incognito aurum cum ſulphure copulare. In pyritis quidem auriferis credit aurum regulinum adeoque ſulphuri non chemice iunctum ineſſe; ſed de minera auri Nagyagenſi aliter iudicat. Haec minera ipſi videtur aurum cum ſulphure multisque aliis ſubſtantiis intime vnitum. Nonnulla cum ea inſtituit tentamina: ſed haec non ita ſunt comparata, vt certi quid inde deducere liceat. Aurum, ſaltem vna cum aliis metallis, connubium cum ſulphure inire, demonſtrat etiam lapis ſulphureo-metallicus (*Rohſtein*), qui fuſione minerarum auriferarum paratur. — Poſtremo nonnullae confutantur obiectiones, quae quis contra dogma, metalla vt cum ſulphure coëant, plus minusue phlogiſti iis auferendum eſſe, proferre poſſit.

*Diſſertatio IV: Obſeruationes ſuper amalgamatione minerarum auri et argenti, lapidis, fuſione earum parati aliorumque fuſionis productorum.* Amalgamatio vulgo ſignificat operationem, qua hydrargyrum cum alio quouis metallo coniungitur. Hic ſenſu ſumitur latiore: etenim non modo hanc coniunctionem per ſe ſpectatam, ſed etiam omnes operationes praeuias, quibus ſubſtantiae, vnde aurum argentumque elicienda ſunt, ad commodiorem cum hydrargyro tractationem praeparantur, tum illas, quibus poſtmodo haec metalla ab hydrargyro ſeiunguntur, indicat. Harum operationum nonnullae ſunt mere mechanicae, v. g. ſubſtantiarum iſtarum comminutio in partes admodum ſubtiles tundendo, molendo, cribrando, lotio miſturae adtritae, et amalgamatis concentratio. Aliae mere ſunt chemicae, vti vſtulatio, adtritus, digeſtionesque ſ. fermentationes. Nunc auctor tantum theoriam horum

laborum chemicam ſpectat, adeoque ſilentio tranſit tum illas mechanicas operationes, tum artificia in chemicis adhibita, lectores harum rerum notitiam ſibi parare cupientes ad opus Bornianum praeſtantiſſimum ablegans. Differentia praeparationis chemicae minerarum, priusquam hydrargyro admiſcentur, occaſionem praebuit duarum methodorum diuerſarum, quarum vna *amalgamatio cruda*, altera *amalgamatio cum toſtione* dici poteſt, inuentioni. Ambas noſter ſigillatim pertractat, et primum quidem amalgamationem cum toſtione. In hac amalgamatione minerae auriferae et argentiferae in farinam ſubtilem rediguntur; cum ſufficiente quantitate ſalis culinaris, interdum etiam cum calce viua aut quarzo commiſtae in furno reuerberii vſtulantur; poſt per maius minusue temporis ſpatium cum hydrargyro conteruntur; quo facto, particulae terreae, ſalinae et metallicae copioſa aqua eluuntur, quod dum fit, hydrargyrum in fundum delabitur, ibique in vnum coit. Tum hydrargyrum auro et argento minerarum onuſtum per linteum aut pellem premitur, vt amalgama concentretur. Denique amalgamatis concentrati deſtillatione aurum et argentum in eo contentum ab hydrargyro reſiduo ſeparantur. Haec operatio tam eſt ſimplex, vt accuratiſſime poſſit abſolui. Igitur noſter tantummodo de toſtione et adtritu verba facit. *Toſtionis* ſiue calcinationis finis eſt, vt aurum argentumque a ſubſtantiis admiſtis ſeparentur, illisque exuantur, in quibus tantummodo laruata aut incluſa inſunt, quo contactus hydrargyri immediatus in amalgamando facilior fiat. Haec operatio per ignem reverberii aditumque aëris liberum abſoluitur. Horum mediorum vnitis viribus primum ſulphur, ſi quid eius in ſubſtantiis vſtulandis ineſt, expellitur, tum partes metallicae calcinantur ac diuiduntur, il-

laque

laque metalla quae talem ignem ferre nequeunt, volatiliſantur; praeterea partes terreae franguntur, inque particulas ſubtiliores comminuuntur, quo ipſo fit, vt aurum argentumque illis inuoluta denudentur. Cum aurum argentumque ſola ſint metalla: quae talis operatio nec calcinet, neque volatiliſet, conſequitur, poſt toſtionem aurum argentumque ſola eſſe metalla, quibus hydrargyrum nubere queat, adeoque amalgama ſic paratum aliorum metallorum parum aut nihil continere. Hi ſunt effectus ſolius aëris ignisque, ſi minerae, lapis ſulphureo-metallicus ceteraque producta, quae huic operationi ſubmittere placet, ſola nec aliis ſubſtantiis additis tractantur. Nec tamen ſufficiunt, aliisque ſubſtantiis efficacibus opus eſt, quae in ſtructuram internam illorum corporum magis penetrent, atque adgregata perfectius ſegungant. Hae vero ipſae ſubſtantiae etiam aurum et argentum adoriuntur, horumque metallorum naturam pariter immutant, vt de ea aliter ſit iudicandum, quam ſi mutationes inductae vni aëri ignique deberentur. Non omne ſulphur, quod inter toſtionem corporum ſulphuratorum liberatur, ſed modo partio eius perexigua ſub forma perfecta auolat. Cum calor, inprimis initio operationis, ad id non ſufficiat, maxima eius pars, vt liberatur, ignem comcipit, inque acidum ſulphureum tranſit. Hoc acidum iam particulas miſturae terreas metallicasque adoritur, penetrat, multoque magis, quam ſolus ignis, diuidit, qua re fit, vt illae in ſtatum ſalinum aut magis dephlogiſticatum tranſeant. Tamen hoc acidum magnam vim phlogiſti continet, vt in alias ſubſtantias minus potenter agere poſſit. Sunt etiam miſturae, quae ſulphuris parum aut nihil teneant, in quibus adeo huius acidi nulla poteſt ratio haberi. Iam vt ſubſtantiae terreae et metallicae perfectius diuidantur ac diſſoluantur, acidum vſurpatur muriaticum; quo

conſilio productis vſtulandis plus minusue ſalis culinaris admiſcetur. Acidum muriaticum ideo vſurpatur, quod non modo e ſubſtantiis, in quibus continetur, copioſe exiguisque impenſis poteſt parari, ſed etiam in corpora metallica potentiſſime agit. Salis culinaris decompoſitionem quod ſpectat, acidum muriaticum extricari mirum non eſt, ſi minerae productaque fuſoria ſulphur continent. Sed etiam producta ſulphure aliisque acidis ſalem culinarem decomponentibus carentia acidum muriaticum inde elicere, repertum fuit. Quae eſt huius phaenomeni ratio? Chemici quidem contendunt, ſalem culinarem per ignem ſolum non poſſe in principia ſua reſolui. Noſter vt, quid hac de re ſentiendum eſſet, intelligeret, varia inſtituit tentamina. E. g. ſalem culinarem depuratum commiſcuit cum quarzo puluerato, quod antea in acido muriatico digeſſerat, tum ſaepius aqua deſtillata edulcorarat, tandemque igne forti exſiccaverat. Hanc miſturam ſub fornice docimaſtica igne vehementi exuſſit. Breui vapores acidi muriatici viſum odoratumque notabiliter ferierunt. Idem fuit tentaminis euentus, cum loco quarzi marmor Carraricum et argilla porcellanea ſumta fuiſſent. Quarzum minorem caloris gradum, marmor maiorem, argilla maximum flagitauit. Igitur ſalis culinaris decompoſitio a ſubſtantiis adiunctis, non a ſolo igne, repetenda eſt. Credit adeo noſter, hanc ſalis culinaris decompoſitionem perinde, ac ſimilem decompoſitionem nitri, ſeſe habere, h. e. terras memoratas baſin alcalinam ſalis culinaris adoriri, vinculaque, quibus illa cum acido muriatico copulatur, adeo laxare, vt acidum igne extricari ac volatiliſari facile poſſit. Apparet hinc, praeter acidum vitriolicum ſulphuris inter vſtulationem inflammatione generatum etiam partes terreas ſali culinari decomponendo acidoque ipſius liberando inſeruire. In illis

fuſionis

fusionis productis, quae nec sulphur nec partes terreas tenent, metalla aut eorum calces in salem culinarem agant necesse est; nam etiam hic decompositio huius salis contingit. Vt, quae rei esset ratio, noster disceret, cum variis metallis tam calcinatis quam regulinis tentamina instituit, sicque intellexit, salem culinarem etiam sic posse decomponi, sed facilius per regulos *), quam per metalla calcinata terrasque, quod discrimen phlogisto metallorum regulinorum acidum muriaticum magis volatilisanti deberi nostro videtur. Acidum muriaticum per acidum vitriolicum, aut terras, aut calces metallicas, aut metalla regulina elicitum calore iuuante perinde, vt acidum vitriolicum, partes terreas metallicasque in mistura contentas adoritur, diuidit, dissoluit, inque corpora calciformia aut salina transmutat. Hac diuisione, quam diuisionem radicalem omnium principiorum misturae, saltem eorum, quae acidis patent, dixeris, euolutio particularum aurearum et argentearum ex inuolucris absoluitur, e quibus per solum ignem elicitae non fuissent, vt iam cum hydrargyro facile possint copulari. Acidum muriaticum ad tostionis finem promouendum efficacius est vitriolico. Primum in partes metallicas potentius agit, adeoque eas melius dissoluit aurumque et argentum in iis latens melius enudat. Tum sales metallici terrestresque muriatici vitriolicis solubiliores sunt. Deinde nonnulla metalla per acidum muriaticum magis volatilia redduntur, adeoque inter vstulandum auolant. Denique sales isti muriatici minus, quam vitriolici, adtritum impediunt. Iam inquirendum est, num



*) Salis culinaris per scobem martialem decompositio videtur auctori ad alcali minerale magna copia parandum commodissime sumtibusque exiguis posse adhiberi.

hac in operatione acida vitriolicum et muriaticum in aurum argentumque pariter, ac in omnes reliquas ſubſtantias in miſtura contentas agant, horum metallorum naturam perinde immutent, eaque in calces aut ſales conuertant. Quod aurum attinet, notare conuenit, hoc metallum, niſi ſemper, certe plerumque, in mineris variisque fuſionis productis regulinum ineſſe. Iam ſuperius noſter docuit, in hoc ſtatu ſaltem aurum acidi vitriolici connubium auerſari, quacunque tandem ratione cum eo tractetur. Apparet igitur, aurum in toſtione ab acido vitriolico nihil perpeti immutationis. Cumque praeterea aëris igniſque vnitae vires in hoc caloris gradu, qui ad toſtionem requiritur, aurum calcinare nequeant, ſed potius aurum, ſi eſſet calciforme, reduceretur, intelligitur, poſt toſtionem aurum perfecte regulinum reperiri debere, niſi prius aliquid additum fuerit, quod auri naturam immutare valeat. Hoc additamentum eſt ſal culinaris, cuius principium acidum auro etiam regulino ſoluendo par eſſe, ſupra vidimus. Quod metallum argentum ſpectat, dubitari nequit, quin hoc acido vitriolico ſoluatur. Haec tamen coniunctio in toſtione cum ſale culinari non diu durat; etenim acidum muriaticum argenti, quam vitriolicum, cupidius eſt. Sic argentum corneum naſcitur, quod etiam immediate poteſt generari, ſi acidum muriaticum in calcem argenti (qualis, vt ſupra vidimus, in argento ſulphurato ineſt) incidat: adde quod acidum muriaticum etiam vulgare argentum regulinum ſuſcipit. Iam cum ex iis, quae dicta ſunt, clariſſime appareat, inprimis acidum muriaticum aurum argentumque in toſtione minerarum et productorum fuſoriorum ſoluere, recte quaeſiueris, num horum metallorum nihil nou ſoluatur, num ad finem vsque operationis ſoluta maneant, denique num omnino proficuum ſit, haec metalla cum acidis coniungi.

iungi. Primum quod ſpectat, non videtur vulgo in addendo ſale culinari reſpectu proportionis ea diligentia adhiberi, vt nunquam non omnes particulae metallicae ſoluantur. Quod attinet alterum, conſtat, argentum corneum igne decomponi, acidum ſuum amittere, regulinumque relinqui. Nec dubitare licet, quin argentum vitriolatum ſalesque auri pariter ſeſe habeant. Nihiloſecius noſtro probabile ſit, argentum corneum inter toſtionem proceſſus amalgamatorii natum aut prorſus non, aut tantummodo ex parte in hac operatione decomponi. Si quid argenti vitriolati acido muriatico intactum remanſit, etiam hoc integrum manere nec toſtione decomponi noſtro videtur. Aurum ſalitum per ignem vſtulatorium non magis poteſt decomponi, ſaltem, operatione hac finita, ex parte integrum reperitur. Denique quod vtilitatem coniunctionis auri argentique cum acidis ſpectat, nemo negabit, eam vtilem eſſe, ſi copulatio cum hydrargyro per eam facilitetur. Sed contrarium apparet: etenim longe plus temporis laborisque ad hydrargyrum cum ſalibus iſtis argenti quam cum aequali quantitate argenti regulini copulandum requiritur, pariterque ſales auri ſeſe videntur habere. Coniunctio auri et argenti cum acidis amalgamationem modo tum iuuaret, ſi haec metalla ad finem toſtionis calciformia eſſent, adeoque hydrargyro non poſſent nubere, ſed in reſiduis perirent. Tunc acida cum hisce metallis ſales generarent, ſic vt metalla ipſa cum hydrargyro per affinitatem duplicem connubium contrahere poſſent. Tamen hic caſus vix poteſt locum habere, nec quisquam facile intelliget, qui fieri poſſit vt haec metalla ad toſtionis finem calciformia ſint, quandoquidem tum phlogiſton e ſulphure elicitum tum phlogiſton fumi calorque ipſe ad ipſa reducenda ſufficerent. Itaque acidorum cum auro argentoque coniunctio amalgamationem non modo non promouet,

ſed adeo retardat difficilemque reddit. Igitur hactenus acida magis nocent, quam proſunt, cum eorum effectus fini toſtionis contrarius ſit. At enim vero aurum et argentum e ſubſtantiis, quibus continentur, longe melius eliciunt, quam ſolus ignis, qua re contactus metalli hydrargyrique adeo augetur, vt longe minor metalli copia in reſiduis reſtet. Hoc commodo retardatio amalgamationis ſatis ſuperque compenſatur. Adde quod illa incommoda minora ſunt, quam primo adſpectu aliquis cenſeat; etenim cum ſales illi metallici ſubtiliſſime diuiſi ſunt, maximam exhibent hydrargyro ſuperficiem, vt amalgamatio non nimis retardetur. — Reſtat, vt de vſu calcis viuae ac quarzi, quae interdum praeter ſalem culinarem ſubſtantiis vſtulandis adiunguntur, nonnulla moneantur. Raro haec additamenta adhibentur, deeſtque adhuc is tentaminum numerus, vt liceat tum caſus definire, in quibus adhibenda ſunt, tum de vtilitate, quam praeſtant, certo iudicare. Examinat auctor, quae de horum additamentorum vtilitate ac fine, quo vſurpantur, vulgo perhibent. — Iam *adtritum* (*das Anreiben*) videamus. Minerae auri et argenti productaque fuſoria amalgamanda poſt vſtulationem alius ſunt naturae, quam ante eam fuerant, ſicque comparata, vt amalgamatio mirum quantum adiuuetur. Nam primum ipſa iam comminutio ſubtilis illarum ſubſtantiarum hydrargyro aditum liberum pandit, concurſumque huius metalli cum particulis aureis et argenteis promouet, ſic vt perparum earum in reſiduis relinquatur. Deinde ignis vis principia miſturarum dirimit, aurumque et argentum denudat, qua re fit, vt hydrargyrum cum hisce metallis, vel regulinis vel ſalinis, facile poſſit copulari. Vtroque in caſu hydrargyrum illa longe promtius arripit, quam ſi minerae productaque fuſoria cruda hydrargyro obiicerentur. Denique praeter

ter aurum atque argentum nullum aliud metallum toſtione peracta regulinum eſſe poteſt; igitur cum ſolis illis metallis hydrargyrum coit, vnde ſequitur, aurum argentumque ab hydrargyro ſeparata puriſſima eſſe debere. Etſi vero, vt ſupra vidimus, certe magna pars auri et argenti inter vſtulandum per acida in ſtatum ſalinum reducitur, tamen hac re amalgamatio non impeditur. Conſtat enim, hydrargyrum e menſtruis acidis tantummodo aurum, argentum et platinam praecipitare. Iam non amplius dubitare licet, quin argentum corneum ac vitriolatum per hydrargyrum decomponi poſſint. Dudum MARGGRAFIVS docuit, argentum ex argento corneo, modo cum hydrargyro teratur, poſſe reduci: idemque valet de argento vitriolato. Cum argentum corneum minimas in particulas diuiſum maſſae amalgamandae inhaereat, per hydrargyrum in ampliſſimam ipſius ſuperficiem incidens ſat cito decomponitur. His praemiſſis noſter ad ipſam adtritus operationem phaenomenaque in ea conſpicua explicanda accedit ——— In proximo volumine finem huius operis chemiam admodum illuſtrantis proditurum eſſe, ſperamus.

Epitomae hoc volumine continentur ſequentes:

I. LEIBNITII *tentamina ſucceſſu deſtituta cum machinis montaniſticis ſyluae Hercyniae. E ſcriptis archivalibus communicata a* F. G. H. DE TREBRA. *Finis.* p. 299–315.

II. *Hiſtoria arcani hydraulici annorum* 1565 *ſq., e ſcriptis archiualibus deſumta a* CHRISTIANO GOTTLOB VOIGT, *a conſiliis regiminis ſecretis etc. Vinariae.* p. 316–333.

III. *De ſtrato laterum coctorum, quod in Lotharingiae oppido Marſal reperitur. E libro: Inquiſitiones in naturam et circuitum operis antiqui Romanorum dicti Briquetage de Marſal, auctore* D'ARTEZE' DE LA SAUVAGERE, *impenſis Caroli Antonii Iombert,* 1740. 8. p. 334–338.

Hoc

Hoc extractum debetur clariſſimo DE LAVMONT, inſpectori generali fodinarum Galliae. Exemplum ſiſtit eleuationis fundi fluuialis ſucceſſu temporis factae. Simile exemplum e ſylua Hercynia repetitum clar. A TREBRA adiungit (p. 338).

Adnotationes huius voluminis ſunt:

p. 341–352. I. *De monticultura hodierna relationes.* Agitur hoc loco de Pedemontio et Sabaudia (auctore Equ. NAPION DE COCCIONAS), de ducatu Weſtphaliae Colonienſi (auctore KLIPSTEIN), de terris Haſſiacis (auctore RIES).

p. 353–382. II. *Extractum e diario ſuper itinere Hannoverа ad regiones Rheni ſuperioris fodinarumque hydrargyri Palatinatus anno* 1787 *inſtituto. Auctore* O. F. LASIO. *Finis.* Amalgama cryſtalliſatum dictum, quod in Landsbergio effoditur, noſter non pro vere cryſtalliſato habet. Credit, eſſe hydrargyrum, quod cellulas exiguas matricis repleuit, cumque argentum minerarum griſearum ipſi iungeretur, in cellularum formam induruit: hinc facies ipſius formam cryſtallinam mentiens. Obiter de geneſi globorum baſalticorum, omninoque de rebus ad vulcanos pertinentibus. Hypotheſis a BEROLDINGENIO propoſita, hydrargyrum cinnabarinque in fodinis obuia igni vulcanico has ſubſtantias ſublimanti ortum debere ſuum *), etiam a noſtro proponitur. Arbitratur tamen, non ſemper vulcani ignem ad id requiri,

*) Vid. *Bemerkungen auf einer Reiſe durch die Pfälziſchen und Zweybrückiſchen Queckſilber-Bergwerke, von* FRANZ *Freyherrn* VON BEROLDINGEN, *Dohmkapitularherrn zu Hildesheim, herausgegeben und mit einer Vorrede begleitet von* I. D. BRANDIS, *d. A. D. etc. Berlin*, 1788. 8. *S.* 240.

quiri, ſed etiam minorem ignis gradum ad iſtam ſublimationem ſufficere poſſe. — Sub finem nonnulla prioris partis huius extracti, quae in primo volumine legitur, ſupplentur, corriguntur, auctoribus KLIPPSTEINIO, LASIO, KLEINSCHMIDTIO.

III. *Relatio de pyromachorum fodinis prope Auio in Tyrolia Italica.* Pyromachi illis in montibus ſtrata efficiunt, quibus ſtrata cretacea ſunt intermixta. Pyromachorum ſtrata conſtant e ſilicibus rotundatis iuxta ſe poſitis eruſtaque cretacea plus minusue craſſa obductis. Color horum ſilicum, pelluciditas duritiesque admodum variant. p. 383–389.

IV. *De ſale e lateribus efflorescente. Auctore* P. GMELINO, *profeſſore Gottingenſi.* Hamburgo ad GMELINVM miſſus eſt. Fuit ſal Glauberianus. Vt GM. ortum huius ſalis intelligeret, argillam, e qua Hamburgi lateres conficiuntur, tentamini ſubiecit chemico. Reperit in ea ſeleniten: ſed quomodo hic ſal terreſtris decomponatur, ſalemque gignat Glauberianum, non audet certo definire. p. 390–393.

V. *De praecipitatione plumbi per ſcorias martiales, harumque vſu in fuſione minerarum plumbi ſulphuratarum. Auctore* IOANNE CHRISTOPHORO ILSEMANN. p. 394–397.

VI. *De nonnullis lapidibus, qui de coelo cecidiſſe dicebantur. Auctore* STÜTZ. Vnus eſt lapis arenaceus coloris cinerei, granulis ſubtiliſſimis partim ferri regulini partim ochrae martialis interſperſus. Cum acidis non efferueſcit, conſtatque e particulis ſiliceis ferreisque: centenarius docimaſticus STÜTZIO dedit libras ferri vndeuiginti cum dimidia. Superficies eius obducitur cruſta circiter duas lineas craſſa ferri regulini, ſolidi, ductilis, omni carentis ſulphure. Nihil adeſt magneſiae nigrae. Tota maſſa ignem perpeſſa videtur. Dicebatur in regione Eichſtadienſi de coelo cecidiſſe hieme, cum tonitru vehementiſſimum audi- p. 398–409.

auditum fuiſſet. De ſimili foſſili BORNIVS in indice foſſilium T. I. p. 125. agit. — Alius lapis in Slavonia de coelo, vt fertur, delapſus conſtat e maſſa ferri regulini librarum 71: in muſeum Caeſareum Viennenſe illatus eſt. Veſtigia ignis hic apertiſſima ſunt. Etenim eius ſuperficies obſita eſt foueis rotundis, fere vti ferrum regulinum, quod clariſſ. PALLAS ad fluuium Ieniſei reperit: tamen foueae ſunt ampliores minusque profundae, deeſtque tum vitrum flauum cauernulas ferri Sibirici replens, tum lapis arenaceus foſſilis Eichſtadienſis; tota enim maſſa ſolida nigraque eſt, vti ferrum malleo ductum. — Arbitratur ST., haec foſſilia ab igne electrico de atmoſphaera delapſo calcemque martialem reducente repetenda eſſe. Similis ipſi origo videtur ferri a PALLASIO reperti, ſcoriarum metallicarum a NAVWERKIO inuentarum *), variorum item locorum, quorum hodierna facies ab igne ſubterraneo vulgo repetitur. Fontes quidem naphthae in Perſia ſtrataque lithanthracum quin ſaepe hoc modo inflammata fuerint, dubitare non poteſt.

VII. *Extracta ex epiſtolis:*

p. 410–429. 1) FAVSTI D'ELHVYAR. Agitur de monticultura et tractatione minerarum Guanaxuati in Noua Hiſpania.

p. 430–434. 2) *Eiusdem.* Continuatur idem argumentum.

p. 434–441. 3) *Anonymi.* De eodem argumento.

p. 441–444. 4) *Eiusdem.* De excoctione minerarum cupri admodum rudi prope Valliſoletum in Noua Hiſpania

*) *Beyträge zur Erweiterung der Chemie durch* L. CRELL, I. *B. II. St. VII.*

nia. — Circiter triginta milliaria a Vallisoleto austrum versus distat vulcanus, ante triginta annos in planitie natus, vbi saccharum colebatur. Primo ingens terrae motus contigit, qui incolas huius regionis fertilissimae in fugam se dare cogeret: tum terra rupta est tantamque vim eructauit lapidum cinerumque, vt locus ad spatium multorum milliarium inaccessus redderetur. Maxima desolatio accidit in loco, cuius circuitus circiter vnum milliare efficit, quem non sine trepidatione adeas. Per primos quatuor annos explosiones vulcani vehementissimae durarunt. Postmodo vndecim annos maiori minoriue vehementia continuatae sunt. Nunc vulcanus modo fumum emittit, ac tempestate pluuiosa terrae motus atque hic illic explosiones, sed exiguae, obseruantur. Vulcanus est figura coni truncati. Altitudo eius versus orientem efficit pedes 500 ad 600, ibique cum horizonte angulum 45° efficit. Versus austrum et occidentem nonnihil altior est. Vulcanum conscendens transeas planitiem fissuris plenam, quae pedem vltraque latae sunt, continenterque fumum eructant. Hac planitie tanquam corona crater circumdatus est, cuius orificium praerupta saxa efflorescentias flauas albasque habentia perpetuoque fumantia cingunt. Crater ab austro versus boream 800, ab oriente versus occidentem 400 pedes latus est. Non lauae proprie dictae, sed lapides semifusi, variis salibus conglutinati hic occurrunt. Versus occidentem varia loca sunt adhuc ardentia, inque fine huius regionis vulcanicae (*terra mala* audit) multi fontes aquae ebullientis.

5) 10. HAWKINS. De fodina cupri in insula Mona (*Anglesea*), et stanni cultura in Cornubia. Reperit H. bitumen elasticum in plumbi fodina comitatus Derbyensis hydrargyrum natiuum ad Apseleby in Westmorelandia, spatum plumbi citrinum in Leadhills p. 444–445.

adhills Scotiae, malachitam ſolidum in comitatu Flintenſi, fluorem mineralem octaëdricum in comitatu Devonenſi, argentum natiuum capilliforme in eodem comitatu, cupri florem in Cornubia. — De nauicula cuprea a WILLIAMS confecta.

p. 445–447. 6) DE CHARPENTIER. De apparatu amalgamatorio Fribergenſi. Item de aquaeductibus Freibergenſibus nuper exſtructis mineris vehendis.

p. 447–448. 7) GROSCHKE. De muris vitrificatis in montibus Scotiae. Sunt lapides refractarii per ſcorias ſolidas copulati. Quomodo haec vnio fieri potuerit, ignoratur.

p. 448–454. 8) L. CRELLII. De rebus chemicis nouis: de methodo a BERISCHIO detecta atque ab ACHARDO et KLAPROTHO probata, ligna ſic muniendi, vt a vermibus non corrodantur, neque putreſcant; de columnis baſalticis Vnkelenſibus, de analyſi chemica Weſtrumbiana adulariae (centum grana ſpeciei albae et pellucidae tenent ſpati ponderoſi 2,000, calcis martialis 1,400, terrae ſiliceae 62,500, terrae aluminaris 17,500, terrae calcareae purae 6,500, magneſiae purae 6,000, aquae 0,250; ſpecies opaca ſubflauida continet ſpati ponderoſi 1,500, calcis martialis 4,000, terrae ſiliceae 63,000, terrae aluminaris 19,250, terrae calcareae 6,000, magneſiae 3,250, aquae 0,500); de examine Bindheimiano aquamarini Sibirici (contenarius eius tenet nihil nec terrae ponderoſae nec magneſiae, ſed terrae aluminaris 24, terrae calcareae 8, terrae ſiliceae 64, ferri $1\frac{2}{3}$); de analyſi ab HEYERO inſtituta amalgamatis argentei natiui a principatu Bipontino, vti ſimul de characteribus eius externis (60 grana dederunt vnam partem argenti, tres partes hydrargyri; alius ſpeciei 43 grana dederunt 27 grana hydrargyri et $13\frac{1}{2}$ argenti); de inflammatione ſpontanea in Gallicia, ab HACQVETO narrata (accidit in camera, vbi mel, ſpiri-

ſpiritus vini et goſſypium aſſeruabantur); de examine Wiglebiano foſſilis Liebſchowizenſis lithanthracem aemulantis (non verus eſt lithanthrax, nam flammam non alit; ſemiuncia eius dimidiam drachmam nitri detonando decompoſuit; cum ſale Glauberiano in puluerem delapſo hepar ſulphuris generauit; cum per decem horas continenter canduiſſet, de quatuor lothonibus tredecim drachmae et viginti grana materiae carbonaceae perierant; reſiduum pondere duarum drachmarum et quadraginta granorum dedit terrae ſiliceae duas drachmas et decem grana, terrae aluminaris duodecim grana, terrae calcareae decem grana, ferri quinque grana); de analyſi WIEGLEBII terrae albae prope Rulitz ad Geram in terra aduocatorum repertae (talcum aemulatur, ſed nihil eſt niſi terra calcarea); de examine LINKII particularum cryſtallinarum in baſaltis ſ. vitri Mülleriani ſic dicti (ad chalcedonium non poſſunt referri, ſed locus iis in ſyſtemate mineralogico proprius adſignandus eſt; centum earum partes continent terrae ſiliceae 57, terrae calcareae 15, terrae aluminaris 18, ferri pauxillum; igitur eadem eſt in hoc foſſilii principiorum proportio, quae in zeolitho, maxime in eo, quem BERGMANNVS examinauit); de obſeruatione STVCKII, liquorem ſilicum per aquam calcis calcemque viuam praecipitari poſſe *); de ſalis fodinis in Moldauia et Transſyluania (HACQVETI obſeruationes narrantur); de libro HERMANNI hiſtoriam cupri pertractante, qui academiae Petropolitanae auctoritate Petropoli excuditur, argumentumque magis exhaurire dicitur,

*) Id nemo mirabitur, qui cogitauerit, quanta ſit terrae ſiliceae cum calcarea affinitas; id quod praeter alios viri clariſſimi, SCHEELE et DE MORVEAU, docuerunt.

citur, quam opus Rinmannianum ferri hiſtoriam complectens.

p.454–462. 9) CAROLI HAIDINGERI, *conſiliarii rerum montaniſticarum Schemnicii in Hungaria.* De reductione acidorum molybdaenae et lapidis ponderoſi a MATTHAEO TONDI Neapolitano Schemnicii feliciter peracta. Reguli ſic obtenti deſcribuntur. Regulus acidi lapidis ponderoſi multo minorem habet grauitatem ſpecificam, quam ille, quem DELHUYARII e wolframo parauerunt. Accuratius de hoc argumento ab ipſo TONDIO in peculiari libro propediem agetur. Etiam e magneſia nigra TONDIVS regulos optime liquatos ſaepius elicuit, de quibus hic pariter exponitur. Nec minus e pſeudogalena picea Vallis Ioachimicae nouum illud metallum, a KLAPROTHO ipſius inuentore vraniten (melius vranium) dictum, obtinere ei licuit, cuius quoque hic aliqua datur deſcriptio. — De anthracolitho (graphitae varietate) Schemnicii, Kongsbergii in Noruegia, Lugduni etc. obuio. Egit de eo iam WIEDEMANNVS in diario monticolarum Freibergenſi. Centum eius partes tenent materiae carbonaceae 90, terae aluminaris 5 — 4, ferri 3 — 2, terrae ſiliceae 2 — 4. De origine huius foſſilis. — Denique de variis regulis acidi lapidis ponderoſi a RVPRECHTIO paratis, de quorum grauitate ſpecifica idem, quod ante dictum eſt, valet.

p.462–464. 10) FAVSTI D'ELHUYAR. Breuiter de montibus variarum regionum in Noua Hiſpania. Sunt partim e laua compoſiti, partim porphyrei, partim calcarei, partim ſchiſtoſi. Copioſiſſima eſt laua plus minusue poroſa.

p.465–466. 11) *Anonymi.* De montibus et fodinis Comangenſibus in Noua Hiſpania. Montes conſtant e ſchiſto argillaceo, venaeque in iis obuiae continent quarzum, pſeudogalenam, galenam ac pyritas, in quibus

bus aurum argentumque ineſt. — De minerarum excoctione et amalgamatione Guanaxuati in Noua Hiſpania.

12) IOSEPHI MÄHLING, *directoris amalgamationis in Valle Ioachimica Bohemiae.* Machina deſcribitur, cnius beneficio minerae duarum horarum ſpatio perfecte amalgamari poſſunt. Icon eſt addita hanc machinam exhibens. p. 465–468.

Accedunt catalogus nouorum ſociorum tabulaque acceptorum et expenſorum ſocietatis metallicae. p. 466–

## VI.

1. A. CHAPTAL'S, *des heil. Geiſt-Ordens-Ritters, öffentlichen Lehrers der Chemie zu Montpellier, Aufſehers der Bergwerke des Königreichs, Mitgliedes mehrerer gelehrten Geſellſchaften u. ſ. w. Anfangsgründe der Chemie. Aus dem Franzöſiſchen überſeztt, und mit Anmerkungen verſehen von* FRIEDRICH WOLFF, *der Weltweisheit Doctor und Profeſſor adjunct. der Mathematik und Phyſik am königl. Joachimsthal. Gymnaſio zu Berlin. Nebſt einer Vorrede von D.* SIGISMVND FRIEDRICH HERMBSTAEDT, *der Römiſch-Kaiſerl. Akademie der Naturforſcher, der Churfürſtl. Maynziſchen Akademie der Wiſſenſchaften, und der naturforſchenden Geſellſchaft zu Halle Mitglied. Erſter, zweyter und dritter Theil. Königsberg, bey Friedrich Nicolovius,* 1791, 1792. 8. Tomus I. tenet pagg. XVI. et 424., tom. II. pagg. 540., tom. III. pagg. XXVIII. et 420.

i. e.

Elementa chemiae auctore I. A. CHAPTAL. E gallico vertit notisque auxit FRIDERICVS WOLFF. Cum praefatione SIGISMVNDI FRIDERICI HERMBSTAEDT. Tomi tres.

T. I. p. 7-68. In praefatione operi praefixa HERMBSTAEDTIVS de ſyſtemate antiphlogiſtico, cui haec chemiae elementa tanquam baſi ſuperſtructa ſunt, cuique ipſe adſentitur, pauca tradit, ad theoriam Stahlianam confutandam et Lavoiſerianam firmandam comparata *).

WOLFFIVS in ſua praefatione de lingua chemica Germanorum reformanda diſſerit, variaque proponit ad hanc reformationem facilem certamque reddendam ſpectantia.

p. 77—118. Sequuntur tum *primae lineae theoriae Lavoiſerii ſuper aëre atmoſphaerae puro et coniunctione baſis ipſius cum variis ſubſtantiis*, deſumtae ab interprete e clariſſimi VAN MARUM deſcriptione machinae electricae

*) Nuper admodum GRENIVS de tentaminibus quibusdam a ſe ac WESTRVMBIO inſtitutis retulit, quorum is fuit euentus, vt antiphlogiſticorum theoria prorſus corruere videatur. Scilicet cum viri clariſſimi mercurium per ſe praecipitatum ſolo igne reducerent, aquam, ſed nihil prorſus aëris vitalis obtinuerunt. De hoc tentamine aliisque ſimilibus novam hypotheſin antiſtahlianam euertentibus accurate agitur in diario phyſico Greniano. Vid. *Allgem. Litt. Zeit. Intell Bl.* 1792 *N.* 83. Contra hanc tamen obiectionem ſyſtema Lavoiſierianum nuper ſtrenue defendit GIRTANNERVS, vid. *Allg. Litt. Z. Int. Bl.* 1792. *N.* 105.

ſtricae Teylerianae tentaminumque cum ea inſtitutorum *).

In prologo auctor de chemiae praeſtantia ac neceſſitate, horum elementorum ſcribendorum conſilio, operisque oeconomia loquitur. Non omnes chemiae theſauri in eo continentur, ſed potiſſimum principia chemica generalia traduntur. Qui plura diſcere cupiunt, ad encyclopediae nouae methodicae partem chemicam a clariſſimo DE MORVEAU elaboratam ablegantur; quodque nouam nomenclaturam, figuras apparatusque attinet, lectores elementa chemiae a LAVOISIERIO euulgata adire iubentur. p. 69—76.

*Introductio in vniuerſum opus* primum hiſtoriam chemiae admodum ſuccinctam, inprimis quoad culturam ipſius in Gallia, complectitur. Chemiae ſyſtematicae natales noſtro videntur in Aegypto quaerendi. Etſi auctor non negat, alchemicorum deliria chemiae ſanioris progreſſus haud parum retardaſſe, tamen contendit, iſtos naturae ſcrutatores quamuis a recta via deflectentes laude ſua non eſſe defraudandos: admirabilem ipſis fuiſſe ſenſorum puritatem, morum ſimplicitatem, ſummique numinis amorem; in eorum ſcriptis ſummi ingenii veſtigia hic illic ſparſa reperiri, nec carere ipſorum opera rebus ſane vtilibus, quae pharmaciam artesque egregie auxerint. — Primus BECCHERVS chemiae pomoeria protulit, cum ipſi non modo pharmaciam, ſed p. 77—118.



*) *Beſchreibung einer ungemein groſsen Electriſir-Maſchine und der damit im Teylerſchen Muſeum zu Haarlem angeſtellten Verſuche durch* MARTINUS VAN MARUM. *Erſte Fortſetzung. Aus dem Holländiſchen überſetzt. Leipzig*, 1788. 4. Primae lineae theoriae LAVOISIERII ibi exſtant pag. 48 ff.

omnia naturae phaenomena', meteororum theoriam, generationem metallorum, phaenomena fermentationis, putredinis leges vindicaret, ac mirifice illuſtraret. — Quo minus poſt STAHLIVM chemia inſignes progreſſus faceret, neglectus operationum naturae viuentis obſtitit: chemici enim cum ſua ſtudia arctis laboratoriorum cancellis concluderent, inprimis fluidis aëriformibus, quibus tanta vis eſt in naturam vniuerſam, poſthabitis non poterant myſteria naturae feliciter ſciſcitari. — Quod chemia in Germania aliisque terris ſeptentrionalibus magis, quam in Gallia, culta fuit, id noſtro videtur a ſcholae Beccheriaaae et Stahlianae frequentia ac monticultura in iſtis regionibus ampliſſima repetendum. — Tum demum Galli operam chemiae ſtudio diligentius nauare coeperunt, cum duumuiri clariſſimi, ROVELLIVS chemiam, illuſtrisque BVFFONIVS hiſtoriam naturalem egregie colerent, ac docendo ſcribendoque harum diſciplinarum amorem per omnem Galliam ſpargerent. — De Gallorum noua nomenclatura chemica, principiisque, quibus ſuperſtructa fuit. Facile intelligitur, eam noſtro admodum probari. Malit tamen aërem phlogiſticatum gas nitrogenium, quam azoticum, appellare, adeoque reprobat omnia nomina nouae nomenclaturae ab azoto deriuata. — — Sequitur breuis diſputatio de chemiae in aliis disciplinis artibusque vſu. Perſequitur noſter tum artes in vniuerſum, tum ſigillatim agriculturam, omnem oeconomiam ruralem, monticulturam, mineralogiam, phyſicam (chemia ac phyſica noſtro natura ſua ſic videntur confundi, vt limites has diſciplinas dirimentes definiri vix poſſint), pharmaciam, artem medicam (ſuſpicatur auctor, morbos epidemicos artificiis chemicis profligari poſſe, quandoquidem hi morbi fere ſemper ab aëris, aquae ciborumue

rumue mutationibus pendeant), vitam denique communem.

*Pars I. De principiis chemicis. Introductio.* Traduntur hic chemiae definitio, finis, media ad illum obtinendum, descriptio laboratorii, instrumentorum primariorum variarumque operationum chemicarum. Chemia, vt a nostro definitur, naturam nos docet, corporumque proprietates nobis patefacit, adque id analysi et syntheſi vtitur. Recte monet interpres, hane definitionem non ita esse comparatam, vt chemia a physica possit distingui, nec omnino credit, eam posse dari, qua ambae disciplinae certo internosci queant: censet adeo omne inter eas discrinem tollendum, ambasque tanquam partes scientiae naturalis primarias copulandas esse. — Furni a nostro diuiduntur in furnos euaporatorios, reuerberii, et fusorios. In annalibus chemicis Parisinis auctor nonnullas proposuit laudauitque compositiones furnis exstruendis: has interpres in nota adiecta commemorat. — Vasa fictilia non possunt tuto adhiberi: vidit auctor, aquae fortis cum magnae quantitates in vasis porcellaneis destillarentur, ipsius tum quantitati tum qualitati aliquid detrahi: vel vasa encausto obducta non sunt adhibenda, cum in encausto plerumque fissurae subtiles lateant, quae fluida transsudare patiantur. Vasa euaporatoria vitrea omnibus aliis sunt praeferenda: ignem maxime illa eludunt, quae e globo vitreo cauo excipuloue in duo hemisphaeria aequalia per ferrum candefactum diffracto paraueris. Vt euaporatio ac destillatio citissime minimisque sumtibus peragantur, necesse est, vt apertura apparatus sat ampla sit, calor liquidum vbique aequaliterque feriat, denique massa liquidi amplissimam superficiem, sed altitudinem exiguam igni exhibeat: his auctor vsus principiis apparatum, quo in Languedo- p. 119-139.

cia ad vini deſtillationem vtuntur, ſic conſtruxit, vt iam proceſſus duodecima parte temporis et quinta lignorum abſoluatur. — In furno reuerberii auctor focum cum ergaſtulo iubet formam habere ellipticam, vt in vno ellipſis foco ignis, in altero retorta collocari poſſit, quo vehementior retortam ardor feriat. (Miramur, auctorem non ad ea attendiſſe, quae contra talem furnorum formam a chemicis prolata ſunt.) — Crucibulis auctor vtitur e platina paratis, longe praeſtantiſſimis. De aliis miſturis ad crucibula conficienda, vbi interpres nonnulla ex annalibus chemicis Pariſinis deſumta addidit. — In laboratoriis CHAPTALI carbones omnibus aliis ignis pabulis praeferuntur. — Ad retortas loricandas auctor ſumit argillam pinguem recensque ſtercus equinum: argillam quidem aliquot per horas aqua macerat, tumque cum ſtercore ſubigit, vt maſſa pultacea exſiſtat omnibus retortae partibus ignem paſſuris manu oblinenda. Stercus equinum hic vtiliſſimum eſt; nam primum ſucco gaudet mucilaginoſo, qui calore induratus omnes partes accurate conglutinat, ſed fermentatione aut tempore hac proprietate priuatur; deinde feſtucae ſtraminis in hoc ſtercore conſpicuae ad particulas luti magis copulandas plurimum conferunt. Retortae ſic loricatae ignis vehementiae optime reſiſtunt: adde, quod lutum cum vaſe tam accurate coit, vt, etſi retorta inter operationem diffringatur, deſtillatio tamen non interrumpatur, ſed continuari queat. Vapores rodentes vt coërceat auctor, hoc luto pingui vtitur. Oleum lini vel nucum coctum argillae cribratae admiſcet miſturamque probe ſubigit. Hoc luto perquam ductili facilique tractatu vaſorum commiſſuras oblinit, tumque linteo obuoluit albumine ouorum ac calce illito. Priusquam talis apparatus igni exponitur, lutum ſiccandum eſt; alioquin vapores lutum eleuant auolant-

que

que. — Per apparatum Woulfianum producta obtinentur puriſſima ac maxime concentrata, videnturque alia ratione vix poſſe producta parari, quae eiusdem ſemper virtutis ſint, certosque ac definitos effectus edant. Vſus eſt auctor hoc apparatu ad varia producta chemica, v. a. acidum muriaticum tam vulgare quam dephlogiſticatum, ſalem ammoniacum etc., magna quantitate paranda.

*Sectio prima.* Agitur hic de lege vniuerſali, per quam corporum elementa coniunguntur inque hoc ſtatu cohaeſionis ſeruantur. Cum affinitas chemica inter elementa aut homogenea aut heterogenea exſeratur, duae ſunt eius ſpecies quoad corporum naturam diſtinguendae. Prima eſt affinitas aggregationis, ſiue ea, quae partes homogeneas copulat. Altera eſt affinitas compoſitionis, qua duo pluraue elementa naturae diuerſae coniunguntur inque hoc connubio conſeruantur. De vtraque affinitate accurate agitur. — Adduntur ab interprete, quae clariſſ. KIRWAN ad calculum in affinitatis theoria iuuandum docuit. — Perſuaſum eſt auctori, vt corpus formam cryſtallinam induat, ſolutione ipſius non opus eſſe, ſed diuiſionem mere mechanicam ad id ſufficere. Credit, hac de re neminem dubitaturum eſſe, modo cogitauerit, corpus per ſolutionem neutiquam mutari, ſed tantummodo in partes minimas diuidi, qua diuiſione fit, vt partes ſeparatae ſibi inuicem appropinquent, ac ſecundum leges conſtantes grauitatis affinitatisque mutuum connubium ineant. Enimvero diuiſio mechanica idem praeſtat, elementaque corporum eodem modo afficit; vt mirum non ſit, ſales in terrae viſceribus ſparſos, v. g. ſeleniten, nulla praeuia ſolutione formam nanciſci regularem; nec magis latet, quomodo partes vix viſibiles ſpati, quarzi etc. ab aquis ablatae ac perquam ſubtiliter diuiſae adhaereſcere cryſtallosque gignere poſſint. Sales

p. 139–158.

exhibent proprietatem admodum notabilem, quam quis pro cryſtalliſationis ſpecie facile habuerit, ſed quae, cum a diuerſis cauſis dependeat, huc referri nequit. In eo autem verſatur, quod ſales vaſis, in quo ipſorum ineſt ſolutio, parietes adſcendere conantur. Audit vegetatio ſalina. Auctor primus oſtendit, hoc phaenomenon ab aëre ac luce repetendum eſſe, adeoque pro arbitrio in hac illaue parte vaſis poſſe produci, dummodo lucis aërisque influxum, quorſum conuenit, dirigas *). Clar. DORTHES idem reperit, praetereaque obſeruauit, camphoram, vini ſpiritum, aquam etc., ſi euaporatione inſenſibili e lagenis non penitus repletis eleuentur, ſemper adhaereſcere illis vaſis partibus, quae plurimo lumine illuſtrantur. In nota interpres PICTETI explicationem huius phaenomeni etſi ingenioſam confutat, monetque, hoc phaenomenon iam LEMERYO 1707 et PETITO 1722 obſeruatum, ab illisque vegetationis nomine inſignitum fuiſſe.

p. 159–165. *Sectio ſecunda.* De variis agitur mediis, quibus chemici ad cohaeſionem principiorum corporum diſſoluendam vtuntur.

p. 165–175. *Sectio tertia.* Docetur, qua via chemico in examine variorum corporum, quae hoc vniuerſum conſideranda offert, progrediendum ſit.

p. 175–214. *Sectio quarta.* De ſubſtantiis ſimplicibus ſ. elementaribus. Sub nomine elementorum non illae ſubſtantiae intelliguntur, quae vera ſunt ac genuina naturae elementa (haec enim non nouimus), ſed quae analyſi non poſſunt in principia ſimpliciora reſolui. Apparet hinc, numerum naturamque elementorum,

*) Auctor hac de re fuſe egit in tomo tertio actorum academiae Toloſanae.

torum, prout chemia progreſſus vlteriores faciat, immutari debere.

*Cap. I.* De igne. Inſtrumentum primarium, cuius vi natura attractioni reſiſtit, ignis eſt. Si ſola attractio ageret, corpora non darentur alia, niſi ſolida: ſed materia caloris per corpora inaequaliter diſperſa hanc elementorum corporum cohaeſionem continuo ſoluere conatur, adeoque ab hac ſola materia diuerſi ſoliditatis corporum gradus dependent. Si attractio praeualet, corpora cernuntur ſolida; ſin materia caloris praedominatur, aëriformia apparent: in corporibus fluidis ambae hae vires aequilibrium videntur ſeruare. (Fluidam corporum formam a preſſione atmoſphaere, quae impediat, quo minus materia caloris corpora in formam aëream expandat, repetendam eſſe, interpres ſecundum LAVOISIERIVM docet.) — Duae res hic diſtinguendae ſunt, lux et calor. Haec duo principia, ſaepiſſime inuicem confuſa, inter ſe clariſſime differunt, cum vtrumque ſolum exiſtere poſſit. p. 177–206.

A. De materia caloris ſ. calorico (*calorique*) ac calore. Materia caloris ſ. caloricum (ſecundum nomenclaturam Gallorum nouam) eſt fluidum naturae peculiaris, quod in corporibus maiori minoriue copia continetur, prout maiori minoriue attractione illorum gaudet. Pluribus modis poteſt extricari vinculisque ſolui: primum per affinitates; tum per tritum et preſſionem; per fermentationem, omninoque omnem operationem chemicam, qua corporum natura immutatur. — De thermometris, pyrometris breuiter: accuratius de pyrometro Wedgwoodiano. De apparatu glaciali Lavoiſieriano. — De calore latente ſ. ligato. p. 180–200.

B. De luce. Lux videtur fluidi peculiaris ſpatium inter nos corporaque viſibilia interceptum replentis beneficio ad oculos noſtros deferri. Vtrum p. 200–206.

hoc

hoc fluidum e ſole emanet, an per vniuerſum ſparſum ſit, perque motum ſolis aut aliud fluidum moueatur, auctor non definit, ſolummodoque phaenomena viresque lucis conſiderat.

p. 207–213. *Cap. II.* De ſulphure. Sulphuris originem a decompoſitione comporum vegetabilium et animalium noſter repetit.

p. 213–214. *Cap. III.* De carbonico. Hoc nomine in noua nomenclatura carbo purus inſignitur. Subſtantiis ſimplicibus ideo adnumeratur, quod nondum potuit in principia ſimpliciora reſolui. Carbonicum in vegetabilibus occurrit: per deſtillationem ab omnibus partibus oleoſis ac volatilibus, perque lotionem cum aqua pura ab omnibus ſalibus repurgari poteſt. Reperitur etiam in regno animali, inque plumbagine detectum eſt.

p. 214–262. *Sectio quinta.* De ſubſtantiis aëriformibus, vel de ſolutione nonnullorum principiorum in materia caloris, in vulgari atmoſphaere temperatura. Hac occaſione de apparatu pneumatico.

p. 219–229. *Cap. I.* De aëre inflammabili (*gaz hydrogène*). Parum inter naturae ſcrutatores de huius fluidi aëriformis in reſpirationis negotium effectu conuenit. FONTANA quidem et MOROZZO negant, aërem inflammabilem impune poſſe reſpirari. Alia omnia videntur docere BERGMANNI, SCHEELII, ROZIERII (aëronautae infelicis) tentamina. Litem vt noſter componeret, varia experimenta cum aëre inflammabili reſpectu reſpirationis inſtituit. Aues quidem in aërem inflammabilem deinceps immiſſae perierunt, ſic tamen, vt aër nihil prorſus mutationis ſubiret. Buſones in aëris inflammabilis pollices cubicos quadraginta introducti horis tribus cum dimidia praeteritis mortui ſunt, dum alii in aërem vitalem atmoſphaericumque immiſſi horas quinquaginta quinque viuerent. Cum ipſe noſter aërem inflammabilem pulmoni-

monibus hauriret, vidit, eandem huius aëris portionem pluribus vicibus ſine vllo damno poſſe reſpirari. Aër hac reſpiratione haudquaquam immutatur; vnde noſter concludit, eum eſſe irreſpirabilem; alioquin in pulmonibus mutationem ſubiret, quandoquidem non is eſt reſpirationis finis, vt fluidum inſpiretur, poſtmodoque nihil paſſum mutationis exſpiretur: etenim reſpiratio eſt functio longe nobilior, grauior cumque oeconomia animali longe magis conjuncta. Pulmo organum eſt aëre nutriendum, quod aërem inſpiratum quaſi concoquit, portionem eius noxiam auerſatur, proficuamque retinet. Itaque cum aër inflammabilis pluribus vicibus deinceps poſſit inſpirari, ſic vt nec homini ipſum reſpiranti damnum aliquod inferatur, nec ipſe aliquid ſubeat mutationis, conſequitur, aërem inflammabilem non eſſe natura venenata, nec tamen illis fluidis aëreis poſſe adnumerari, quae ad reſpirandum idonea ſunt. Omnino idem valet de aëre inflammabili reſpectu pulmonum, quod de globulis e muſco et reſina confectis, quos nonnulla animalia frigore hiberno ſaeuiſſimo deglutire conſtat: hi globuli non digeruntur, nam animalia tempore verno eos eructant, tamen famem fallunt, cum membranae ventriculi illis pariter, ac contextus pulmonum aëri inflammabili inſpirato, impune atterantur. — Inſignis aëris inflammabilis leuitas mouit nonnullos, vt crederent, locum ſupremum atmoſphaerae ab eo occupari. Huic ſuppoſitioni hypotheſes ſuperſtruxerunt admodum ſpecioſas de iſtius ſtrati in meteorologiam influxu. Sed non cogitarunt, parum hoc cum ſapienti naturae oeconomia conuenire, aëremque inflammabilem, dum in atmoſphaeram eleuetur, cum aliis corporibus, inprimisque cum baſi aëris vitalis copulari, hincque aquam aliaque producta prodire, quorum cognitione nos plerorumque meteororum notitiam

adep-

adepturos esse, dubitari non potest. — De globis aëroſtaticis obiter. — Varia est aëris inflammabilis puritas, vnde discrimem proprietatum ipsius, vt flammae, dependet. Raro hic aër purissimus est: e vegetabilibus elicitus aërem tenet fixumet partes oleosas; e paludibus enatus plus minusue aëris fixi continet; decompositione pyritarum generatus nonnunquam sulphur tenet solutum. — Aër inflammabilis sulphur suscipit. Quod vbi soluit, odorem spargit foetidum aërque hepaticus dicitur. Hac occasione interpres monet, CRAWFORDVM cum societate Londinensi descriptionem nouae speciei aëris hepatici, in qua nihil prorsus sulphuris inest, communicasse. — Genesis aëris inflammabilis fere semper a decompositione aquae repetenda est.

p. 230–250. *Cap. II.* De aëre puro s. vitali (*gaz oxigène*). Hoc aëre natura tanquam instrumento longe potentissimo suis in operationibus vtitur. — Qualitates aëris puri e plantis existentis vi vitali plantarum ac vigori lucis solaris proportionalis est. Ad aërem purum hac ratione parandum opus non est, vt radii solares plantam recta feriant; sufficit, plantam satis illustrari. Sic auctor e musco quodam fundum lacus obtegente magnam copiam aëris vitalis obtinuit, etsi radii solares muscum nunquam possent recta tangere. — De aliis substantiis, aërem purum in lumine solari exhibentibus. Cum auctor mercurium praecipitatum rubrum aqua perfusum luci solari exposuisset, aër purus conspicuus redditus est, calxque hydrargyri mox nigrum colorem contraxit. — Aër purus e substantiis, quibuscum coniunctus est, etiam per acidum vitriolicum potest elici. Noster hac vtitur methodo, quae ipsi simplicissima videtur. Lagenulae vitreae ingerit vnam duasue vncias magnesiae nigrae; superfunditque iustam copiam acidi vitriolici, sic vt mistura massam liquidam aemuletur.

Lage-

Lagenam tum obturat ſubere, cuius centrum perforatum eſt. Foramini immittit tubum cauum incurvatum ſic, vt alterum extremum in lagenam dependeat, alterum in apparatum pneumatico-chemicum introducatur. Quo facto, pruna exigua fundo lagenae adplicatur, protinusque aër emergere incipit. — Varia eſt aër vitalis puritate, prout ex hac illaue ſubſtantia elicitus eſt: hinc proprietatum ipſius diſcrimen. E calcibus mercurialibus paratus fere ſemper aliquid hydrargyri continet. Vidit noſter, duos homines, qui huiusmodi aërem ob morbos pectoris haurirent, mox ſaliuatione tentari. Cum lagenas tali aëre repletas frigori vehementi expoſuiſſet, parietes lagenarum ſtrato calcis mercurialis ſubtiliſſimo obducti ſunt. Praeterea bis vidit in lagena, quae aërem recens elicitum exciperet, praecipitatum flavum naſci, cum liquidum, quod aër peruadere cogeretur, incaleſceret. Aër vitalis e vegetabilibus paratus nunquam ea eſt puritate, qua is, quem genuerunt calces metallorum. — De combuſtione accurate agitur, praemiſſis, tanquam axiomatibus, his quatuor propoſitionibus: ſine aëre vitali nullam dari combuſtionem; in quauis combuſtione aërem vitalem abſorberi; producta combuſtionis pondere tantum creuiſſe, quantum aëris vitalis abſorpti pondus efficit; in omni combuſtione calorem lucemque libera reddi. — De reſpiratione aërisque puri ad eam neceſſitate. Phaenomena reſpirationis piſcium diu noſter obſeruauit, viditque, piſces a fluidis aëriformibus perinde, ac cetera animalia, affici. Clariſſ. FOURCROY reperit, aërem in veſica aërea cyprinorum incluſum nihil eſſe aliud, niſi aërem phlogiſticatum (*gaz nitrogène*). Structura inſectorum oeconomiae plantarum perquam ſimilis eſt. Etenim primum organa reſpirationi inſeruientia in inſectis plantisque ſimiliter ſunt comparata, h. e. per totum corpus

pus ſparſa. Tum inſecta ad nutritionem non indigent aëre puriſſimo, quemadmodum plantae principio aëris atmoſphaerici letali nutriuntur. Deinde tam inſecta quam plantae aërem vitalem exhalant. FONTANA quidem varia inſecta in aquis ſtagnantibus habitantia reperit, quae luci expoſita ſolari aërem vitalem exhiberent; materiaque viridis in aquis ſtagnantibus naſcens, a PRISTLEYO, SENEBIERIO, aliisque naturae ſcrutatoribus conferuis adnumerata, ſed ab INGENHOVSSIO pro domicilio animalculorum habita, in lumine ſolari magnam vim aëris vitalis eructat. Denique analyſis inſectorum principia fiſtit, quae plantarum principiis analoga ſunt, quo ſpectant reſinae, olea volatilia etc. — Aër exſpiratus conſtat ex aëre phlogiſticato, fixo et vitali. Aër, in quo noſter quinque paſſeres ſuffocauerat, tenebat adhuc $\frac{17}{100}$ aëris vitalis. Experientia docuit, animalia vegetabilibus veſcentia aërem longe minus corrumpere carnivoris. Clar. DE LA METHERIE aſſerit, vnius horae ſpatio hominem aëris vitalis pollices cubicos 360 abſorbere: ſed noſtrum ſua docuerunt tentamina, huius aëris longe minus conſumi. — Effectus huius aëris in ſanguinem primarius is videtur eſſe, quod tinctum illi dilute rubrum impertit. Quod ſi cruor venoſus ſubniger ab aëre puro contingitur, ipſius ſuperficies colorem contrahit dilute rubrum. Alter effectus reſpirationis eſt, quod ſanguinis per pulmones fluentis calor augetur. — De aeris puri viribus medicis. Auctor non contendit, aërem purum phthiſis, vt multis placet, remedium eſſe ſpecificum, potiusque aſſerit, in huiusmodi morbis noxium fieri poſſe (ſimilia monuit LICHTENBERGIVS); commendat tamen eius vſum, cum aegrotus ſic poſſit egregie exhilarari. — De modis aërem corruptum corrigendi. — Nonnulla huic capiti inter pres additamenta adiunxit. Agitur in iis de combuſtione

ſtione, vbi de lucerna Argandiana; de reſpiratione; de viribus aëris vitalis medicis in phthiſi aliisque morbis; de eiusdem aëris influxu in colores ſubſtantiarum vegetabilium.

*Cap. III.* De aëre phlogiſticato (*gaz nitrogène, gaz azote, moſette atmoſphèrique*). p. 258–262.

*Sectio ſexta.* De aëre phlogiſticato vitali remixto, ſ. de aëre atmoſphaerico. Aëris vitalis efficacitas admiſtione phlogiſticati frangitur. Quod niſi eſſet, vita humana cito conſumeretur. Omnino aër purus nobis non magis, quam aqua deſtillata, prodeſt, videturque hoc eſſe naturae conſilium, vt haec principia non ſumma puritate vſurpemus. p. 262–266.

*Sectio ſeptima.* De coniunctione aëris vitalis et inflammabilis ad aquam generandam. Aquam noſter ſub triplici reſpectu conſiderat. p. 266–289.

A. De aqua ſub forma glaciei. — Grando auctori productum videtur, quod repentina liberatione materiae electricae aquam liquidam ſeruantis generatur. Fere ſemper cum tonitru coniuncta eſt, tentaminaque QVINQVETI hanc theoriam confirmant. Narrat auctor caſum, cuius ipſe fuit teſtis oculatus, quique videtur hac in theoria nonnullius momenti. Die vndetriceſimo Octobris 1786 cum Monte Peſſulano pluuia caderet, tonitru vehementiſſimum hora quarta pomeridiana grandinem inſignem generauit. Forte fortuna ſeplaſiarius cum aquae in cellam irruentis damnum arceret, vidit obſtupeſcens, aquam murum perpluentem glaciei formam induere. Poſt horae quadrantem noſter locum viſitauit, viditque decem glaciei libras ad murum coaceruatas. Per murum non poterat glacies iam formata penetrare, nam murus erat integerrimus nullisque fiſſuris patebat. Iam quaerit auctor, num eadem cauſa, quae grandinem in atmoſphaera generauit, etiam glaciem in cella illa genuerit. p. 269–272.

p. 273–276. B. De aqua in ſtatu liquido. Cum noſter Monte Peſſulano degeret, vidit, imbrem aquam dare longe impuriorem illa, quae obtinetur, ſi pluuia aliquot horas diesue durauerit; pluuiam per auſtrum adductam ſalem marinum ſolutum tenere, e contrario nihil huius ſalis in illa contineri, ſi ſimul cum pluuia boreas ſpiret. — De aquae deſtillatione. — Roris noxiae qualitates noſtro videntur a materiis noxiis in atmoſphaera natantibus repetendae, quae a vaporibus aquoſis aërem penetrantibus ſuſcipiuntur. — Vt aqua pura ſanitatem ne laedat, ab aëre atmoſphaerico prius, quam bibitur, tangatur cumque eo copuletur neceſſe eſt: haecque noſtro videtur ratio, quamobrem aqua e glacie liqueſcente naſcens ſanitati noxia ſit.

p. 277–289. C. De aqua in ſtatu aëriformi. Agitur de experimentis noſtrorum temporum aquae naturam aëream ſynthetice et analytice demonſtrantibus. Additamenta interpretis ad eandem demonſtrandam comparata ſunt.

p. 290–309. *Sectio octaua.* De coniunctione aëris phlogiſticati 1) cum aëre inflammabili, 2) cum principiis fixiciis, ad ſales alcalinos generandos. Cum demonſtratum videatur, aërem phlogiſticatum cum inflammabili copulatum ſubſtantiam generare ſalibus alcalinis adnumeratam (alcali volatile), cumque veroſimile ſit, reliquas ſubſtantias ad eandem corporum claſſem referendas ex eodem aëre baſique terrea conſtare, hoc loco auctor de ſalibus alcalinis agendum cenſuit. Primum de his corporibus in vniuerſum.

p. 291–303. *Cap. I.* De ſalibus alcalinis fixis. Recte fixi audiunt; nam nec in foco ſpeculi cauſtici poſſunt volatiliſari, nec odorem ſpargunt, qui nares facile feriat.

p. 292–295. A. De ſale alcalino fixo vegetabili (*potaſſe*). Auctore e centenario cinerum fagineorum obtinuit huius

huius ſalis libras II — 13, e centenario cinerum betulae 12 — 14.

B. De ſale alcalino fixo minerali (*ſoude*). p.295-

Etſi alcalia fixa nondum potuerunt perfecte de- 303.
componi, probabile tamen eſt, aërem phlogiſticatum inter ipſorum principia referendum eſſe. Clariſſ. THOUVENEL cum cretam elixatam vaporibus ſubſtantiarum animalium putreſcentium expoſuiſſet, nitrum nactus eſt. Noſter hoc experimentum in loco clauſo repetiit: cretae libras viginti quinque aqua calida diligenter eluit, tumque vaporibus ſanguinis bubuli putreſcentis expoſuit; menſibus vndecim elapſis, nouem reperit vncias calcis nitratae, tresque vncias et drachmam nitri. Si ſaponem ſaepius deſtillas, ipſe decomponitur, alcalique volatile prodit: iam clar. BERTHOLLET docuit, aërem phlogiſticatum principum eſſe alcali volatilis; vt iure poſſis ſuſpicari, aërem phlogiſticatum in principiis ſalium alcalinorum numerandum eſſe. (In nota interpres monet, clariſſimum TINGRY in iis plantis, quae nitrum exhiberent, etiam alcali volatile reperiſſe; hinc ſuſpicatur, falium alcalinorum eadem eſſe principia, differentiamque in ſola proportione poſitam eſſe.) Itaque noſter arbitratur, aërem phlogiſticatum cum terra calcarea copulatum alcali vegetabile, cum magneſia minerale generare. Quod hanc alcali mineralis geneſin attinet, prouocat etiam ad tentamina DEHNII, DEYEUX, LORGNAE, OSBURGII.

*Cap. II.* De ſale alcalino volatili (*ammoniaque*). p.304-
Alcali volatile videtur eſſe ſolius putredinis ſuboles: 309.
quod enim deſtillatione e nonnullis ſchiſtis elicitur, id inde repetendum eſt, quod hae ſubſtantiae ortum ſuum decompoſitioni corporum animalium ac vegetabilium debent. In putredine pariter ac in deſtillatione demum e principiis ſuis coaleſcit; nam analyſis ſaepiſſime nihil alcali formati iis in partibus denu-

dat, e quibus per deſtillationem et putredinem copioſe extricatur. — De aëre alcalino. Pelles animalium corrodit. Tanta eſt ipſi irritatio, vt corpora auium, quas auctor hoc in aëre ſuffocauerat, vndique puſtulis obtegerentur. Cum aëre atmoſphaerico ſit leuior, ſuaſerunt nonnulli, vt machinae aëroſtaticae eo replerentur. Comes quidam MILLY auctor fuit, vt machina prunis inſtrueretur, quae aërem quam maxime extenderent inque hoc ſtatu ſervarent. — Tentamina PRIESTLEII aërem alcalinum per ſcintillam electricam in inflammabilem immutantis, item LANDRIANI eandem immutationem perficientis, cum hunc aërem per tubos vitreos candefactos tranſire cogeret, mouerunt ſuſpicionem, aërem inflammabilem tanquam principium in alcalino contineri. Clariſſ. BERTHOLLET, quicquid dubitationis hoc ſuper argumento remanebat, primus ſuſtulit, omniaque adeo tentamina videntur demonſtrare, alcali volatile ex aëre phlogiſticato atque inflammabili compoſitum eſſe. E BERTHOLLETI analyſi ſequitur, in mille alcali volatilis partibus circiter 807 partes aëris phlogiſtici, et 193 aëris inflammabilis contineri. Secundum AUSTINVM aër phlogiſticatus ad inflammabilem ſe habet = 121:32.

p.309–411. *Sectio nona.* De copulatione oxygenii cum nonnullis baſibus ad acida generanda. Primum de acidis eorumque proprietatibus in vniuerſum. Cauſticum acidorum ſaporem ab inſigni aliorum corporum, quo acida trahuntur, appetitu auctor repetit.

p.316–329. *Cap. I.* De aëre fixo ſ. acido aëreo (*gaz acide carbonique*). Docuit LOVOISIER, hoc acidum e baſi aëris puri materiaque carbonum ſ. carbone puro conflari. Ideo in nomenclatura noua acidum audit carbonicum. Sub triplici forma reperitur: aëriforme; aliis corporibus (aquis mineralibus) admiſtum;

cum

cum aliis corporibus (terra calcarea, magneſia, ſalibus alcalinis etc.) intime coniunctum.

A. De alcali vegetabili aërato (*carbonate de potaſſe*). p. 326–327.

B. De alcali minerali aërato (*carbonate de ſoude*). p. 327–328.

C. De alcali volatili aërato (*carbonate d'ammoniaque*). p. 328–329.

*Cap. II.* De acido vitriolico (*acide ſulphurique*), et vitriolico phlogiſticato ſ. ſulphuris (*acide ſulphureux*). p. 330–343.

Sulphur ſublimatum, molle, acidum ſulphuris, acidumque vitriolicum tantummodo diuerſa baſis aëris puri ſ. oxygenii proportione inter ſe differunt. Si inter ſulphuris combuſtionem aër cum impetu aduehitur, ſulphur integrum abripitur, nihilque paſſum mutationis, quod oculos feriat, parietibus plumbo obductis eorum conclauium, in quibus oleum vitioli paratur, adhaereſcit. Imminuto aëris impetu, copulatio fit paulo arctior: ſulphur nonnihil immutatur, ſubque forma cuticulae ſuperficiem aquae contegit; haec cuticula corii inſtar ductilis eſt, ſimiliterque poteſt tractari. Si impetus aëris magis etiam decreſcit, vt aëri ſat temporis ſuppetat ad connubium cum ſulphure contrahendum, coniunctio fit arctior, proditque acidum vitriolicum volatile: hoc acidum in atmoſphaerae vulgari temperatura formam aëream conſeruat, ſed frigore intenſo aquae ad inſtar liquidum fit. Denique ſi combuſtio magis adhuc impeditur, aërque cum ſulphure quaſi digeritur, connubium accidit arctiſſimum, acidumque vitriolicum generatur: huius acidi generatio facilior redditur, ſi ſulphuri nitrum adiungas, nam in nitro baſis aëris puri magna copia ineſt. Alibi (in annalibus chemicis Pariſinis) auctor docuit, aërem vitalem in atmoſphaera contentum ad geneſin acidi vitriolici nunquam ſufficere, ſed ſemper nitrum adiungendum eſſe. — Ad

parietes conclauium, in quibus acidum vitriolicum paratur, obducendos auctor (vid. annales chemici Pariſini, vnde haec interpres deſumſit) non amplius plumbo vtitur, ſed luto quodam longe minoribus ſumtibus parabili: conſtat hoc lutum ex aequalibus partibus reſinae, terebinthinae et cerae; hae ſubſtantiae in aheno colliquantur, donec particulae volatiles omnes auolauerint, adhucque calentes parietibus oblinuntur. Acidum vitriolicum liberum, quod in Italiae locis nonnullis repertum eſt, ſulphuris combuſtione natum noſtro videtur.

p.338–339. A. De tartaro vitriolato (*ſulfate de potaſſe*). In nota interpres de lumine phosphorico huius ſalis a GIOBERTO obſeruato loquitur *).

p.340–341. B. De ſale mirabili GLAVBERI (*ſulfate de ſoude*).

p.342–343. C. De alcali volatili vitriolato (*ſulfate d' ammoniaque*).

p.344–367. *Cap. III.* De acido nitroſo (*acide nitrique.*) Acidum nitroſum ſecundum antiphlogiſticorum theoriam conſtat e baſibus aëris puri aërisque phlogiſticati: nam aër nitroſus, quem acidum nitroſum decompoſitum exhibet, ſecundum CAVENDISHII et VAN MARVM tentamina ex aëre phlogiſticato puroque compoſitus eſt. — De eudiometro FONTANAE. — Additamentum interpretis principia acidi nitroſi ſpectat.

p.357–365. A. De nitro (*nitrate de potaſſe*). — De pulvere pyrio etc.

p.365–366. B. De alcali minerali nitrato (*nitrate de ſoude*).

p.366–367. C. De alcali volatili nitrato (*nitrate d' ammoniaque*).

*Cap.*

*) Acta academiae Taurinenſis. (Comm. noſtr. Vol. XXXIII. p. 588.)

*Cap. IV.* De acido muriatico tam vulgari quam dephlogiſticato. — In additamento interpres de acido muriatico dephlogiſticato diſſerit. p. 368–396.

A. De alcali vegetabili ſalito (*muriate de potaſſe*) — Hic ſal etiam in cineribus nicotianae repertus fuit: id quod noſter vehementer miratur, vt qui potius ſalem culinarem in illis ineſſe debere cenſeat, quem conſtat ad tabaci humectationem adhiberi. Suſpicatur ideo, alcali minerale per fermentationem vegetabilem in vegetabile transmutatum fuiſſe. p. 382–383.

B. De ſale culinari (*muriate de ſoude*), Sal foſſile auctor a lacubus ſalſis exſiccatis repetit. — De variis modis alcali minerale e ſale culinari extricandi. p. 383–392.

C. De alcali volatili ſalito ſ. ſale ammoniaco (*muriate d'ammoniaque*). p. 392–396.

*Cap. V.* De aqua regis (*acide nitro - muriatique*). Quatuor vnicae ſalis ammoniaci puluerati vna libra acidi nitroſi in frigore ſolutae aquam regiam praeſtantiſſimam exhibent. Ex hac aqua per longum temporis ſpatium acidum muriaticum dephlogiſticatum emergit, fallereturque, qui hanc illius explicationem impedire conaretur; e contrario curandum eſt, vt ne illi abitus obſtruatur. — Odor manifeſtus acidi muriatici dephlogiſticati, qui ex aqua regia quauis methodo parata emergit, proprietasque aurum ſoluendi iſti acido competens induxerunt chemicos, vt crederent, inter duorum illorum acidorum, e quibus aqua regia componitur, commiſtionem acidum muriaticum nitroſo baſin aëris puri eripere, ac dephlogiſticatum, vti vulgo audit, euadere, adeoque has tantum eſſe nitroſi partes, vt muriaticum baſi aëris puri augeat. At enim hoc cum rei natura non videtur noſtro congruere. Etſi enim proprietates acidi muriatici admiſtione nitroſi aliquid mutationis patiuntur, muriaticumque per decompoſitionem portionis nitroſi baſi aëris puri augetur, p. 397–399.

ambo tamen acida in aqua regia inſunt, noſtrumque ſua tentamina docuerunt, in aqua regia accuratiſſime parata, ſi alcali vegetabili ſaturetur, ſalem digeſtivum nitrumque coaleſcere: creditque auctor, aquam regiam tantummodo propterea tanta pollere efficacitate, quod acida coniuncta ſint, quorum vtrumque metalla facile calcinet, alterum metalla calcinata promte ſuſcipiat.

*Cap. VI.* De ſale ſedatiuo HOMBERGII ſ. acido boracis (*acide boracique*). Ad ſalem ſedatiuum e borace extricandum noſter methodum Hombergianam optimo cum ſucceſſu ſequitur. Vtitur ad hanc operationem vaſe retorto vitreo, quod balneo arenae immittit. Boraci ſuperfundit ſubduplum (ponderis ratione habita) acidi vitriolici, ignemque tum admouet ſublimatorium. Sal ſublimatus ſumme eſt candore — Salem ſedatiuum elementis chemicis adnumerandum eſſe, cum vehementer errauerint, qui principia ipſius reperiſſe ſibi viſi ſint, cum alii, tum nuper clariſſ. DE MORVEAU docuerunt. — In nota interpretis de reductione ſalis ſedatiui in ſubſtantiam metallicam a TONDIO et RVPRECHTO tentata, ſed ab experientia parum confirmata agitur.

p. 404–405. A. De alcali vegetabili acido boracis iuncto (*borate de potaſſe*).

p. 405–411. B. De borace vulgari (*borate de ſoude.*)

p. 411. C. De alcali volatili acido boracis iuncto (*borate d' ammoniaque*).

p. 411–424. Ad finem huius tomi de aquis mineralibus breviter agitur. Aquas minerales ſic noſter definit: ſunt aquae ea copia principiorum peregrinorum inſtructae, vt in corpore humano mutationes producant, quas vulgaris aqua producere nequit. — In quatuor

tuor claſſes ab auctore diuiduntur. Prima claſſis complectitur aquas acidulas et aëratas (*eaux acidules et gazeuſes*); altera aquas ſalſas (*eaux ſalines proprement dites*); tertia aquas ſulphureas (*eaux ſulfureuſes*); quarta denique aquas martiales (*eaux martiales*).

(Reliqua proxime.)

## VII.

D. CHRIST. GOTHFR. GRVNERI Prof. med. Ienenſ. *Luſus medici.* Ienae. Sumt. Auctor. 1792. 4. pgg. 40.

Exhilarati ſumus magnopere, dum has plagulas perlegebamus, ſale multo refertas. Argumenta, de quibus Illuſtr. Auct. hic diſſerit, a rebus petita ſunt, quae aut e communi hominum ſententia non niſi vituperia merentur, aut de quibus primo intuitu futilia tantum commemorari, et incredibilia praedicari poſſe videntur. Illa vero ita oratione proſecutus eſt Cl. G. vt, iis non omnem laudis materiam deeſſe, cofiteri cogamur; haec ita, vt futilia ex aliqua certe parte grauitate, incredibilia probabilitate ſe commendent. Neque tantum in ludicris verſatus eſt, ſed ridendo verum dicere, atque adeo delectando ſimul vtilem fieri ſtuduit. Tota orationum ratio ita eſt comparata, vt, niſi integras deſcriberemus, lectoribus genium earum, variosque, quibus diuites ſunt, lepores repraeſentare haud poſſimus. Itaque res tantummodo indicabimus, quas laudum encomiis extollere anniſus eſt Ill. G.

Orat. I. de venerabili Aeſculapii barba agit. Orat. II. laudes febris enarrat. Orat. III. in laudibus podagrae occupatur. Orat. IV. ſtultitiae medicae encomium continet. Orat. V. de clerico medico e republica exterminando diſputat. Orat.

VI. vti SWIFTIVS quondam hominem ſimillimum eſſe ſcoparum manubrio, cuius ſuperior pars inferiora verſus conuerſa eſt, ita G. hominem bullam eſſe demonſtrat. Orat. VII. eaque vltima breuiter exponit de illo prouerbio, quod ſaepe veriſſime dictum eſt: *mentiris vt medicus.*

Ceterum certiſſime perſuaſum nobis eſt, neminem fore, quem perlectis his plagulis temporis impenſi poeniteat.

## VIII.

FREDERICI van der MYE, Delphenſis, praefidii Bredani medici regii, *de morbis et ſymptomatibus popularibus Bredanis tempore obſidionis et eorum immutationibus pro anni victusque diuerſitate, deque medicamentis in ſumma rerum inopia adhibitis Tractatus II.* Iterum edidit ob raritatem et argumenti grauitatem, notulis auxit et praefatus eſt D. CHR. GOTHFR. GRVNERVS, Seren. Duc. Saxo-Coburg. a conſiliis ſanct. et archiat. — Seren. Duci Saxo-Vinar. a conſ. aul. Prof. Medic. in ac. Ien. ordin. etc. etc. Ienae cIↃIↃccxcii. 4. ſumt. auctor.

Libellus, quem hic Ill. GR. typis iterum exſcribendum curauit, prodiit primo Antwerpiae cIↃIccxxvii. 4. ex officina Plantinian, fuitque cum ob eximiam raritatem, tum ob multarum, quas continet, rerum vtilium copiam dignus, qui denuo typis mandaretur. Laudamus eam ob rem Cl. Editorem, quod partim per opportunitates, quas Ipſi publicae medicorum iuniorum promotiones offerebant, fruſtulatim quodammodo, partim nunc integrum cum lectoribus communicauit librum talem, qui obliuio-

in

ni non meritae eripiendus omni modo erat. Norunt ii, qui ſuperiorum etiam ſeculorum libros euoluunt, nec libris tantum nunc prodeuntibus, qui praeter nouitatem ſaepe nihil habent, quo commendentur, legendis operam dant, norunt, inquam, librum van der MYE conſtare duabus partibus, quarum prior peſtem ſcorbutumque, obſidionis duritie natos morbos, graphice depingit, alter vero ſcholiis ea, quae in morborum deſcriptione breuiter adumbrata erant, latius exponit. Sed cum illius operis argumentum, vt notum, iure meritoque ſumi poſſit, deſiſtimus ab eo vlterius enarrando. Potius ea, quae Illuſtr. Editoris diligentia et eruditione acceſſerunt, commemorabimus. Ac primum quidem hiſtoricos conſuluit, qui obſidionis Bredanae mentionem iniecerunt, HERM. HVGONEM, DAN. HEINSIVM, et MARC. ZVERIVM BOXHORNIVM, vt, quid inde ad FREDERICI van der MYE narrationem de obſeſſorum toleratis aerumnis indeque natis morbis firmandam et illuſtrandam hauriri poſſet, ex his fontibus deriuaret. Dein ea adiecit, quae nuperi melius et accuratius et de peſte, et de ſcorbuto, eorum cauſis atque ſymptomatibus, nec non de medendi methodo, his morbis omnium optime accommodata, ſcriptis prodidere ſuis. Hae quidem notulae, ſi earum ambitum conſideres, maximam partem breuiſſimae ſunt, ſed eaedem quoque lectionis late patentis, iudiciique longo vſu ſubacti luculentiſſima offerunt teſtimonia. Sic, vt pauca tantum exempla addamus, de haemorrhagiarum in peſte adfectis dubio euentu; de venaeſectionis ab his medicis maximopere contra hunc dirum morbum commendatae, ab aliis contra ea acerbiſſime impugnatae vtilitate; de peſtis contagio, quod ab his admiſſum et defenſum, ab illis negatum et oppugnatum fuit; de ſcorbuti antiquitatibus et ſ. p. breuiter; ſed ad rem appoſite diſeruit Cl. GR.

IX.

## IX.

BASSIANI CARMINATI, Hygienes, ther. gener. mater. med. et chir. ac pharmac. in Ticin. Gymnaſ. reg. profeſſ. Noſocom. med. primar. et reg. acad. ſcient. Neapol. Senenſ. Mantuan. elector. Mogunt. patriot. Mediol. etc. ſodalis, *Hygiene, therapeutice et materia medica.* Vol. I. Papiae CIↃIↃCCXCI. 8. pagg. 404.

Cl. Auctor ſermone haud admodum terſo latinoque ea, quae optimi deinceps nominandi ſcriptores his de rebus expoſuere, comprehendit, cum iuberetur hygienen cum therapeutice et materia medica coniunctim tradere. Quae inſtitutionis ratio, a Celeb. TISSOTO *) iam, nec temere commendata, Auctoris plauſum ferre haud videtur, quippe qui nimis frigidus eiusdem laudator exiſtit. Etenim „conſulto ſtatutam fuiſſe hanc coniunctionem doctrinarum, quae quondam a ſe inuicem ſeparatae tradebantur, ex eo *perhiberi* contendit, quod res illae, quarum optimo vſu ſanitas ſeruatur, eaedem ſint, quae opportune in morbis adminiſtratae aegrum corpus ad priſtinam integritatem perſaepe reſtituunt, vel ſaltem medicamentorum vires et actiones in aegri ſalutem inſigniter adiuuant.“. Sed mittamus haec, et quis ordo ab auctore adhibitus, quae propria et nova prolata fuerint, potius diſpiciamus. —

Prooemio continetur praeter ſcribendi occaſionem hygienesque notionem ac diuiſionem exhibitam enumeratio et diiudicatio ſcriptorum cum veterum, tum recentiorum, qui de hygiene, therapeutice et materia

*) *Verſ. über die Mittel den Unterr. in d. Arzneyk. zu verbeſſern p.* 57.

materia medica prae ceteris expoſuere. Inter quos LVDOV. CORNARVS (CORNELIVM minus recte dicit auctor) et, quod ob inimicitiam, quam erga collegam exſerere relatus nobis eſt *Carminatus*, miramur, Illuſtr. FRANCKIVS quoque cum multis aliis laudati ſunt, omiſſo, qui inter principes diaeteticos nuperiores referendus eſt, GVIL. STARCKIO, Anglo.

*Caput. I.* de methodo medendi. Expoſitis, quae vulgo nota ſunt, de indicantibus, indicatione, indicatis, in contraindicantium notione recta verſatur Auct. Ea enim medico inprimis tironi admodum neceſſaria eſſe vere ſtatuitur, cum quae ab imperfecto rerum, quae in aegro aut circa eum contingunt, examine, aut a falſis principiis in medendi arte receptis, aut a iudicii, quo medicus vtitur, defectu deriuanda ſunt, temere, ſaepiusque cum aegri damno, ad morbum referri ſoleant ipſum. In complicatis potiſſimum morbis contraindicantia et prohibentia interdum, non item in ſimplicioribus, occurrere, ardoumque tunc eſſe, quae reuera et abſolute indicent, ſine errandi periculo cognoſcere. — Dein praecipua illa artis praecepta, quae in medendi methodo proponi ſolent, cum medicinam facturis magnam opem praeſtent, expenduntur. Huc pertinet, quod in aegris indicet, ſecundum vel contra naturam eſſe, ac prius ſui conſeruationem, poſterius amotionem perpetuo praecipere: duabus indicationibus praeſentibus, quas ſimul clinicus nequeat explere, aut vitali indicatione cum aliis coniuncta maxime vrgente, ad primariam aut vitalem medici actionem continuo dirigendam eſſe, vbi certa et perſpicua indicatio non ſuppetat, eam ex ſimilium et affinium morborum affectionibus deſumi debere: naturam, quo vergat, eo ducendam: conſeruationem ſimilibus, curationem contrariis abſolui: in magnis et celerrimis paſſionibus continuo et ſemel validiora medicamenta tentanda:

p. 21.

p. 32.

da: idioſyncraſiae rationem in exhibendis vel optime indicatis medicamentis habendam: quoties tutiora remedia haud profuerint, toties dubia etiam experiunda, vbi nullum ex his vitae periculum immineat. —

p. 42. Denique agendi ſeque gerendi praecepta adfert, a quolibet medico in quolibet morbo obſeruanda, v. c. non aduolare debere medicum ad pulſum aegroti explorandum: non nimis curioſe in morbum inquirendo ſollicitudinem aegroti augendam et quae ſunt reliqua.

p. 50. *Caput II.* De recto aeris vſu in ſecunda et adverſa valetudine. Mittimus, quae notiſſima ſunt de vario eoque magno aëris in ſanitatem influxu, de maritimi aëris prae terreſtri praeſtantia, vbi INGENHOVSSII experimentorum, huc prae ceteris, facientium ne minima iniecta eſt mentio, etc. Aerem lacuſtrem, quem plerique nec ſatis purum et tutum, ac nimis humidum iudicant, ex Celeb. VOLTAE experimentis ſicciorem ſtatuit eo, qui ad lacuum litora reperitur, et ſatis purum quoque, ſi lacuum aquae late pateant, et regularibus ventis crebro exagitentur. Cum ad aëris puritatem ſalubritatemque ſolis aut lucis actio magnopere conferat, diurnum praeſtare nocturno, et meridianum matutino. Hinc qui in tenebris diu verſentur, etiamſi aeris renouationem non omittant, floridum tamen amittere cutis ruborem, macilentam ſenſim faciem induere atque deprauati habitus incommodis mulctari. Aërem puriſſimum, praeſertim in humidioribus terrae locis ſua integritate, niſi ventis ſubinde concuſſus renouetur, priuari, et nocuum fieri, ex epidemicis quorundam morborum conſtitutionibus, a ſubito ſtagnante aëre profectis; ex endemicis aut ſtationariis aegritudinibus, quibus quaedam regiones ex hac potiſſimum cauſſa obnoxiae ſunt; ex Cretinorum denique miſera ſorte patere, cuius morboſi ſtatus *cauſam* in aere calido, in vallibus Sedunorum concluſo, ponendam SAVSSVREVS, *effectum* vero in laeſa fabrica partium, quae

quae cerebrum conſtituunt atque occludunt, conſpici ex diſſectionibus MALACARNEVS didicit. Ruſticanum, montanum et agreſtem, (quomodo hic a ruſticano differat, haud videmus) vrbano puriorem quidem, hunc tamen non vniuerſim inſalubrem eſſe, et pluribus morbis cauſſam praebere. Ventorum p. 59. quoque rationem habendam, quippe qui validius tranquillo aëre nos afficiant, et hunc facile vario modo immutent. — Scire refert, in qua aëris temperie vnius cuiusque valetudo certior eſſe queat. Monere medicos italos, bene valentibus ibi terrarum in vniuerſum conducere eam aeris temperiem, quae + 11° ſcal. Reaum. non excedat, aegrotis vero eam, quae aequet + 13° eiusd. ſcalae. Qui domi ſe perpetuo continere nequeant, curare debere, vt temperies aeris, quem domi inſpirant, eam paulo ſuperet, qua exterior gaudet: in hac tamen re corporis naturam et regionis ſortem animaduertendam eſſe. Etenim in Italia non locum habere, quod DVPLANILIVS generatim tradat, cutis nempe emanationem non ſupprimi, quando exterior aër eo, qui intra domum hauriatur, decem gradibus frigidior ſit: ſed vix ibi tuto in apertum aërem tranſire homines poſſe, interiore ſex gradibus frigidiorem. — Pari ſtudio vitandas eſſe reliquas conuerſiones mutationesque non minus periculoſas, quae ob alias quoque cauſas a frigore diſtinctas in aëre nos ambiente antelucanis et veſpertinis maxime horis ac certis anni temporibus accidunt. Quando autem inſolitam et grauiorem aeris mutationem euitare haud poſſimus, tunc totum ei corpus obiiciendum, aëremque magna celeritate commutandum eſſe: quoniam poſt BANCKII et SOLANDRI experimenta et MOSCATVS ſuo vſu edoctus inuenerit, minus a ſubitaneis maximisque temperiei aeris immutationibus corpus affici, vbi non in vnam tantum corporis partem, ſed in totam

tam eius ſuperficiem pari vi et modo agere poteſt (id quod et Ruſſorum exemplum euincit, qui e vaporariorum ſuffocante aeſtu ſubito ſeſe in frigidiſſimam aquam ſine vllo ſanitatis detrimento praecipi-
p. 66. tare ſolent). Quando impurum et noxium aerem haud poſſimus cum integro et ſalubri commutare, tum nos vel corrigere eum, vel ab eius iniuriis nosmet tueri debere: illud variis phyſicorum artibus; hoc non naturalibus rebus ita vſurpatis effici poſſe, vt noxii aëris effectus emendentur. Agit igitur Cl. Auct. de optima aedificiorum expoſitione et conſtitutione, vti et de prudenti veſtium vſu. Has nec leuiores nec grauiores eſſe debere, quam anni tempus, regionis natura, ſexus, aetas, conſuetudo poſtulent, quae frigoris aut caloris, corpus aut nimium, aut ſubito afficientis, iniurias arceant, humidi quoque aeris actioni aduerſentur, cutis exhalationem conſeruent, et motus libertatem facilitatemque tueantur. Humida indumenta et calceamenta eo promptius mutanda eſſe, quo pauciore humore conſperſa appareant. FRANKLINIVM enim iteratis experimentis euiciſſe, veſtes, niſi protinus deponantur, grauius nocere levi humore adſperſas, quam ſi maximo imbre madeant. Aeſtate et maxime in calidis regionibus laxas expedire veſtes, ac contra hyeme frigidoque ſub coelo ſtrictius corpori adiacentes. Vitandas eſſe illas, quae artus, et praeſertim abdomen moleſtius comprimant. Cum vero interdum veſtes contra ſubitas aëris viciſſitudines nullum offerant praeſidium, et neceſſitate coacti regulas diaeteticas negligere debeamus, ſanitati optime proſpiciemus noſtrae, ſi corpus eiusmodi iniuriis aeris adſuefaciamus, id-
p. 73. que ſenſim ſenſimque. Aegrotis, acuto morbo detentis, temperandus eſt aer, quotiescumque vel ſenſuum teſtimonio, vel adhibito etiam thermometro illius calor auctus apparuerit. Si ad frigus diſcutien-

dum

dum igne opus eſt, ille debet nunquam eſſe valde luculentus, ne plus iuſto caloris effundat, nec nimia luce cubantis oculos perſtringat, viresque magis laedat, nec denique plus aëris vitalis e circumfuſo aëre atmoſphaerico abſumat. Quando ſubcalido eoque humido aëre opus eſt, vt contracta vaſa laxentur, et inſpiſſati nimis humores diluti ac reſoluti minora quoque vaſcula queant permeare, vaſa magnae ſuperficiei feruente aqua in cubiculum ponere, eaque ſubinde renouare expedit, aut pauimento eandem aquum adſpergere, ſtirpes aqueis particulis abundantes aperto vaſe decoquere, fornaci panniculos madefactos appendere etc. Nimis humidum aerem ſuffimentis ad ſiccitatem perducere qui cupiunt, ii eundem vere humidiorem reddunt. Renovandum vero inprimis eſſe aerem, in quo quis acuto morbo decumbit, quoniam hic aerem magis corrumpit, quam ſanus homo. Quo quidem conſilio ſi exterior aër libere admitti in conclaue tuto haud poſſit, Suttoni artificio hanc aeris renouationem praeſtandam eſſe, aut acetum ignitis ferramentis, aut cum ſic phlogiſton magna in copia euoluatur, potius lapidibus inſpergendum, aut virentes ramos, aquae impoſitos, in aegroti cubiculo collocandos. Acetum, quod et graues, qui prope aegrum percipiuntur, odores emendat, nec cum fragrantibus odoriſſimisque corporibus commixtum, ſupra prunas euaporandum, quoniam ſic aegrotos quosdam male afficit, nec aquis ſtillatitiis odoratis commiſcendum, vt in remedio antimephitico IANINI. Floribus aërem non modo emendari, ſed corrumpi potius. Denique et meminit rationis illius, qua e nitro liquefacto, aut e magneſio candente etc. aer dephlogiſticatus ſ. oxygenium euolui, atque in aegri cubiculum admitti poteſt. Sed cum et ſumptuoſa ſit, et ab aegrotis facile deſpiciatur, ſuadit Cel. C. vt aqua calcis recens pa-

rata in amplis vaſis in aegri cubiculo reponatur, ſae-
p. 85. piusque renouetur. Vitali aeri puro et integro pulmonibus applicito haud fauet Auct. ſed, FOURCROY vti (Forcroeum vocat) putat, eum partim ſtimulo ſuo, partim noua caloris materie ſanguini affuſa bronchia irritare, ſpiritum accelerare, aeſtum augere, et cordis arteriarumque motus ſollicitare. Igitur in phthiſi (phthyſin ſcribit auct.) nec tuberculoſa, nec vlceroſa, quam, vt bis obſeruauit, inflammationis ſymptomatibus accerſitis non parum exaſperat; in aſthmate, affinibusque affectibus ſpaſticis, quibus ter officere vidit, quamquam initio ſalutis ſpes adfuerat; in chronicis denique morbis, quos febris haud leuis comitatur, ab hoc auxilio abſtinendum: contra ea in excitandis hominibus, mephite ſuffocatis; in ſublevandis iis, quorum laxi et ſeroſa mucidaque colluuie infarcti pulmones anhelitui et aſthmati obnoxii ſunt, magna vtilitate eſſe, ipſum propria edocuit experientia. Praeterea Cl. FOURCROYO ſubſcribit, contendenti, aerem dephlogiſticatum etiam contra ſcrophulas, chloroſin, obſtructiones imi ventris, rhachitidem incipientem, paſſionem hypochondriacam, et ſpiritus difficultatem cum virium languore coniunctam cum vtilitate adhiberi poſſe. Caeterum variae rationes adferuntur, quae aerem cubiculorum, quibus aegroti detinentur, corrumpere poſſunt. Cubiculum amplum lucidumque ſit; cubile puluinaribus ex crinibus paleisque inſtructum, latumque; ſtragulae nec nimis graues, nec iuſto leuiores; quilibet aegrotus ſuo gaudeat lecto. Praeterea alia hic occurrunt praecepta, quae aeris aegrotos ambientis puritatem conſeruandam ſpectant. Denique obſeruat etiam Auct. quod iis, qui e morbo conualeſcunt, in aëris vſu curandum ſit.

p. 94. *Caput III.* De alimentis generatim. Priusquam ad alimenta, quae ſanis aegrotisque conueniant, venitur

nitur, praemittuntur quaedam de alimentis in vniverſum, eorum ſcilicet notione, praeparatione et digeſtione in corpore animali, diuiſione in εὐπεπτα, δυσπεπτα, πολυχυλα, ὀλιγοχυλα, et denique εὐχυμα atque κακοχυμα (quas diuiſiones recte hodie negligi ſtatuit, quoniam omnes fere pendeant ab organorum digerentium qualitate: quam ob rem in eſculenta et potulenta (*poculenta* Auct. ſcribit), et rurſus in animalia et vegetabilia potius diuiditur tota eſculentorum claſſis), vero nutritio principio, quod in glutine ponitur, e victu animali facile ſeparando. Indem glutinoſum principum, quod vegetabilibus deeſſe multi opinati ſunt, cum BECCARII, MARGGRAAFII (ita ſcribendum) et MARABELLII experimentis etiam vegetabilibus competat, inde deducit auctor, vegetabilia ab animalibus, quod ad materiem nutricantem ſpectat, plane non differre. Quae ſententia inde confirmatur magis, quod BERTHOLETUS reperit vegetabilia praeter carbonium et hydrogenium etiam azotim ſ. baſin ammoniaci et acidi nitroſi continere, et FOURCROY albumen, quod olim a vegetabilibus penitus abeſſe credebatur, etiam ex omnibus vegetabilibus adhuc viridibus et acido ſpoliatis eduxit, oſtenditque praeterea inter olea vegetabilia et adipem aut oleum animale, inter emulſiones et lac, inter inſipidos viſcoſos ſuccos, quos mucilagines dicunt, et concreta animalia, quae gelatinas appellant, inter ſaccharum denique, quod e vegetabilibus educitur, atque illud, quod ex lacte paratur, maximam intercedere ſimilitudinem. Quomodo vero haec materies vegetabilis originis in animalem conuertatur, certo definire, et quid ſit illud, quod proprie hominem alat, determinare aut rationem certam et perſpicuam aſſequi, qua alimentum ipſum in totidem abeat partes, quot in humano corpore qualitatibus et vſibus diſſimiles exiſtunt, id ab intelligentia noſtra remotum eſſe. In tantis, quod ad p. 108.

prius attinet, tenebris iuuare cum LORRYO animaduertere, humores, qui in circuitum agantur et communem conſtituant maſſam, manifeſto diſtingui in aquam, lympham, ſerum, chylum ſ. potius huius partem nondum aſſimilatam, atque in rubram ſanguinis partem; chyli portionem nutritioni dicatam, vaſorum vim paſſam, aliquot poſt horas in gluten conuerti, atque eiusmodi gluten natura et proprietatibus ad ſolidas corporis partes quam proxime accedere, fluidis etiam admiſceri et continuo ad putridam degenerationem tendere; hoc, quod e glutine proniorem ad putreſcendum indolem adeptum ſit, ſucedere, et aquae admixtum ſerum conſtituere; oleoſum, quod ex eodem glutine ob alias forte cauſſas ſeparetur, cum inflammabili in rubros ſanguinis globulos mutari; denique nutrientes particulas ſpecie et qualitate inuicem differre, varia inter ſe affinitate donari ac diſſimili etiam modo et proportione coniungi, tum concreſcibilem lympham ſ. gluten, variis attenuationis et condenſationis gradibus continuo obnoxium, diuerſimode immutari, atque in ea principia, chemicis operationibus exploratum, reſolui, quae a ſolidis fluidisque humani corporis partibus elici ſolent, ſcilicet in aeris diuerſas ſpecies, aquam, alcali volatile, oleum et terram, atque vltima reſolu-
p. 111. tione in carbonium, hydrogenium et azotim. Alterum, nempe abſolute decernere, quid ſit illud, quod in vniuerſum materiam nutriciam proprie conſtituat, ſeu quid e vegetabilibus, in alimentum cadentibus, a viribus humani corporis educatur aptum nutritioni, longe difficilius eſſe ad eruendum. CVLLENI ſententia, qua animalis materies ex acido, ſaccharo atque oleo componitur, ab Auct. non admittitur, quoniam acidum, quod quidem alibilis ſucci conpoſitionem ingrediatur, per ſe tamen, quando nempe ſimplex ſit acidum, aut potius apta ad nutriendum baſi careat,

careat, nutritionem efficere haud poſſit. Saccharum quoque per ſe non nutrire, ab omnibus oleoſis et mucilagineis particulis deſtitutum. Nec poſſe inde eius facultatem nutriendi deduci, quod aut vrina diabeticorum cum ſummo nutritionis et virium detrimento dulcem habeat ſaporem et ignis ope ſaccharum ſuppeditet, aut ea, e quibus ſaccharum euoluitur, corpora nutritioni inſeruiant. Nam in his corporibus, *oxydem* vegetabilem, duplicem baſin habentem, reperiri, *hydrogenium* ſcilicet atque *carbonium*, quae, quocunque demum modo cum certa oxygenii copia intime coniungatur, in ſaccharum abeat; e quo *gas carbonicum* et acidum *pyromucoſum*, ex aqua maxime et exigua copia olei leuiter *oxygenati* conſtans, educi queat. Oleum denique vegetabile tunc demum nutrire, quando cum aqueis humani corporis humoribus facile atque integrum commiſceri poſſit. Porro p. 120. reperiri praeter has acidi vegetabilis, ſacchari atque olei partes alias oxydis ſpecies cum in animali, tum in vegetabili regno, nutritioni aptas, quas ſuis baſibus donatas amylum, gummi, albumen et gluten vulgo nominamus. Cum hae alibilis materiae ſpecies tantam oxygenii copiam, vt ne inde acidae fiant, abſorbendo in gelatinam abeant illi perſimilem, quae e iam formatis animalium partibus educitur, videri hinc effici, commune alimentum ex iis componi. Neque vero putandum eſſe, in hac hypotheſi aſſumenda tot eſſe alibilis materiae genera, quot ſint oxydes, ad eam efformandam aptae: nam illas, ne oleo quidem excepto, ſpecie diſtinctas, non genere, eſſe, cum quaelibet conſtet carbonio et hydrogenio, et in primo, vt dicunt, gradu oxygenium habeat. — Signa facilis aut difficilis ciborum concoctionis. — Quamquam ſaepius dixit Cl. Auct. opportunam nutriendo corpori humano materiem in vegetabilium alimentorum partibus quaerendam eſſe, tamen non reiicit omnem

victum animalem, sed et vegetabilium et animalium partium coniunctionem sanitati conseruandae omnium optime conuenire statuit.

p. 129. *Caput IV.* De esculentis vegetabilibus speciatim. A *cerealibus* initio facto disquiritur, a quonam principio haec nutriendi facultatem nanciscantur. Reiectis omnibus hac de re opinionibus in oxydibus, plus minusue in cerealium farinis euolutis, haec nutritia materia reperitur, atque a diuersa cuiusque oxydis copia et proportione discrimina repetuntur, quae in cerealium seminibus, quod nutriendi facultatem attinet, existunt. — *Oryzae satiuae* semina, gluma priuata, magnopere laudantur cocta, quoniam valde nutriant, grate sapiant, facile concoquantur, et tardius acescendo omni noxa careant. Panem vero ex oryza insalubrem esse et difficilis coctionis, quia subacta farina, etiam triticeae admixta, vel huius adiecto fermento, vix intus se euoluenti aeri cedit, atque in clibano probe cocta aegre resoluitur. — *Polygonum fagopyrum* praebere farinam, quae sola aegre fermentet subacta (plane contrarium statuit Erudit. HAHNEMANN ad CVLLENIVM), atque etiam, si rite coquatur, panem largiatur non facile solubilem, gra-
p. 139. vem et aliqua reprimendi qualitate donatum. — *Zea mays*, ineunte seculo XVI. in Europam allata, ac per vniuersam Insubriam iamdiu copiose exculta ac laete crescens, semina offert inodora, quorum farina egregie nutriat viresque valde instauret. Id luculenter ostendere illos homines, qui corporibus firmissimis e montibus hyeme in Ticinensem veniunt agrum, vt ligna serra diuidant, quique per quinque integros menses, quibus huic operi incumbunt, vno pulmento ex hac farina cum aqua et sale confecto viuant. (Eodem plane victu cum sanitate firma vti solent Valachi.) Partes constituentes, quae in Zea nuper experimentis repertae fuerint, esse partem glutinosam,

quae

quae quamquam animali naturae minus propinqua ſit illa, quam triticum exhibeat, tamen in zea eſſe eam vberiorem. Cl. Auct. elaſticitatis defectum in cauſa illius diſtantiae ab animali natura ponit, putatque vel farinae praeparatione, vel ipſo digeſtionis opere aerem fixum aut e proxime adiacentibus partibus, aut e primis viis abreptu hanc elaſticitatem illi e Zea glutini conciliare poſſe. Praeter gluten vero nutritiae materiae multum latere in ſaccharo, abunde e Zea educendo. Hinc patere Zeam cum in polenta, tum in pane victum ſalubrem offerre, et quae pani, e ſecalis, aut milii, aut vtriusque farina cum Zeae mixta confecto, vitia obiici ſoleant, ea ab eodem male nec rite confecto, aut vetuſto, acido, aut furfuraceo rectius deduci. — Secali cornuto nocentem tribuit qualitatem *C.* — De *Sagu* ſ. farina palmae farinariae Rumphii: de radice *orchidis maſculae*, vulgo *Salap.*; de *ſolano tuberoſo*, cuius cultura ſtudio maxime ſocietatis reg. Mediolanenſis recens in Italia commendata; de nucibus *fagi caſtaneae*, quae aqua coctae, aut ſub cineribus aliisue modis vſtulatae inflant quidem, ſed citius ſoluntur, clibani autem calore coctae aut exſiccatae ſtomachum onerant, tardiusque tranſeunt, in panis autem formam redactae difficilis adeo concoctionis ſunt, vt haud impune ſumi queant. — Stirpium, quae *papilionaceae* aut *leguminoſae* dicuntur, ſemina difficilius quidem concoqui cerealibus, atque ob copioſum, quem ingeſta euoluant, aërem non omnibus conuenire, abunde tamen nutrire, et vbi perfecte digerantur, cerealibus ipſis valentius cibi genus ſuppeditare. Panem e ſolis leguminibus confectum, vtpote ingratum, durum, nec omnino ſolubilem, ſtomacho admodum grauem, iure a ruſticis reſpui. Huc referuntur Piſi ſatiui, Viciae fabae, et ſatiuae, p. 150.

Phaſeoli vulgaris, Erui lentis, Ciceris arietini, Lupi-
p. 153. ni albi ſemina. — *Olera*, quae plerumque cocta, quaedam cruda in acetariis adhibeantur, parum in ſe continere nutritiae materiei, quamque poſſideant, eam eiusmodi eſſe, vt validum nutrimentum haud praebeat. Etſi enim alibilis ſuccus ex iisdem coaleſcat oxydibus, e quibus alibi dixit *C.* gummi, amylum et ſaccharum formari, tamen eum tantam vna vehere copiam cum aquae, tum aeris, tum partium ſaponacearum, aliarumque quibus alendi nulla vis ſit, vt parce reficiat, relaxet, humores diluat ac cito e corpore elabatur. Praeterea aliis adhuc qualitatibus inuicem differunt, quae noſſe medicum refert. Nam etſi tutiſſima olera in vniverſum cenſentur, tamen perinde non; eſſe vtrum quis ſtomacho et nutritioni idonea aſſumat, an parum vtilia, aut etiam aliena. Cum denique varia olera, eorumque maxime radices cum aliis ſtirpium, quae virus habent, foliis radicibusque magnam ſimilitudinem alant, curandum ſedulo eſſe, ne inuicem permuten-
p. 160. tur. — Inter *fructus* eſculentos magna diuerſitas exiſtit, prout vel aeſtate, vel proiecto auctumno matureſcunt. In aliis enim gummi, in quibusdam oleum, in nonnullis ſaccharum abundare, Alios continere tantam oxygenii copiam, vt acidum ſaporem nunquam deponant; in aliis ea proportione cum aliis principiis illud reſidere, vt neſcias, vtrum acidi magis, an dulces ſint fructus: in aliis tam parcam ineſſe copiam, vt, quemadmodum in fructibus oleoſis, plane nullum continere videantur. In vniuerſum tamen affirmare licet, fructus optimi ſucci alimentum praebere, admodum ſolubile, cito reficiens, ſtomacho amicum, quod aeſtum corporis nimium prohibeat temperetque, ſtimulo ſuo actionem ventriculi intendat, humores ſpiſſos diluat, bilis vim nimiam retundat, ac nimis ſpiſſam tenuet et quae ſunt reliqua. In fructuum diuiſione PLENCKIVM ſequitur Auct. —

Caete-

Caeterum expoſitis, quae huc pertinent, de *fungis* p. 167.
*edulibus* agit, quos in vniuerſum aegre reſolui atque concoqui proindeque firmo indigere ventriculo ſtatuit, cuius potentia, quo plurimum fieri poteſt, reſoluantur: tumque ipſos, quo magis concoquantur, eo melius et plenius quoque alere. Anceps alimenti genus eſſe, quod neque edules fungi omni ſemper metu careant, neque praeparatione vlla innocui fiant, neque inutiles et venenati certis quibusdam notis diſcerni ab vtilibus ac inſontibus poſſint. Quid ſit, quod fungis virus inferat, adhuc latere. Experimenta eo conſilio, auctore BURSERIO, cum canibus felibusque inſtituta ab Exper. *C.* alio tempore et loco enarraturus eſt. Edules apud Italos fungos eſſe *Agaricum* campeſtrem, delicioſum, cantarellum, et lactifluum, *Clauariam* coralloidem, *Phallum* eſculentum, et *Lycoperdonem* tuberem. Remedia contra venenatos effectus fungorum exhibenda.

*Caput V.* de eſculentis animalibus. Ea faci- p. 173.
lius, quam vegetabilia, digeri, ſanguinis ac praeſertim rubri copiam intendere, vim irritabilitatis augere. A *lacte* initium recenſionis fit, quod, e quocunque animantis genere deſumatur, egregie nutriat, demulceat et laxet. Cum vero in nutritionis gradu diuerſitas quaedam inter varias lactis ſpecies obtineat, eae, quae inprimis in vſum cedere ſolent, ab Auct. adferuntur, humanum, aſininum, equinum, vaccinum, caprillum, atque cuiusque virtus propria exponitur. Caprillo v.c. tribui quidem ob adſtringentes, quibus haec animalia veſcantur, ſtirpes roborandi et adſtringendi facultatem, ſed falſo, vti quidem experimenta Auctoris cum hoc lacte inſtituta, docuerunt. Vaccinum lac pinguius caprillo eſſe, inde a GALENO ſtatutum, a nuperis vero obſeruatoribus Hibernis et Scotis negatum: in Inſubria tamen GALENI ſententiam veram Cl. *C.* reperit. Idem contra RVTTYVM in lacte

vaccino triplo maiorem cremoris copiam deprehendit, quam in caprillo. Lactis cremorem inuoluens, pingue ac valde nutriens ſuppeditare alimentum: vbi vero acorem leuiter conceperit, inſuetum eſſe Italis cibum, cum et ſapore ingratus appareat, et ventriculo officiat: lac inſpiſſatum, aeſtate in Italia vſitatiſſimum, neque aegre concoqui, neque mediocriter alere: butyrum recens, non ſalitum, facilis eſſe concoctionis, obuoluere et valide ac tuto nutrire: caſeum denique vaccinum reliquis magis nutrire, ſalubriorem et ouillo concoctu faciliorem eſſe; inprimis has laudes cadere in eum, qui in Laudenſi prouincia paretur, atque nomine Parmenſis caſei exteris cognitus ſit, quod olim Parmenſes paruo pretio Laude Pompeia hos caſeos coemere atque exteris maiori vendere conſueuerant. Quae enim ad eius vſum in ſanorum victu criminandum a quibusdam in medium prolata fuerint, ea aut ab eiusmodi caſei abuſu, aut a praua eiusdem qualitate ſolum repetenda eſſe.

*Oua* feminae Phaſiani galli noſtratis probatiſſima et vſitatiora eſſe iis, quae Meleagridis Gallopauonis et Anatis anſeris domeſtici feminae praebent, quamquam nec haec difficilis digeſtionis, nec ingrati ſaporis, nec mali ſucci ſint iudicanda. Tunc enim ingrata et parum ſalubria euadere, quando ex male paſta aue deſumantur: idem quoque ouis gallinae domeſticae accidere, cum bombycis chryſalidibus, clibani vim paſſis diu victitauerit. Crebrum ouorum eſum ad plethoram diſponere corpus: non in chylum et ſanguinem ſine vlla mutatione, quod CVLLENIVS defendit, tranſire, ſed liquidum adhuc albumen in ventriculo coagulari, ac, vbi in chylum abeat, rurſus diſſolui, propriis obſeruationibus ſuffultus Auct. contendit. Quae ad duritiem elixa ſint, in calidis cineribus aſſata, frixa aut quouis modo indurata, butyro vel oleo valde condita

condita, ea aegre concoqui, tarde deſcendere, craſſum et prauum generare ſuccum. Vitellum oui diu ſubactum, adiecto dein ſaccharo et coffeae infuſo, nutrire, excitare, perſpirationem augere, atque demulcere: eundem cum ſaccharo et vino coctum nutriendi, calefaciendi et ſudorem pellendi facultate gaudere.

*Carnes* eorum tantum mammalium, auium, pi- p. 181.
ſcium, amphibiorum, inſectorum et vermium pertractat, e quibus ſanorum, aegrorumue cibos deſumimus, et qui, praeter gratiam ſaporis, digeſtionis modo et nutritii ſucci proprietatibus ventriculo et nutritioni conueniant. — Gratum ſaporem et concoctionis facilitatem pendere a generis diuerſitate, ab aetate, habitu et conditione, a pabulo, coelo, et mortis genere, tempore, denique a praeparatione ipſa pendere. In haec igitur poſtquam ſummatim atque in vniuerſum inquiſiuit A. ad conſiderationem mammalium terreſtrium progreditur. Ad cicura animalia, quae nobis in vſum cedunt, pertinent bos taurus, ouis aries, capra hircus, et ſus ſcrofa. — In determinandis qualitatibus variarum partium tum bouis, tum vituli cibo vſitatis ab opinione recedit A. quam aliarum nationum ſcriptores diaetetici de illarum ſalubritate fouent. Linguam optimum eſſe cibum; cerebrum rite frixum delicatum et egregie nutriens, nec ſtomacho graue eſſe; hepar rite coctum aut aſſatum, non parum ſapere, ſine difficultate, quod inprimis in vitulinum cadit, concoqui et valde nutrire; pulmones apte coctos, conciſos et frixos bene, quamuis minus, quam carnes, alere, nec, ſi e vitulis deſumantur, ventriculo aegrorum graues eſſe; cor et renes, quanquam coctione haud ſatis molleſcant, tamen a vulgo ſine vlla ventriculi moleſtia confici; lienem nec ſapore, nec nutrimenti copia, nec digeſtionis facilitate ſeſe commendare; ventriculum denique diſſe-

diſſectum opportuna coctura et apto condimento eam mollitiem ſaporisque gratiam acquirere, quae illum commodum nec difficulter ſoluendum edulium efficiat. — Suillam carnem in genere haud aegre diſſolui et copioſam nutritionem adferre: iis tantum, quibus pinguia haud conducant, grauem victum exhibere; porro tunc demum inſalubrem, cum animal immundis, corruptisque rebus victitauerit; ſenibus denique, debilibus et ventriculo languidis, ſedentariis vel acrimonia laborantibus nocere propterea, quod cutis inſenſibilem perſpirationem imminuat. Hanc carnem differre, prout eadem aut a ſue mare, aut ab eodem caſtrato, aut a femina, aut ab eius catulo deſumatur. Praeparationis quoque modum multum valere ad hanc carnem aut facile, aut difficulter ſubigendam. —

Inter feras primo loco de apro ſylueſtri agit, cuius carnem multum a ſuilla diſcedere adfirmat, quippe quae tenera, nec viſcida, corruptioni tardius obnoxia, ſalubris et ſanis hominibus apta ſit. Praeterea de ceruo capreolo et elephante, lepore timido et cuniculo, fele cato, erinaceo europaeo, vrſo melete, mure porcello, ſciuro glire, et vulgari, cane vulpe, capra rupicapra, et vrſo arcto agit.

De phocis, trichecis, balaenis, delphiniis, aliisque agere omittit, cum ad Italos neque aduehantur, neque facilis coctionis et ſalutaris alimenti ſint.

p. 195. Auium carnes earum, quae granis aut baccis victitent, optimi ſucci eſſe et facilis concoctionis; quae inſectis veſcantur, minus teneras eſſe et ſapore paulo acri donari facileque putreſcere; quae rapaces, vel ex aliis auibus, vel ex animalium reliquiis eſcam ſibi comparent, magna ex parte ſuccum aegre ſoluendum et inſalubrem habere, nec odore et ſapore probari; quae piſcibus viuant, ob duritiem difficulter concoqui, piſces ſapere et rancidulas eſſe. Quo magis albicent carnes, eo meliores eſſe et facilius ſolui:

ſolui: aues in cohortibus enutritas plus reficere iis, quae huc illuc vagando pabulum quaerant. Mammalibus in vniuerſum minus nutrire, ſed faciliori coctione et guſtus ſuauitate iisdem antecellere. Inter *accipitres* falconis, ſtrigis et lanii genera varias offerunt ſpecies, quae ſine vllo ſanitatis detrimento comedi poſſunt, vti nuperae VINC. ROSAE obſeruationes docuerunt. Falconis quidem ſpecies vulgatiores adfert has, melanaeti, pygargi, milui, gyrfalconis, buteonis, plumbarii, niſi et tinniculi; ſtrigis ſpecies, paſſerina, ſcops, vlula et aluco, ſine damno commeſtae ſunt: lanii, collurio et excubitor, carnes praebent, quae facilius carnibus reliquarum accipitrum concoquuntur, quin et quibusdam gratae videntur. *Picas* plerasque ſalubres plane, imo quasdam concoctu faciles et grati ſaporis exiſtimat Italiae vulgus. Ob duritiem ſtomacho officere nec guſtui arridere picum viridem, martium et maiorem, Alcedinem ſpidam et Vpupam epopa. *Anſeres* vſitatiſſimas eſſe. Cygni carnes non eſſe ob tenacem ſuccum, fibrarumque duritiem concoctu difficiles, ſed pelle detracta rite coctas ſapidiores eſſe carne anſerina, ceteroquin huic ſimillimas. Anatis ſpecies, quae anſer et moſchata dicuntur, nec inſalubris ſucci, nec difficilis digeſtionis eſſe, contra plerosque diaetetices ſcriptores adfirmat. Raro quidem edi anatem acutam, penelopen, clangulam, circiam, clipeatam et fuligulam, nec tamen id fieri ob earum malum odorem ſaporemque, aut ob moleſtiam ventriculo inde enaſcentem, cum hic, modo ſanus validusque ſit, earum carnes ſine incommodis reſoluat, ac haerite praeparatae haud male ſapiant. Mittimus, quae e *gallarum* et *paſſerum* ordine adferuntur aues, cum nihil fere inde peti poſſit, quod a ſententia vulgari aliorum diaeteticorum receſſerit.

In *piſcibus* plura deprehendi, quae diſcrimen p. 205.
conſtituant ſaporis, digeſtionis, nutritiaeque facultatis,

tatis, quae praeſertim a loco, pabulo, aetate et praeparandi rationependeant. Fluuiatiles piſces eo ſapidiores ac ſalubriores eſſe, quo celerius aquae moueantur; lacuſtres contra ea fluuiatilibus ſapore ac ſalubritate tantummodo tunc vix cedere, cum lacus maiores ſint atque ſaepe ventis validiſſime agitentur. Cum enim lacus lentiſſime moueantur, piſces, qui tum in coenoſis, limo obſitis et ſtagnantibus aquis degant, ingratum ſaporem, laxam compagem, ac mucidum et parum ſalubre alimentum offerre, nec ſtomacho idoneos eſſe. Porro eos piſces et amphibia, quae e mari in maiores fluuios recedentia diu ibi commorentur, magis delicatum, facilius ſoluendum, ac mitioris indolis cibum largiri. Fluuiatiles piſces, prope vrbes, quas flumina aut lacus alluunt, captos, pinguiores eſſe. Inter maritimos edules piſces plerumque eos, qui in locis rupibus plenis alimentum ſibi quaerunt, ſalubriores eſſe iis, qui in maris fundo morantur aut in litoribus degunt. Quae quidem diſcrimina, cum tamen haud ita conſtantia ac perpetua deprehendantur, vt omni exceptione maiora ſint, A. negligit aeque ac ea, quae ex aetate et colore deriuantur. GREGORII enim, quae colorem piſcium ſpectat, regulam in piſcibus tum fluminum, tum lacuum Inſubriae haud paucis exceptionibus obnoxiam eſſe. Quam CVLLENIVS nuper de piſcium vi nutriente inſtaurauit controuerſiam, eam ita dirimit A. vt mediam quodammodo viam ingrediatur, atque contendat, non omnes piſces eſſe mediae, quae dicitur, materiae, ſed inter ipſos quaedam genera exiſtere, quae valentis naturae cibum largiantur. Quam ob rem, deficiente generali de piſcium nutritia facultate et ſalubritate praecepto, ſatius eſſe duxit A. ſingulas piſcium ſpecies, in vſum Italis cedentes, ita rimari, vt cuiusque nutrientes qualitates certius innoteſcant. *Salmonis* ſpecies varias, truttam, thymallum, carpionem et vmblam;

vmblam; *Percam* fluuiatilem; *Eſocem* lucium; *Cyprinos* plures, carpionem, trincam, barbum (nam idum, mammillarem, orphum, vimbam, rutilum, grislagine, alburnum, leuciſcum, phoxinum, aphyam aliosque, quamuis et ii ſalubris ſucci et facilis digeſtionis ſint, tamen aut ob ſpinarum multitudinem aut ob minus gratum ſaporem haud magni fieri); *Clupeam* agonen; *Cobiten* barbatulam; *Cottum* gobionem; *Muraenam* anguillam, quae iis tantum noceat, qui oleoſa haud ferre atque conficere poſſint, aut e ſtagnantibus limoque obſitis aquis eductam nimisque craſſam aſſumant; *Gadum* denique lotam, in puras piſcinas deportatam, gratum, haud difficulter concoquendum et nutrientem praebere cibum. Inter maritimos eos tantummodo attingit A. qui vel recen- p. 212.
tes, ſaliti, vel alia quacunque ratione praeparati ac conditi ad Italos aduehuntur. Commemorat vero *labri* ſpeciem, branzino vulgo dictam, *Scombrum* thynnum et ſcombrum; *Pleuronectem* rhombum et ſoleam; *Mullum* Surmuletum et barbatum; *Gadum* naſellum; *Xiphiam* gladium; *Triglam* hirundinem et cuculum; *Zeum* fabrum; *Clupeam* ſprattum, et tenuiſſimum illud piſcis genus, quod veteribus aphya vel apua dicebatur.

Inter piſces, qui exſiccati aut fumati aut ſaliti coctiue et aceto alioue embammate conditi Ticini comeduntur, *Clupea* ſprattus, aloſa, encraſicolus et harengus; *Muraena* helena, quae palato potius, quam ventriculo idonea cenſetur; *Salmo* ſalar; *Gadus* morhua et merluccius adferuntur.

*Acipenſer* ſturio, praecipue is, quem in Pado, qua parte Inſubriam alluit, et Ticinum atque Abduam recipit, piſcantur, inter delicatulas iam olim receptus dapes; *Raja* et *Squalus* ſapidas parum, et aegre digerendas carnes offerunt. Poſteriore virtute quoque inſignis deprehenditur *Petromyzon* fluuiatilis;

contra

contra ea branchialis, vbi in lacte vitam amiſit, probe frixus plerisque in deliciis quidem eſſe ſolet, ob tenacem tamen naturam vix ſine moleſtia concoquitur. Inter *amphibia* teſtudinem atque ranam; inter *inſecta* cancri ſpecies, aſtacus et gammarus dicta; inter *vermes* denique Helicem pomatiam, mytilum edulem, oſtream edulem et ſepiae ſpecies, ſaepiolam et loliginem, adfert A. quae in cibos cedere ſoleant. (Mirati ſumus, quod, dum de oſtrea et mytilo edulibus ſermo incidit, Cl. *C.* ſententiam nonnullorum, ab oſtrea oua excludente, et mytilo, cum e morbo venenatus exiſtit, abſtinere iubentium, commemorans adſerit, nullum inter ea, quae ſub aquis degant, et eſculenta ſint animalia, occurrere, quod vere venenatum eſſe certis ſit rationibus probatum. De ouis enim Cyprini barbi venenatis plane dubitat, quamquam ipſi nulla ſuppetit obſeruatio, qua ab omni veneni metu eorum eſum abſoluere poteſt.)

p. 221. *Coput IV.* de ciborum praeparationibus et condimentis. Inter praeparationis ciborum formas refertur *maceratio*, qua vegetabilia amaritiem, vel aliam ingratam ſaporis odorisue qualitatem exuunt, exſiccata et mollitiem, et virorem quodammodo recuperant, carnes autem nimis durae molleſcunt, aut qualitates noxias amittunt; *coctio*, qua omnia vegetabilia, et, ſi vnum exceperis oſtream, animalia quoque maiorem ſaporis gratiam, maſticationis et ſolutionis facilitatem acquirunt. Coctionis varii ſunt modi. Eſculenta enim vel igni proxime et quodammodo immediate admouentur, vel eidem ollis aliisue vaſibus indita, aut per ſe, aut cum aliquo humore exponuntur. De *iuribus* quoque vſitatioribus, e carne bubula, vitulina, gallinacea, e ranis, cochleis, limacibus, lumbricis, teſtudinibus, cancris, piſcibus, et colubris vulgaribus paratis. Quae quidem, ſi tres priores ſpecies exceperis, cum in medicos potiſſimum

mum vſus cedant, cuiuslibet virtutes accuratius exponuntur. Iura v. c. e teſtudine orbiculari confecta, aeſtum moderari, et reuera refrigerare dicuntur quidem, ſed reluctante Cl. Auctore, cum factis periculis didicerit, eadem, antequam corrumpantur, non aceſcere, vt ius vitulinum aut bubulum ſolet. E iure cancrorum fluuiatilium alcali volatile facili negotio ac breui tempore euolui, nec idem ante putrefactionem aceſcere, et gelatinoſis partibus a iure cum Cyprini barbi, tum ranae eſculentae ſuperari vidit A. Vnde recte concludere videtur Cl. A. iura cancrorum conducere, vbi acrimonia acida primis inhaeret viis, et nutritione parca opus eſt. Contra CVLLENIVM, qui hic, vt alibi, in rebus ad diaeteticen et medicamentorum apparatum pertinentibus dictatorem ſe nimium gerit, adſeritur, iura viperarum ſtimulando, calefaciendo, diſcutiendo atque ſimul copioſe nutriendo non modo alimentum adferre, ſed non ſpernendum quoque nec propriis viribus deſtitutum medicamentum, in chronicis lentisque morbis vtile exhibere. *Gelatinae*, quae ſi aqua haud dilutae offeruntur, ventriculum parum validum onerant, humores nimium inſpiſſant, nimioque glutine inquinant, aut e cornu cerui, ebore, ichthyocolla, et viperis, aut e vegetabilibus parari ſolent. — Inter *condimenta* ciborum p. 239.
ſal culinare primum obtinet locum, cum natura ipſa quemlibet quodammodo ad illud, cibis adſpergendum, inſtinctu quaſi quodam impulerit. Non ſolum enim guſtui, ſed etiam digeſtioni atque nutritioni, quin et incolumitati corporis proſpicitur addito cibis ſale culinari. Praeter hoc de *cauiato* et *garo* bre- p. 241.
viſſime agitur. Quorum prius ex ouis Accipenſeris vel ſturionis, vel rutheni, vel huſonis, aut etiam Mugilis cephali aliorumque piſcium, ſale conditis, contuſis, et oleo commixtis petitur: alterum e piſcium interaneis liquatis conficitur, et prout ſan-

guinem, aut vinum, aut acetum accipiebat, et e diuerſo piſcis genere deſumitur, diuerſum erat, hodie plane inuſitatum. Cui nunc ſuccedit illud condimentum, quod Clupeam encraſicolum in aceto, leuiter calido cinere ſoluendo paratur. Ad dulcia condimenta *ſaccharum* et *mel*; ad acida vini acetum, citri, limonii et aurantii ſuccus, omphacium; ad pinguia butyrum, pinguedines animalium, olea e vegetabilibus expreſſa; ad aromatica denique quamplurima vegetabilia referuntur, quorum alia mitiora ſunt, alia acriora. — In fine capitis venenatae qualitates tanguntur, quas cibi e vaſis adſumere poſſunt, quibus aut praeparantur, aut ſeruantur. —

p. 249. *Caput VII.* de potulentis. Inter haec aqua pura eminet, quae ſi aptis liquoribus inſtillatis plane non immutetur, ne ſalutaris quidem fore adſeritur. Expoſitis aquae fontanae, fluuiatilis, putealis, in ciſternis aſſeruatae, mineralis et marinae qualitatibus, differentiisque inter duras, mollesque, oſtenditur, eam, qualiscunque tandem ſit, pro vario, quo gaudet, caloris gradu diuerſimode humanum corpus afficere. De cereuiſia, cum eius coctio in Italia vinis abundante negligatur, nihil additur. Vini vero varia genera, eorumque diuerſae qualitates fuſius expenduntur. Dulcia ob maiorem mucilaginis et ſacchari vim ceteris magis nutrire, atque excitare. Acido-dulcia vina, acidum, mucilaginem et ſaccharum cum alcohole ita habentia, vt ſingula haec principia ſapor declaret, non ſolent in communem potum, quoties copioſus conducit, adhiberi, cum caput prae ceteris tentent. Quotidiano paulo largiori vſui ea potius inſeruiunt, quae leniter auſtera guſtui videntur, quia praeter alios vini effectus laxitatem emendant, ventriculum roborant, ac totius corporis vires confirmant. Acida denique melius ceteris ſitim compeſcunt, magis diluunt, promtius ac certius vri-

nam

nam cient atque ipſi putredini potentius aduerſantur. Ad vina plumbo mangoniſata detegenda commendatur aqua hepatica (aqua, continens gas hydrogenium ſulphuratum). De ſpiritibus frumenti, ſacchari, ceraſorum, vini, qui vino plus excitant, magis obſtruunt, ventriculum et neruos validius ſtimulant, largiores adhibiti ſanguini acredinem inferunt, viſcera obſtruunt, neruorum imbecillitatem aliaque mala inferunt. Suis vtilitatibus non carere. De potu, qui *Polopuntia* dicitur (Punſch): de infuſo foliorum theae, ſeminum toſtorum coffeae arabicae atque de illo potulenti genere, quod e nucleis theobromae cacao paratur. — Inter potionis genera, quae aegrotis offerri ſolent, referuntur ptiſanae e ſeminibus hordei vulgaris aut auenae ſatiuae; decocta e radicibus cichorii intybus, et tritici repentis etc.; aqua cum ſucco citri, limonii aut aurantii ſ. rubi idaei ſ. ribeſii rubri reliqu.; emulſiones dilutae ex amygdalis dulcibus atque e ſeminibus frigidis maioribus; ſerum denique lactis, quod tamen ſimplex, neque cum cichoraceis, antiſcorbuticis, et ſimilibus herbis incoctum, neque unquam deſtillatum, ſed panno laneo ſolummodo percolatum et tepidum detur.

p. 264.

p. 271.

*Caput VIII.* de recto cibi et potus vſu in ſecunda et aduerſa valetudine. Primum quae in ſecunda valetudine ratione cibi potusque ſeruanda ſint, exponuntur. Atque hoc loco in vniuerſum monet Cl. Auct. nullum alimentum, quod apud cultas Europae gentes menſis apponatur, nocere; optimum alimenti genus ſaluti haud prodeſſe, quando continuo, nullis aliis cibis interpoſitis, adſumitur; a vegetabilibus maximam ciborum vim petendam eſſe. Quae diaetae ratio cuique temperamento, ac vitae generi competat etc. Haud licet hic omnia attingere, quae his de rebus apte diſputata ſunt. Omittenda quoque ſunt, quae de conueniente ciborum quan-

p. 275.

titate, qualibet vice aſſumenda; de tempore coenationis opportuno ſimilibusque argumentis diſſeruntur. — Diaeta eorum, qui morbis acutis decumbunt, ſingularem medici attentionem requirit. Quamobrem cum de ea, tum de victus ratione, qua ii, qui chronico morbo laborant, adſtrigendi ſunt, diligenter agit Cel. *C.*

p. 333. *Caput IX.* de motu et quiete. Hic gymnaſtices praecepta exponuntur, ita tamen, vt *Fullari*, *Tiſſoti* (non celebris illius Lauſodunenſis medici, ſed Galli chirurgi), *Davidis*, qui de motus atque quietis praecipue in morbis chirurgicis vſu egit, et aliorum recentiorum ſcripta parum adhibita aegre tulerimus.

p. 363. *Caput X.* de vigilia et ſomno. In definiendis regulis, quae et vigiliae et ſomni rectam rationem regere debent, ad aetatem, temperiem, conſuetudinem, vitae genus, anni tempus atque coelum recte animum aduertit *C.* quippe quae multum faciunt ad regularum nimium late patentium certitudinem infringendam. De ſomno quoque meridiano.

p. 377. *Caput XI.* de excretis atque retentis. Dum de excretione ſaliuae agitur, ſermo iniicitur de *Nicotiana tabaco*, eiusque cum manducatione, tum in fumum reſolutione, aut puluerati in nares attractione: vtrumque damnatur. De inſenſibili perſpiratione agens laudat A. quidem lotionem cutis frequentem et balnea, ſed omittit mentionem iniicere induſii e panno laneo confecti vtilitatem, quae maxima eſt. — Recte monetur, aluo ſiue obſtructae, ſiue laxae atque adeo praeternaturali proſpiciendum eſſe diaeteticis potius auxiliis, quam medicamentis. — Commendat vomitum ad tuendam ſanitatem ſubinde adhibitum, atque ab eius perpetua fere abſtinentia, quae noſtris diebus obtinere dicitur, plura digeſtionis vitia, et frequentiam morborum, quos corrupta

in

in ventriculo et inteſtinis materia ſuſcitet, deriuat Auct. — De ſeminis retentione, vt multorum morborum cauſa, haud videtur, noſtra quidem aetate, vt pluribus exponatur, opus eſſe.

*Caput XII.* idque vltimum de animi pathematibus. Praemiſſis, quae omnibus diaetetices ſcriptoribus hoc de argumento communia eſſe ſolent, magnam attingit vim animi commotionum in morbos, atque muſices vires medicatrices.

Ceterum monemus, nuper quoque in bibliopolio Weigand. Lipſiae germanicam huius libri verſionem prodiiſſe, ſtudio et opera FR. LVDOV. KREYSIGII, V. Cl.

## X.

## Memoria PETRI CAMPERI.

Petre FLORENTINO CAMPERO, qui, olim Batauiae verbi diuini miniſter, inde ab anno cIↃIↃCCXIII. Lugduni Batauorum viuebat, et matre SARA GERTRVDA KETTINGA vſus eſt Noſter, e quibus cIↃIↃCCXXII procreatus. A prima iam pueritia cum ſingularem diligentiam, induſtriam, ſciendi cupidinem atque facile omnia comprehendendi facultatem, oſtenderet, pater ipſius, conſiliis BOERHAAVII adiutus, nihil omiſit, quod ad acuendas illas animi praeclari dotes facere poſſet. Quam ob rem prima linguarum Europae praecipuarum, inprimis Latinae cognitione filium imbuebat, et quod ab his negotiis ſupererat tempus, id vt architecturae, opticae, artis tornatoriae, ſcriniariae ſimilibusque addiſcendis impenderet, auctor fuit ſuaſorque. Praeterea LABORDES philoſophiae prima elementa, ſummusque in arte MOORIVS cum filio ſuo artem pictoriam docebant Camperum noſtrum, in qua talibus magiſtris ita

profecit, vt iam anno aetatis XVI. coloribus oleatis pingere inciperet. His ſtudiis innutritus in academicorum doctorum auditoria deducebatur, inter quos initio MUSSCHENBROECKII et's GRAVESANDII praelectiones phyſicae, inprimis ipſi placentes, eum ad naturae ſtudium inuitabant. Sed paulo poſt ad medicinam, quam et ipſius proauus fecerat, addiſcendam tranſiit, vſus GAVBIO, ROOYENIO, ALBINOQVE patre, in arte obſtetricia vero TRIOENIO praeceptoribus. Anno cIↃIↃCCXLVI. vno eodemque die philoſophiae atque medicae artis ſummos meruit honores, disputationibus duabus, quarum vna *de viſu*, altera *de quibusdam oculi partibus* agebat, publice contra diſſentientes defenſis. Biennio poſt mors ipſi parentes eripuit, e qua iactura orti doloris acerbitatem vt leniret, iter per Angliam, Franciam, Heluetiam Germaniamque ſuſcepit, nec redux inde adhuc ab academia Franequerana ad prouinciam publice philoſophiam, medicinam atque chirurgiam profitendi obeundam inuitabatur. Quem quidem nuncium cum anno cIↃIↃCCXLIX. Geneuae acciperet, reditum in patriam maturauit, eque menſe Aprili cIↃIↃCCL. munus oblatum oratione publica *de mundo optimo* auſpicatus eſt, morbo impeditus, quominus id faceret prius. Praelectionibus tunc ſuis logicen, phyſicen experimentalem, aſtrologiam, vulnerum deligationem, morbos ſexus ſequioris, artem obſtetriciam, anatomiam, variaque alia chirurgiae capita tractabat, ſimulque artem medicam cum Franequerae, tum per totam Friſiam cum laude exercuit. In idem fere tempus (1751.) incidit receptio eius inter membra academiae ſcientiarum regiae Londinenſis. Anno cIↃIↃCCLII. iterum adiit Angliam, vt, SHARPIO, KELLYO, SMELLIO praeeuntibus, maiores in chirurgia arteque obſtetricandi progreſſus faceret. Quinque annis magna cum laude in ſtudio Franequerano tranſactis, cIↃIↃCCLV. pro-

professio anatomiae atque chirurgiae in illustri Athenaeo Amstelodamensi ad ipsum deferebatur, quam oratione *de anatomes in omnibus scientiis vsu* habita adiit. Alia oratione *de certo in medicina* professionem medicinae triennio post auspicatus est. Anno cIↃIↃccLVI. matrimonium iniit cum *Ioanna Bourboomii*, consulis Leeuwardensis, filia, quae antea *T. Vosmae*, consuli Harlingensi, nupserat; e qua tres suscepit filios, qui patris funus adhuc lugent: matre cIↃIↃccLxxVI. ipsorum amplexibus iam erepta.

Quam hucusque docendo sibi comparauerat gloriam, eam et scriptis inde ab cIↃIↃccLIx. editis tueri nitebatur. Eo enim anno priorem partem *demonstrationum anatomico - pathologicarum* *), atque dissertationem *de origine herniarum in infantibus recens natis* promulgauit, quam cum societati scientiarum Batauae dicaret, honorem meruit membri illius societatis. In haec tempora incidit eius abdicatio professionis, quam hucusque ornauerat, cuius causas hic enarrare non vacat. Hic tamen recessus in villam suam, haud multum Franequera distantem, *Campero* honorificus; nam titulo professoris Amstelodamensis honorarii ornatus dimittebatur; et arti medicae proficuus erat. Nam *demonstrationum anatomico - pathologicarum* **) et dissertationis *de herniarum variarum in infantibus recens natis origine* ***) continuationem; descriptionem anatomicam *de auditus organo physeteris macrocephali* Linn. ****); *de propagatione bufonis americani s. pipae* commentatio-



*) In titulo quidem 1760. legitur, more librariis fere solemni.

**) Comm. Lipſ. XIII. p. 270.

***) Comm. Lipſ. Vol. XII. p. 269. XVI. p. 579.

****) Comm. Lipſ. Vol. XVII. p. 460. XXXIV. p. 242.

nem *); libellum, a ſocietate Harlemenſi numo argenteo ornatum, *de educatione infantum phyſica* **); variaque ad oeconomiam pertinentia ſcripta edebat. Sed nec otio ſoli literario indulſit, ſed ad rempublicam acceſſit, cum a prouincia Friſiae ad conuentus ſolemnes, quibus negotia publica tractantur, admitteretur. —

Anno cIↃIↃccLxiii. ab academia Groningenſi medicinae theoreticae, anatomes, chirurgiae et botanices profeſſor publicus ordinarius, et paulo poſt etiam eiusdem vrbis poliater conſtitutus, munus vtrumque oratione *de admirabili analogia inter ſtirpes et animalia*, et praelectione publica *de claudicatione*, auſpicabatur, et cum prorectoris dignitate functus eſſet, oratione *de pulchro phyſico* eam abdicauit. Proximo anno in theatro Groningenſi anatomico orationem habuit *de colore aethiopum, eiusque origine* ***).

Anno cIↃIↃccLxv. ſocietati regiae Edinenſi diſputationem *de oſſium callo* tranſmiſit, ob quam inter eius ſocios receptus eſt. — Groningae inſtituit ſocietatem oeconomicam, cui a literis fuit. — In eadem tempora incidit eius cum B. S. ALBINO controuerſia de imaginibus anatomicis, quas hic a WANDELAARIO conficiendas curauerat. Argumenta, quibus ſuam de optimis picturis anatomicis ſententiam defenderat CAMPERVS, publicauit *epiſtola ad ſummum anatom.* B. S. ALBINVM. Gröning. 1767. 4. cIↃIↃccLxvii. cum regia ſcientiarum academia Pariſina, quae *de organo auditus piſcium ſquamoſorum* †) detexerat, communicauit, eumque commentarium in

*) Comm. Lipſ. Vol. XII. p. 270. XXXIV. p. 238.
**) Ibid. Vol. XVI. p. 591.
***) Comm. Lipſ. Vol. XXXIV. p. 231.
†) Comm. Lipſ. Vol. XXXIV. p. 240 ſq.

in dissertationibus mathematicis et physicis, academiae ab exteris exhibitis, anno cIↃIccLxxIv. impressum vidit *). —

Academia regia chirurgorum Parisiensis inter socios exteros, et academia pictoria Amstelodamensis inter membra honoraria CAMPERVM anno proxime sequenti retulit. Morbus, inter pecudes tunc in Frisia epidemicus, CAMPERI quoque curam excitavit, qui vt illius furorem coërceret, inoculationem suasit **), atque auctor fuit variarum per hasce prouincias societatum, quae ad experimenta de huius medendi methodi, aliorumque remediorum efficacia capienda expensas erogabant ***). Eodem illo tempore publicas habebat *de morbis pecorum* praelectiones, quae cIↃIccLxIx editae †) biennio post in linguam germanicum translatae Vindobonae prodierunt.

Iisdem fere temporibus promulgauit obseruationes *de variolis*, Batava lingua conscriptas, sub titulo: *Aanmerkingen over de inenting der Kinderziekten met Waarneemingen bevestigd* ††), cuius versio germanica Lipsiae cIↃIccLxxII prodiit. In quo quidem libro enarrauit prosperos successus inoculationis variolarum, ab ipso saepius institutae.

Haec magnam CAMPERO conciliabant nominis famam, adeo vt variae scientiarum academiae, eruditorumque societates inuicem in offerendis illi honoribus quodammodo certarent. Etenim illum Parisina scientiarum academia inter eos referebat, quibus-



*) Ibid. Vol. XVI. p. 581.
**) Ibid. Vol. XV. 353. 710 ff.
***) Ibid. Vol. XV. p. 362. ff.
†) Leſſen over de thans zweerende veeſterſte. Leuward. 1769. 8.
††) Comm. Lipſ. XVIII. p. 59.

cum literarum commercium ſuſtinebat; ſocietatesque Roterodamenſis et Vliſſingenſis inter membra adoptabant ſua.

Sed hiſtoria naturalis et anatomia comparans inprimis, quae ipſius ſtudium tempusque occupabat, variis iisque memorabilibus inuentis ab ipſo aucta eſt. Diſſecuit ſimiam ſatyrum, ceruum tarandum, delphinum phocaenam, caput balaenae myſticeti et rhinocerotis, atque commentationibus, cum variis eruditis ſocietatibus communicatis, publicauit, quae his de animalibus eorumque ſtructura detexerat. — Varias cIↃIↃccLxx, LxxVIII. et LxxxII. habuit in academia pictoria Amſtelodamenſi orationes de characteribus phyſiognomicis diuerſarum nationum, eorumque modificationibus ab aetate pendentibus. Continent illae acutiſſimarum obſeruationum theſaurum, digniſſimarum, quae publice ederentur. Quam ob rem gratias habebunt omnes, qui hisce disquiſitionibus delectantur, filio ADR. GILL. CAMPERO, qui Vltraiecti ad Rhenum ſub titulo: *Verhandeling over het natuurlyk verſchib des wezenſtrekken in menſchen van onderſcheiden Landsart en cuderdom* 1791. eas promulgauit *).

Anno cIↃIↃLxxI. invenit ſingularem ſtructuram oſſium cylindraceorum in auibus, quae nunc prope terram, nunc per aethera volitant, vt accipitres

*) *Peter Camper über den natürlichen Unterſchied der Geſichtszüge im Menſchen verſchiedener Gegenden und verſchiedenen Alters; über das Schöne antiquer Bildſäulen und geſchnittener Steine, nebſt Darſtellung einer neuen Art allerley Menſchenköpfe mit Sicherheit zu zeichnen. Nach des Verf. Tode herausgegeben von* ADR. GILLES CAMPER. *überſetzt von* S. I. H. SOEMMERING. *Berlin* 1792. 4. *mit X. Kupf.*

tres ſolent; de cuius inuenti honore ipſi cum IOANNE HVNTERO decertandum fuit. Deſcripſerat hunc peculiarem mechanismum partim in commentario *de oſſium maiorum in auibus ſtructura, illorumque in diuerſis ſpeciebus diuerſitate*, qui vna cum diſſectione Suis Tagaſſu Linn. (Pecari) et myrmecophagae Capenſis, aliaque diſſertatione de organo auditus et ſtructura naſi cetaceorum, ad regiam academiam Pariſienſem mittebatur, partim in oratione, quae in tomo altero *rhapſodiſtae*, quo nomine diarium belgicum inſignitum fuit, publici iuris facta eſt.

Decennio in academia Groningana exacto apud animum conſtituit ſuum, munus anno cIↃIↃLXXIII. abdicare, atque in Friſiae prouinciam reuerti. Franequerae commoratus, vbi filii litteris magis magisque excolendis operam dare debebant, otio vtebatur ad conſcribenda edendaque varia eruditionis ſuae monimenta. cIↃIↃCCLXXII. ab academia regia ſcientiarum Toloſana eius diſſertatio *de optima methodo inoculationis inſtituendae* *); et anno ſequenti ab academia regia Lugdunenſi alia eius commentatio *de optima chronico pulmonum morbo medendi ratione* aureis praemiis ornatae ſunt. Anno cIↃIↃCCLXXIV. edidit epiſtolam ad experientiſſimum van GESCHER *de vtilitate ſynchondrotomiae ad partum laborioſum facilius abſolvendum*, cui appendicis loco adiectae *ſunt obſeruationes criticae in* SWIETENII *commentarium de variolis.* Obtulit praeter ea Lugdunenſi ſcientiarum academiae diſſertationem *de conſtruendorum bracheriorum ratione*, obſeruationesque *de partu laborioſo ab inclavato capite atque vectis Roonhuyſeniani his in caſibus vtilitate.* Batauae autem ſocietati, quae Roterodami

*) Comm. Lipſ. Vol. XVIII. p. 357. 537. altera editio prod. L. B. 1789. 8.

mi floret, tres tractatus *de aditu aëris ad ossa auium maiora; de cantu ranarum masculorum; de construendis bracheriis* *). Anno cIↃIↃccLxxIv. anatomico-forensem exercitationem *de signis vitae mortisque in recens natis infantibus* Leuwardiae edidit, quae 1777 Francofurti in germanicam versa linguam prodiit: *de scelere infanticidii meditationes; de facillima ratione hospitia pro infantibus expositis aperiendi; de causis infanticidii et interfectionis sui;* denique aliquot experimenta *de inflato in pulmones infantum, qui asphyctici nati sunt, aëre.* — Dissecti pulli elephantini descriptionem breuem publicauit in diario patrio: *vaterlandsche Letteroefeningen* dicto, quae ita comparata est, vt operis maioris, propediem prodituri cum tabulis XVI. aeneis formae maximae, desiderium acre quemlibet harum rerum intelligentem aestimatorem teneat **). — Eodem anno et cIↃIↃccLxxvI. *duae* CAMPERI *dissertationes*, quarum altera *de pernicioso abusu emplastrorum vnguentorumque aduersus morbos externos, atque emendata vlcerum tractandorum ratione*, altera de *influxu variarum aeris specierum in morbos externos*, deque *praesidiis eundem in horum morborum curatione emendandi* egit, ab academia regia chirurgiae Parisiensi numis aureis memorialibus ornatae sunt.

Anno posteriore cum Illustrissimo Comite WASSENAAR TWIKELIO controuersia ipsi intercessit *de ratione muniendorum aggerum, qui in Frieslandia maris fluctibus oppositi sunt*, eoque de argumento varia edidit scripta. — In Vaterlandsche Letteroefeningen epistolam de calculi sectione duobus temporibus absoluenda edidit, atque ad academiam scientiarum

*) Comm. Lipſ. Vol. XXXIV. p. 238.
**) Comment. Lipſ. Vol. XXXIV. p. 233.

rum Petropolitanam de rhinocerote duplici cornu inſtructo miſit commentarium, qui et in ſcriptis huius academiae typis deſcriptus eſt. — Per comitatum Bentheimenſem Brabandiaeque prouinciam hoc ipſo anno ſuſceptum iter tantam ipſi attulit voluptatem, vt proximo anno Lutetiam Pariſiorum inuiſeret. Ibi variis eruditorum ſocietatibus praelegebat diſſertationes, quae merito excipiebantur plauſu. In academia quidem regia ſcientiarum *de charakteribus egit phyſiognomonicis variarum nationum, aptiſſimaque methodo, cum illos, tum oris lineamenta variis aetatibus, atque, quae in antiquis lapidibus, gemmis, ſtatuisque pulchra ſunt, deliniandi;* in academia chirurgica *de glandulis, interiori ſterni faciei oppoſitis, ab ipſo detectis ſignoque cancri mammarum incurabilis ex earum doloribus deducendo*, in regia medicinae ſocietate *de lue pecorum eiusque inoculationis vtilitate.*

Anno CIↃIↃCCLXXVIII. elaborauit diſſertationem *de cauſis praecipuis contagioſae luis pecorum*, quae a ſocietate ſcrutatorum naturae Berolinenſi praemio hononario digna iudicata fuit, auctorique locum inter ſocios huius ſocietatis meruit. Eodem fere tempore receptus eſt inter membra academiae regiae ſcientiarum Toloſanae atque ſocietatis agriculturam promouentis Amſtelodamenſis. Edidit quoque, vt veterum inter Graecos Latinosque medicorum lectionem commendaret, HIPPOCRATIS, CELSI, PAVLIQVE AEGINETAE cogitata de fiſtulis et prolapſu ani, quibus ſuas ipſius obſeruationes adiiciebat. Praeterea *breuem expoſitionem ſuarum diſſectionum, quibus varias ſimias ſatyros ſubiecerat* *), nec non *collectionem ſcriptorum ad aggerum* Frieslandicae exſtructionem pertinentium in publicum emiſit.

Anno

*) Commet. Lipſ. Vol. XXXIV. p. 242.

Anno cIↃIↃccLxxix. transmiſit ad academiam ſcientiarum Londinenſem commentarium *de organo vocis ſimiae ſatyri aliarumque ſimiarum*, ediditque primam partem ſuarum ad hiſtoriam naturalem ſpectantium diſſertationum, quae de ſimia ſatyro, de cervo tarando atque de rhinocerote duplici cornu inſtructo agunt. — Quod optimae reſponſioni ad propoſitam quaeſtionem *de agendi ratione medicamenti ſic dicti ſpecifici* promiſerat academia ſcientiarum regia Diuionenſis praemium aureum, id CAMPERI commentatio hoc ipſo meruit anno. — Ea vero diſputatio, quae veram cancri originem, ſignaque certa cancri mammarum exponit, legitur in diario Batauo, cui titulus eſt: *Natuur - en Haushaltungskundigen Cabinet.* — Suſcepit iterum quoque per Germaniae partem iter, in quo inprimis Hamburgi, Hannouerae et Gottingae commoratus eſt, et anno proximo, quo hanc excurſionem reiterauit, Brunſuigae, Berolini, Poſtampii plurimum temporis transegit.

Opportunitatem hanc academia regia ſcientiarum Gottingenſis arripuit, praeſentemque CAMPERVM inter ſocios legit ſuos.

Redux in patriam anno cIↃIↃLxxxi. compoſuit diſputationem *de optima calceorum forma* elegantem, vt oſtenderet, quo modo vir eruditione inſignis argumentum primo intuitu leue et ſterile tamen ita tractare poſſet, vt vtilitas inde in lectorem redundaret *). — Ter iterum victor abiit. Academia enim

* Duplici verſione Germanica inter nos innotuit libellus, quarum altera a IO. FRC. IAQVINO, Vindebon. 1782. altera Berolini ab anonymo 1783. 8. edita fuit. Nuper etiam ab H. T. IANSENIO, gallice verſus Pariſiis 1791. prodiit hoc titulo: *Diſſertation ſur les varietés naturelles, qui caracteriſent la phyſi-*

enim chirurgica Pariſienſis optimas iudicauit Camperi disquiſitiones *de effectibus ſomni vigiliarumque vtitateque vtriusque in morbis chirurgicis;* atque *de influxu morboſae ſecretionis variarum corporis animalis ſecretionum in morbos externos.* Societas autem medica Pariſina, *quae de variis hydropis formis, morbique cauſſis atque curatione* quaeſtionem propoſuerat, votis ſatisfeciſſe ſuis CAMPERVM publice decreuit, numoque aureo, qui honoris cauſa victoribus offerri ſolet, cenſuit dignum.

Anno cIↃIↃccLxxxii. epiſtolam ad celebrem chirurgum Amſtelodamenſem, van HVSSEM, dedit *de cauſa claudicationis infantum, medendique huic vitio ratione, obſeruationesque de calculi cum veſicae parietibus concretione, calculique ſectione diuerſis temporibus e* FRANCONIS *conſilio abſoluenda.* Per aeſtatem huius anni Traiectum ad Moſam, Leodium, Spadanum fontem, Asquisgranum et Duſſeldorpium petiit, vt memorabilia maxime cum naturae, tum artis opera oculis ſubiiceret ſuis.

Anno cIↃIↃccLxxxiii. edidit, quam ſocietas Bataua Roterodamenſis praemio ornare haud voluerat, reſponſionem ad quaeſtionem *de cauſis, ob quas homo pluribus morbis vitiisque ſubiectus eſſe ſolet, quam animalia bruta.* — Biennio poſt a regia academia ſcientiarum inter membra legebatur extranea, ad quem honorem non plures, quam octo viri eruditi, adſpirare poſſunt. — Eodem anno iterum in Anglium traiecit,

*phyſiognomie des hommes des divers climats et des divers âges, ſuivie de reflections ſur la beauté, particulierement ſur celle de la tête etc. Ouvrage poſthume de Mſ.* PIERRE CAMPER. *On y a joint une diſſertation du même auteur ſur la meilleure forme de ſouliers c. aen. tab. XI.*

cit, ibique cum variis eruditis amicitiam familiaritatemque contraxit. — Anno cIↃIↃccLxxxvii. ſcripſit *de oſſibus piſcium nemini cognitorum, in monte a H. Petro nomen habente prope* Traiectum ad Moſam *repertis*, ad Academiam Londinenſem, in cuius actis, et quidem volumine LxxVI., commentatio haec typis exſcripta eſt. — Eodem fere tempore prodiit breuis deſcriptio phocae vitulinae, tribus pedibus inſtructae, in diario Batauo: *Vaterlandiſche Letteroefeningen*; atque ſocietati ſcrutatorum naturae Berolinenſi obtulit *obſeruationes criticas in illam piſcium claſſem, quae ſecundum Linnaeum amphibia nantia comprehendit; atque de fabula rhinocerotis vnicornis* *). — Ao. cIↃIↃccLxxxvii. academiae ſcientiarum Petropolitanae transmiſit commentationes quasdam *de oſſibus animalium incognitorum foſſilibus*, atque excurſionem ſuſcepit breuem Lutetiam Pariſiorum. Proximo denique anno *de fractura patellae atque olecrani* diſſertionem edere conſtituerat, ſed hoc per fata ipſi haud licuit **).

A quo tempore profeſſionem anatomiae atque chirurgiae abdicauerat, conuentus ſolemnis, quo negotia publica prouinciae Friſiacae pertractantur, membrum ordinarium legebatur, atque varia tunc munera obibat reipublicae. In ſenatum denique, qui ſtatuum vnitorum vocatur, ſub ultimum vitae tempus receptus, Hagae Comitum ſedem fortunarum figebat, vbi anno aetatis LxVIII. et huius ſeculi LxxxIx. die VII. Aprilis, vehementi peripneumonia correptus obiit.

*) *Conſ. Schriften. der Naturforſch. Geſellſch. in Berlin. B. VII. p.* 197 *ſſ.*

**) Filio editore prodiit Hag. Com. 789. 4. cum fig. aen.

## XI.

## Varia noua literaria.

Experient, CLOSS, qui dissertationem *de ductoribus cultri lithotomi sulcatis* pro obtinendis summis in medicina honoribus Marburgi cIↃIↃCCXCI. defendit, nuper professor anatomiae et chirurgiae in academia Tubingensi constitutus est.

Experientiss. CH. EHRENFR. WEIGEL, chemica eruditione clarus, ab academia scientiarum Holmiensi inter membra relatus est extranea.

In Silesia duae apertae sunt scholae, quibus artis obstetriciae recte faciendae praecepta obstetricibus traduntur, altera Glogauiae, altera Oppelni, quarum illi Experient. IMM. GOTTL. GERDESSENIVS, prof. reg. art. obstetr. assessor collegii med. et sanit. et poliater Glogauiensis, huic vero Exper. STOCK praeesse iussi sunt. Prior programmate de causis partus praeternaturalis (pagg. XXXIV. 4.) instituti huius rationem indicauit.

Experientissimus KAVSCH, circuli physicus medicus, a collegio medico et sanitatis Glogauiensi inter adiunctos relatus est suos, ita tamen, vt et in posterum Militschii commoretur.

Abbas celeberrimus, MAXIMIL. HELL, astronomus regio-caesareus, qui Veneris transitum ante solis discum d. 3. Iun. 1769. Wardaehusii in Lapponia Finnmarchica obseruauit, d. XIV. April. h. a. Vindobonae anno aetatis LXXI. mortuus est.

Die IV. Aprilis huius anni societas electoralis physico-oeconomica, quae Heidelbergae instituta est, consessum habuit solemnem, in quo Generos. L. B. a KOTTENHAHN, Sereniss. Principi Hasso-Darmstadiensi a consiliis camerae etc. inter honoraria; inter extraordinaria vero membra partim GEORG.

FORSTERVS, Seren. Principi Electori Moguntino a conſiliis aulae et bibliothecarius, partim WIEBEKINGIVS, hydrotechnicae per ducatum Iuliacum et Bergenſem magiſter a Principe Electore Palatino conſtitutus, relati atque ab Electore Sereniſſimo confirmati ſunt.

Experient. GE. CAR. STARAVASNIG, philoſoph. mag. et vtriusque clinices profeſſor publicus ordinarius in academia Friburgenſi, quem celebrem fecit infamis ob ſimulatam, diu toleratam inediam Anna Monica Mutſchleria, cuius hiſtoriam libro ſingulari ex rationibus phyſicis et medicis vt minime falſam comprobare ſtuduerat.

Exper. Noſe, a conſiliis rei metallicae, a facultate philoſophica Halenſi ſub anni ſuperioris exitum ſummis magiſterii honoribus ornatus eſt.

Exper. STEPHAN. de LVMNITZER, qui medicinam Poſonii exercet, et nuper *floram Poſonienſem* edidit, ob quam a Leopoldo II. publico decreto laudatus et numo aureo maioris molis, quos memoriales vocant, locupletatus fuit, de vtraque re d. XXVI. Mart. h. a. in conſeſſu publico bannatus Poſonienſis certior factus, numusque ipſi exhibitus eſt.

Non poſſumus non ob rei huius grauitatem huc transferre, quae Exper. GRENIVS, cognitionis chemicae ſubtilitate clariſſimus, nuper de experimento quodam publici iuris fecit, theoriam Lauoiſierianam labefactante, quin penitus ſubruente. Sunt vero verba huius Viri Celeberrimi haec:

„A variis viris eruditis rogatus ſum, vt experimentum illud, quo ſub reſtitutione (*reuiuificationem* vocant vulgo) mercurii per ſe praecipitati ſolius ignitionis ope plane nihil aëris dephlogiſticati prodire repereram, repeterem, cum eiusdem confirmatio recentiorum theoriam de oxygenii natura et effectibus euerſura eſſet. Equidem iam dudum me horum viro-

KORTUM'S (K. A.) *Nachtrag zu ſeiner Vertheid. der Alchemie gegen die Einwürfe ein. Schriftſteller, beſonders* WIEGLEBS. *Duisb.* 8.

KRAFT (I.) Pomona auſtriaca, *od. Abbild. von* 576 *Obſtgattungen, wie ſie in des Herausg. Baumſchule wachſ. u. zu kaufen ſind. Heft* 1—6. *m. ill. K. Wien.* 4.

KREBS (F. C.) *mediciniſche Beobachtungen. B.* 2. *St.* 4. *Quedlinb.* 8.

KRÜNITZ (I. G.) *ökonom. technolog. Encyklopädie oder allgem. Syſtem d. Staats- Stadt- u. ſ. w. Wirthſchaft etc. in alphab. Ordn. Th. XXV—XXVII. Zweyte Aufl. u. L—LIII. Erſte Aufl. Berl.* 8.

KUNST (*die*) *Branntwein, Liqueurs, Aquavite, Weine zu verfertigen. Mühlhauſ.* 8.

LABILLARDIERE icon. plantar. Syriae rarior. deſcript. et obſeru. illuſtratae. Dec. I. et II. Pariſ. et Argent. 4.

LAFONTAINE (F. E. de) *Briefe üb. chirurg. medic. Gegenſtände a. d. Königreiche Pohlen, m. Kpf.* Berl. 8.

LANCISI *von den verſch. plötzlich. Todesarten, ihren Urſachen, Kennzeichen u. Rettungsmitteln, aufs neue bearb. v.* C. FAHNER. *Th.* 2. *Leipz.* 8

LANDWIRTH (*der ſächſ*) *in ſein. Landwirthſchaft, was er jetzt iſt, was er ſeyn könnte: od. wie jeder ſeine Einkünfte um mehr als die Hälfte ſehr leicht vermehr. könnte. Th.* 3. 4. *Leipz.* 8.

LANGE (MART.) rudimenta doctrinae de peſte. Ed. alt auct. Offenb. 8

LEHMANN'S (I. C. *von*) *Grundſätze der Mineralogie. Frankf. a. M.* 8.

LEHRBUCH *für Schulen d. Wundarzneyk., ſich in der Anatom u. Chirurg. die vornehmſt. Anfangsgründe bekannt zu machen. Braunſchw.* 8.

— *der Naturgeſchichte: ein Ausz. a. d. Reccardſchen Lehrbuche, welches die Abſchnitte v. d. menſchlichen Seele, der Naturlehre und Naturgeſchichte enthält. Berl.* 8.

LEMPENS *Magazin der Bergbaukunde. Th.* 8. *m. Kpf. Dreſd.* 8.

LENK'S (N.) *monatliche Oekonomie, od. Land- u. Hauswirthſchaft, d. i. die vornehmſten Verrichtungen, Gegenſtände und Vortheile eines Landwirths durch alle Monate des Jahrs. Münch.* 8.

LENZ (I. G.) *mineralogiſches Handbuch durch weitere Ausführung des Wernerſchen Syſtems geliefert. Hildburghauſen.* 8.

LEONHARDI'S (F. G.) *Naturgeſchichte für alle Stände. B.* 1. *Leipz.* 8.

— — *allgem. Theor. pract. Stadt- und Landwirthſchaftskunde. B.* 1. *St.* 3. *Ebdſ.* 8.

LEVELING (H. P. *de*) hiſtoria chirurgico-anatomica facult. med. Ingolſtadienſis ab Vniu. a. 1472. condita ad a. 1788. Ingolſt. 4

LEXICON *aller k. k. Medicinalgeſetze, bearbeitet von* I. D. IOHN; *m. einer Vorrede v.* E. G. BALDINGER. *Th.* 3. 4. *u. letz. Prag.* 8.

L'HERÉTIER (C. E.) ſtirpes nouae aut minus cognitae deſcriptionibus et iconib. color. illuſtratae. Faſc. IV. Argent. f.

LINK'S (H. F.) *Verſuch einer Anleitung zur geolog. Kenntniſs der Mineralien. Götting.* 8.

LINNÉ (CAR. a.) genera plantar. eor character naturales ſec. numerum, fig. ſitum et proportionem omnium fructificat. partium. Edit. oct. priorib. longe auct. et emend. cur. IO. CHR. DAN. SCHREBER. Vol. II. Francof. a. M. 8.

— — genera plantarum, eorumque charact. etc. Ed. VIII. praeced. longe auct. cur. THADD. HAENKE. To. II. Vindob 8.

— — ſyſtema naturae per regna III. nat. ſec. claſſ. ord. gen. ſpec. c. char. differ. ſyn. loc. Ed. aucta, reform. cura IO. FR. GMELIN. To. I. P. VI. et To. II. P. I. Lipſ. 8.

— — *Syſtem d. Natur, nach der XIII. Gmelinſchen Ausg. bearbeitet v.* G. W. F. PANZER. *B.* I. *Die Säugthiere; m. Kupf. Berl.* 8.

LIPANOWSKY (I.) *über die Blattern. Prag.* 8.

LÖFLERS (I. M.) *Beyträge zur Wundarzneykunſt.* 2 *Bände. Altona.* 8.

LOGAN'S (GE.) *Abhandlung üb. die Gifte; a. d. latein. überſ. v.* H. TABOR. *Heidelb.* 8.

LOSCHE (F. H.) *die Knochen des menſchl. Körpers und ihre vorzüglichſten Bänder in Abbildungen und kurz. Beſchreib. Lief.* 3. *m. ſchw. u. bunt. Kpf. Erlang.* 8.

LUMNITZERI (STEPH.) flora Poſonienſis, exhib. plantas circa Poſoniam ſponte creſcentes ſec. ſyſt. ſex. Linn. digeſtas c. fig. Lipſ. 8.

MACQUERS (D. P. I.) *chymiſches Wörterbuch, oder allgem. Begriffe der Chym. nach alphab. Ordnung;*

*aus d. franz. nach d. zweyt. Ausg. überſ. u. m. Anm. u. Zuſätz. verm. v.* IOH. GOTTFR. LEONHARDI. *Th. VII. u. letzt. Zweyte verm. und verb. Ausgabe. Leipz.* 8.

MAGAZIN *für das Neueſte a. d. Phyſ. u. Naturgeſch. Herausgeg. v.* LICHTENBERG, *fortgeſ. v.* VOIGT. *B. VII. St.* 2. 3. *Goth.* 8.

— *für die Botanik. Herausgeg. v.* I. I. RÖMER *und* P. USTERI. *St.* II. *u.* 12. *Zürich.* 8.

— (*neueſtes*) *für die Liebhaber der Entomologie. Herausgeg. v.* D. H. SCHNEIDER. *Heft* 1. *Stralſund.* 8.

MARCARD'S (H. MATTH.) *kurze Anleit. z. innerlichen Gebrauche des Pyrmonter Brunnens zu Hauſe u. an der Quelle. Hannov.* 8.

MARSCHALL (FR. L.) *von der Caſtration. Saltzb.* 8.

MARTINI'S (F. H. W.) *allgemeine Geſchichte der Natur in alphab. Ordn. fortgeſ. v. ein. Geſellſch. gelehrt. Männ. B. X. m. ſchw. u. illum. Kupf. Berl.* 8.

MARTIUS (IOH. NIC.) *Unterricht in der nat. Magie, od. allerh. Beluſtig. und nützl. Kunſtſtück. völl. ausgearb. von* GOTTFR. EHR. ROSENTHAL; *m. ein. Vorr. v.* IOH. CHR. WIEGLEB. *B. 5. m. K. Berl. u. Stett.* 8.

MARTYN'S (IOH.) *Abbildung u. Beſchreib. ſeltener Gewächſe; neu überſetzt u. m. Anmerk. begleitet v.* G. W. F. PANZER; *m. Kupf. Nürnb. u. Leipz.* 8.

MATTHESIUS (C. H.) *über die Theorie d. Landwirthſchaft und einige neuere Grundſätze derſelben: ein Beytrag z. geſichert. Verbeſſerung d. Landwirthſch. Jen.* 8.

MAYER'S (IOH.) *Unterſuch. d. Liebwerder Sauerbrunnens in Böhmen. Dritte Aufl. Dreſd.* 8.

— (I. T.) *üb. die Geſetze u. Modificationen des Wärmeſtoffs. Erlang.* 8.

MEDE-

MEDERER (D. M. v.) u. I. I. KAUSCH *Beantw. d. Frage: wie kann man auf eine leichte u. allzukoſtſpiel. Art den Wundärzten, denen das Landvolk anvertrauet iſt, einen beſſ. u. zweckm. Unterr. beybringen. Erf.* 4.

MEDIKUS (F. K.) *philoſoph. Botanik. Heft* 2. *Manh.* 8.

MEIDINGER'S (K. *Freih. v.*) *Vorleſ. üb. die Naturgeſchichte. Das Thierreich. Wien u. Leipz.* 8.

METHERIE (*de la*) *über die reine Luft und verwandte Stoffe, nach d. neueſten Ausg. überſ. Th.* 2. *Leipz.* 8.

METZGER'S (I. D.) *Annalen d. Staatsarzneykunde. B.* 1. *St.* 3. *Züllich.* 8.

— — *Handbuch der Chirurgie für akadem. Vorleſungen. Jen.* 8.

MEYER (FR. ALB. ANT.) *Magazin für Thiergeſchichte u. Thierarzneikunde, B.* 1. *St.* 1. *m. Kupf. Götting.* 8.

– (I. G. W.) *Naturlehre für die Jugend. Band.* 1. *Nürnb.* 8.

MICHELITZ (ANT.) materiae medicae, ad normam pharmac. auſtriaco-prouincialis, ord. therapeut. digeſtae et nouiſſ. ſpec. obſeruatis illuſtratae. Vol. 1. Prag. 8.

MINDERER (I. M.) comment. de peſte eique medendi methodo in ratione et experientia fundata, Ien. 4.

— — *abermals ein Beytrag zur Kenntniß und Heilung d. Peſt. Riga.* 8.

MOLDENHAWERI (I. I. P.) tentam. in hiſtoriam plantarum Theophraſti. Hamb. 8.

MOLITOR (N. K.) *kurze Darſtellung des neuerbaueten chem. Laboratoriums, ſo wie des Verſuchs ein. f. d. Clinicum beſtimmten, in einzelne Zimmer eingerichteten Hoſpit. Mayntz.* 8.

MONRO'S (D.) *chem. pharmaceutiſche Arzneymittellehre a. d. engl. m. Anmerk. u. Zuſätz. von* SAM. HAHNEMANN. *Th.* 1. 2. *Leipz.* 8.

MOSER's (W. G. *von*) *Forſtarchiv zur Erweiterung der Forſt- und Jagdwiſſenſchaft und d. Forſt- u. Jagdlitteratur. B.* 10. *Ulm.* 8.

MÜLLER's (FR. CHR.) *Tafeln der Sonnenhöhen f. ganz Deutſchland u. deſſen weſtlich u. öſtlich benachbarte Länder. Nebſt ein. in Kupf. geſtoch. Sextant. Leipzig.* 8.

MUND's (S. F. G.) *landwirthſchaftliches Magazin. Jahrg.* 2. *Quart.* 3. *u.* 4. *m. Kupf.* 8.

MURRAY (I. A.) apparatus medicaminum, Vol. VI. Gotting. 8.

— — *Arzneivorrath; a. d. Latein. B. V. Braunſchw.* 8.

MURSINNA (CHR. LUD.) *Berichtigung des Sendſchreibens d. Hofr.* HAGEN *in Berlin an Hofr.* STARCK *in Jena üb.* 2. *ſchwere Geburtsfälle. Berl.* 8.

MVSEVM ornithologicum Carlſonianum, edid. A. SPARMANN. Faſc. III. c. fig. pict. Upſal. et Lipſ. fol.

NACHRICHTEN (*geſammelte*) *von dem Cemente aus Traſs und dem waſſerdichten Mauerwerke der Holländer. Dritte ganz umgearbeitete Aufl. m. Kupf. Dreſd.* 8.

NACHTHEILIGE (*das*) *aller Frühlings- Sommer- Blutreinigungs- u. Vorbauungskuren, ingl. des allzuhäufigen Purgierens, gezeigt von einem pract. Arzte Nürnb.* 8.

NAHMMACHER's (G. C.) *Mechaniſmus d. künſtl. Electricität, vergl. m. elect. Naturbegebenh. u. d. Electricität des Turmalins u. Zitteraals. Berl. u. Stralſ.* 8.

NAHUYS (A. P.) *chem. Abhandl. v. d. Entſteh. des Waſſ. a. d. Verbind. der Grundſtoffe d. rein. u. brennb. Luft: a. d. Lat. m. Erläut. u. Zuſätz. herausgeg. v. Dr.* I. A. SCHERER. *Wien.* 8.

NATURFORSCHER (*der*), *St. XXV. mit illumin. Kupf. Halle.* 8.

NATURGESCHICHTE *des Thierreichs; ein Leſebuch z. Nutz. u. Vergn. f. junge Leute. Th.* 3. *Die Gewürme, Inſect. Fiſche u. Amphib. m. Kupf. Nürnb.* 8.

— *(kleine) u. Erzähl. f. Kinder mit Abbildungen verſchied. Thiere u. Kupf. z. d. Geſchichten. Berl.* 8.

— *zum Gebrauch der Jugend. Landsh. in Bayern.* 8.

NAU'S (B. S.) *theoret. pract. Handb. d. Oecon. Bergbauk. Technolog. u. Thierarzneykunde. Nach alphab. Ordn. B.* 1. 2. *Zürich.* 8.

— — *Entdeckungen u. Beobacht. a. d. phyſ. Naturgeſch. u. Oekonom. B.* 1. *m. illum. Kupf. Frankf. a. M.* 8.

NECKER (NAT. IOS. de) elementa botanica, genera genuina, ſpec. nat. omn. veget. detector. eorumque charact. diagnoſticos ac pecul. exhib. ſec. ſyſt. omologic. ſ. natur. euulgata. 3. Vol. c. ſuppl. et tab. Neowed. et Argent. 8.

NELKENFLOR (*die*), *od. nach d. Nat. gemahltes Verzeichn. all. ſchön. u. gut. Sorten Nelken, nebſt ihren Nahmen u. kurz. Beſchreib. m.* 4. *gemahlt. Kupfern. Heft* 1. *Meiſſen.* 8.

NEUENHAHN, *d. i. die Brantweinbrennerei nach theor. und pract. Grundſaetzen. Nebſt d. dazu erforderl. Viehzucht u. Maſtung, auch Beſchreib. ein. Holzerſpar. Ofens u. Roſtes. Zw. verm. u. ganz umgearb. Aufl.; mit Kupf. Erf.* 8.

NEUMANN (IOH. ANDR.) *der philoſ. Bauer. Eine Naturlehre u. Anweiſ. in die Naturk. nebſt Anmerk. u. Verſuch. die Nat. zu erforſch. Leipz.* 8.

NICHOLSON'S (WILL.) *Scheidekunſt; a. d. engl. von Dr.* SPOHR. *Riga.* 8.

NIEMANN'S (D. A.) *Beitraege zur Forſtgeographie, od. Nachr. v. d. Forſtgewaechſen u. d. Forſtwiſſenſchaft in verſch. Laendern. Alton.* 8.

NOSE (C. W.) *orograph. Briefe üb. d. ſauerlaend. Gebirge in Weſtphalen. Nebſt litter. Nachträgen und*

*Regiſt. z. d. niederrh. u. weſtph. Reiſen. Frankf. a. Mayn* 4.

NUDOW'S (HEINR.) *Aphoriſm. z. Erkenntn. des Menſchen Natur im lebend. Zuſtande. Th.* 1. *Riga.* 8.

— — *Materialien zur Gründung u. mehrern Aufklär. d. medic. Seelenlehre. Samml. 1. Königsb.* 8.

— — *Verſuch einer Theorie des Schlafs. Ebdſ.* 8.

OEDMANN'S (SAM.) *vermiſchte Samml. a. d. Naturkunde z. Erkl. d. heil. Schr. Heft* 3. *n. ein. Anh. z.* 1*ſten Hefte. Heft* 4. *m. Kupf. a. d. ſchwed. überſ. von Dr.* GRÖNING. *Roſtock.* 8.

OLBERG'S (FRZ.) *Beiträge z. Litteratur d. Blattern u. deren Einimpfung v. Jahr* 1768–1790. *Bändch.* 1. *Halle* 8.

OLLENROTH (CH. FR.) *üb. die nothwendigſten ſittlich. Eigenſchaft und Pflichten eines militär. Unterwundarztes. Halle.* 8.

PAREA'S (HANN.) *Samml. von chirurg. Beobacht. a. d. italien. Stend* 8.

PAULIZKI'S (H. F.) *Anleit. f. Landleute zu ein. guten Verhalt. in Krankheiten. Frankf. a. M.* 8.

PEART (E.) *von den Grundſtoffen d. Natur und den einfachen Geſetzen, welchen ſie unterworfen ſind; a. d. engl. m. ein. Zuſatze v.* C. G. KÜHN. *Leipz.* 8.

PERENOTTI *di* CIGLIANO (PET. ANT.) *von der Luſtſeuche; a. d. italien. mit Zuſätzen v.* KURT SPRENGEL. *Leipz.* 8.

PFLANZENSYSTEM (*linneiſches*) *im Auszug: ein Lehrbuch z. Gebr. f. Liebhaber d. Oekonom. Fabriken u. Handlungswiſſenſch. Th.* 1. *m. K. Nürnb.* 8.

PHARMACOLOGIE (*antiſyphilitiſche*), *od. Anleit. zur Kenntniß derjenigen roh. zubereit. u. zuſammengeſetzten Arzneimittel, welche bei der Luſtſeuche angewendet zu werden pflegen, von* F. G. F. *Bresl.* 8.

PHARMACOPOEA caſtrenſis Boruſſica, auct. IO. ANDR. RIEMER. Edit. altera emendata. Berol. 8.

PIDE-

PIDERITII (PH. IAC.) pharmacia rationalis. Edit. 3. denuo auct. ac emend. Caſſel. 8.

PIEPENPRING'S (G. H.) *ökonom. Nützlichkeiten, Vortheile, und Wahrheiten f. Haushaltungen. B.* 1—3. *Götting.* 8.

— — *Beiträge zur Arznei- u. Apothekerkunſt. B.* 1. *Ebdſ.* 8.

PLENCK (I. J.) icones plantar. medicin. c. enumer. lat. germanicaque vir. medicin. chir. atque diaet. Vol. IV. faſc. 1—3. c. tab. pict. Vindob fol.

— — pharmacia chirurgica. Edit. noua. Ibid. 8.

PLOVCQVET (GVIL. GODOFR.) delineatio ſyſtem. noſologici, naturae accommodati. Tom. I. II. Tubing. 8.

— — *Mittel, Wohnungen u. andre Gebäude unverbrennl. zu machen, ſamt andern Anſtalten gegen Feuersbrünſte. Tüb.* 8.

PYL'S (I. TH.) *Aufſätze u. Beobachtung. a. d. gerichtl. Arzneywiſſenſch. Th. VII. od. neue Beobacht. etc. Th.* 1. *Berl.* 8.

— — *Repertorium für die öffentl. u. gerichtl. Arzneiwiſſenſch. B.* 2. *St.* 2. *Ebdſ.* 8.

RAKNITZ (*des Frhrn. v.*) *Schreib. über den Baſalt; m. Kupf. Dreſd.* 8.

REGIMEN ſanitatis Salerni ſ. ſcholae Salern. de conſeru. bona valet. praecepta. Edid. ſtudii med. Salern. hiſtoria praemiſſa I. C. G. ACKERMANN. Stendal. 8.

REMMLER'S (I. CH. W.) *Supplement z. d. Tabelle, welche das Verhältn. u. d. Menge d. in neuern Zeit. genauer unterſ. Stein- und Erdarten in* 100 *Granen beſtimmt. Erf. fol.*

RETZII (A. F.) obſeruationes botanicae. Faſc. VI. et vlt. c. fig. Lipſ. fol.

REUSS (ANT.) *das Saidſchützer Bitterwaſſer, hiſtor. phyſ. chem. u. med. beſchrieb. Prag.* 8.

REUS-

REUSSII (C. F.) diſpenſatorium vniuerſale ſ. lexicon chemico-pharmaceut. ad tempora noſtra accmodat. Vol. I. II. Edit. alt. auct. et emend. Argent. 8.

REYGER'S *Beſchaffenh. d. Witterung in Danzig vom Jahr 1770 — 1786. nebſt Zuſätzen z. Dangiger Flora. Th. 2. Danz.* 8.

REYHER'S (IOH. G.) *Auszüge med. Probe- und Einladungsſchriften. B. 1. St. 2. 3. Schwer. und Wiſm.* 8.

REZEPTBUCH *für Kinderkrankheiten u. vener. Krankheiten. Leipz.* 8.

RICHARDSON'S (W.) *Chemie der Metalle f. Fabrikanten u. Manufakturiſten. Nebſt e. Nachr. v. d. wichtigſten Krankh. d Künſtl. die in Metall arbeit. und der Verhüt. u. Kur derſelben; a. d. engl. m. Anmerk. d. deutſch. Herausg. Leipz.* 8.

RICHTER'S (A. G.) *chirurg. Bibliothek. B. 10. St. 3. 4. B. 11. St. 1 — 3. Götting.* 8.

RICHTER'S (F. A.) *Lehrbuch der Chemie. Halle.* 8.

RICHTER (I. B.) *üb. d. neuern Gegenſtände d. Chemie, vorzügl. das ohnlängſt entdeckte Halbmetall Uranium. Bresl. u. Hirſchb.* 8.

RIEGELS (NIC.) de vſu glandularum ſuprarenalium in animalibus, nec non de origin. adipis. Hafn. 4.

RIEM'S (I.) *auserleſene Samml. verm. ökonom. Schriften. B. 2. Lief. 1 — 3. m. Kupf. Dreſd.* 8.

— — *u.* G. S. REUTTER'S *Praktik des Veterinär-Trokarirens irrgehender Drehſchaafe; od. ökon. chirurg. Unterr. f. Landwirthe u. Schäfer, das dumme Drehen, Segeln u. Traben d. Schaaflämmer zu verhind. Dreſd.* 8.

RIESS *miner. u. Bergmänn. Beobacht. üb. ein. Heſſiſche Gebirggegenden, bei Geleg. ein. Reiſe geſammelt, m. Anmerk. u. ein. Vorrede v. Bergaſſ.* KARSTEN, *nebſt ein. petrogr. Karte u. Kupf. Berl.* 8.

RIGBY'S (ED.) *chymiſcher Verſuch üb. d Zucker; aus d. engl. überſ. u. mit Anmerk. begleit. v.* SAM. HAHNEMANN. *Dreſd.* 8.

RÖHL'S (LAMPR. HEINR.) *Einleitung in die aſtronom. Wiſſenſchaften. Th.* 1. *Zweit. verbeſſ. Aufl. Greifswald.* 8.

RÖMER'S (CH. LEBR.) *chirurgiſche Arzneimittellehre. Th.* 2. *Altenb.* 8.

RÖMERI (I. I.) diſſ. ſiſtens partus naturalis breuem expoſitionem. Ed. II. Gotting. 8.

— — *Taſchenbuch bei botan. Wanderungen durch d. Schweitz; nebſt ein. f. gemäßigtere Climata eingerichteten Blumenkalender. Zürich.* 8.

RÖSLER'S (G. S.) *Beiträge zur Naturgeſchichte Wirtembergs. Herausgeg. v.* P. H. HOPF. *Heft* 3. *Tübing.* 8.

ROSSARZT (*der deutſche*) *zu Heilung d. Krankheiten d. Pferde; f. Verwalt. Schmiede u. Bauern. Halle.* 8.

SACHTLEBEN'S (IOH. HEINR.) *Holzerſparungskunſt bei* 10. *verſchiedenen Feuerarten nach eigen. Erfahr. u. Bauvorricht.; m. Kupf. Quedlinb.* 8.

SALVADORI (MATTH.) *üb. die Schwindſucht; aus d. Ital. Leipz.* 8.

SAMMLUNG *auserleſener Abhandl. z. Gebrauch für pract. Aerzte. B.* 13. *St.* 4. *B.* 14. *St.* 1. 2. *Leipzig.* 8.

DIESELBE, *in Auszug gebracht v.* C. M. KOCH. *B.* 1 – 3. *Leipz.* 8.

SAMMLUNG *elektriſch. Spielwerke f. junge Elektriker; m. Kupf. Lief.* 4. *Nürnb.* 8.

— (*neueſte*) *der beſten Abhandl. für Wundärzte; aus verſchied. Sprachen überſ. St.* 3. *m. Kupf. Leipz.* 8.

— *phyſikal. Aufſätze, beſonders die böhm. Naturgeſchichte betreffend, v. ein. Geſellſch. böhm. Naturf. Herausgeg. v. D.* MAYER; *m. Kupf. Dreſd.* 8.

SAMM-

SAMMLUNGEN *zur Phyſik u. Naturgeſchichte. Herausgeg. v.* E. B. G. HEBENSTREIT. *B. IV. Stück* 6. *Leipz.* 8.

SANDHOF'S (C. AUG.) *Anweiſung z. ſichern Holzerſparniß, ab. nur für Landwirthe; mit Kupfern. Leipz.* 8.

SAEUGTHIERE (*die*) *in Abbildungen nach d. Natur, m. Beſchreibungen v. Hofr.* SCHREBER. *Heft* 52. *mit gem. u. ſchw. Kupf. Erlang.* 4.

DERSELBEN *neue Ausgabe. Leipz. Ebdſ.* 4.

SAUVAGES (FRC. BOISS. de) noſologia method. ſiſtens aegritudines, morb. paſſion. ord. natur. et artif. Caſtig. emend. aux. icon. et. ad nat. pict. adiecit C. F. DANIEL. To. II. Lipſ. 8.

SCARPA (A.) anatomicarum annotationum lib. I. II. Ticin. 4.

SCHEPPACH'S (G. A.) *karackteriſtiſches Verzeichniß d. vorzügl. in Deutſchl. anzubauenden einheim. u. nordamerik. wildwachſ. Holzarten. Dreſd.* 8.

SCHERF'S (I. C. F.) *Beiträge zum Archiv d. med. Polizei u. Volksarzneikunde. B.* 3. *Sammlung* 1. *Leipzig.* 8.

— — *vollſtändigen deutſchen Hausarztes Theil* 1. *Leipz.* 8.

— — *von d. phyſik. Erziehung der Kinder und Heilung ihrer Krankheiten. Zweite Aufl. mit Bericht. u. Zuſ. Ebdſ.* 8.

SCHLEGELII (IO. CH. FR.) collectio opuſculor. ad medicinam forenſem ſpectantium. Vol. VI. Lipſ. 8.

— — *neue mediz. Litteratur f. practiſche Aerzte. B.* 3. *St.* 1. 2. *Leip.* 8.

SCHLERETH (FRC. ANT.) diſpenſatorium Fuldenſe tripartitum ſec. modern. genio accommod. Edit. ſec. ab auct. reuiſa et emend. Fr. a. M. 8.

SCHMELZ *ökon. hiſtor. topogr. biograph. Nachrichten f. Oekonom. geſammelt auf ein. Reiſe auf Oberſchleſ. üb. Berl. d. ein. Theil Sachſens etc.* Leipz. 8.

SCHMETTERLINGE (*die europäiſchen*) *in Abbildungen nach der Natur u. m. Beſchreib. v. Prf.* ESPER. *Heft* 42—46. *Erlang.* 4.

DERSELBEN *neue Ausgabe. Lief.* 11. 12. *Ebdſ.* 4.

— (*die ausländiſchen*), *in Abbildung. n. d. Natur etc. Heft* 6. *Ebdſ.* 4.

SCHMID'S (P. DOM.) *pract. Abhandl. v. Ackerbau in Schwaben. Ulm.* 8.

SCHMIDT'S (I. A.) *Bemerk. üb. d. Krankenbetten und Beſchreib. eines v. Braun neu erfund. einf. in d. meiſt. Rückſicht. zweckmäſ. Krankenbettes, m. ein. Kupfer. Wien.* 8.

SCHOBELT (C. H.) *ein Paar Worte üb. die Faulfieber zu Aerzten u. Nichtärzten geſprochen. Berl.* 8.

SCHOENFELDT'S (I. G.) *Landwirthſchaft und deren Verbeſſerungen. Mit einer Vorrede u. neuen Erfah. verm. v.* G. STUMPF. *Leipz.* 8.

SCHRADER'S (I. G. F.) *Beſchreib. ein. neuen u. vollkom. Einricht. d. Luftpumpe; m. Kupf. Flensb.* 8.

SCHRADER (I. CH. G.) *die norddeutſchen Arzneypflanzen für Anfänger d. Apothekerkunſt. Berl.* 8.

SCHRAUD'S (FR.) *Abhandlung v. d. Verbind der Luſtſeuche mit dem Scharbocke und deſſen Heilungsart. Wien.* 8.

SCHREGERI (BERNH. GOTTL.) fragmenta anatomica et phyſiologica. Faſc. I. Lipſ. 4.

(Reliqua proxime.)

---

Contents

## Contenta in hac parte.


I. OLIVIER Entomologie, ou hiſtoire naturelle des Inſectes. Tome ſecond. p. 379
II. PAVLET tabula plantarum p. 386
III. LAVGIER Inſtitutiones pharmaceuticae, ſiue philoſ. pharmac. P. I, II, III. p. 389
IV. BUCHANS *Haus - Arzneykunde. Nach der eilften engliſch. u. d. viert. franzöſ. Ausg.* p. 394
V. *Bergbaukunde. Erſter u. Zweyter Band* p. 404
VI. CHAPTAL'S *Anfangsgründe der Chemie.* *B.* I. p. 459
VII. GRVNERI Luſus medici p. 481
VIII. Van der MYE de morb. et ſymptom. populariб. Bredanis etc. p. 482
IX. CARMINATI Hygiene, therapeutice et materia medica. Vol. I. p. 494
X. Memoria PETRI CAMPERI p. 509
XI. Varia Noua literaria p. 521
XII. Catalogus librorum, qui in Germania CIↃIↃCCLXXXXI. prodierunt. p. 536

# COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.




## VOLVMINIS XXXIV. PARS IV.

LIPSIAE, MDCCXCII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Pr. Elmsly, Edinburgi apud Elph. Balfour, Lugd. Bat. ap. Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi Iunior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Mediolani apud Ios. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Guibert et Orgeas, Florentiae apud Ios. Molini, Holmiae apud M. Swederum, Lisbonnae apud M. Borell et Socios, Lausannae apud I. H. Pott.


Jos: Banks

## I.

I. A. CHAPTAL'S, *Anfangsgründe der Chemie. Aus dem Franzöſiſchen überſezt, und mit Anmerkungen verſehen von* FRIEDRICH WOLFF, *zweyter und dritter Theil. Königsberg, bey Friedrich Nicolovius*, 1792. 8. tom. II. pagg. 540. tom. III. pagg. XXVIII. et 420.

i. e.

Elementa chemiae auctore I. A. CHAPTAL. E gallico vertit notisque auxit FRIDERICVS WOLFF. Cum praefatione SIGISMVNDI FRIDERICI HERMBSTAEDT. Tomi II. III. *)

T. II.

In tomo ſecundo primum *lithologia* pertractatur. p. 1—228.

*Introductio* agit de lithologiae definitione: de characteribus lapidum: de neceſſitate et difficultate diuiſionum iuſtarum in hac parte hiſtoriae naturalis: de variis methodis lapides ſyſtematice diuidendi huccusque vſitatis: de principiis, quibus auctor ſuas diviſiones ſuperſtruxit: de illis, quae analyſis lapidum docuit: de notis proprietatibusque terrarum ſimplicium primariarum, terrae ponderoſae, terrae calcareae, magneſiae, terrae aluminaris, ac terrae ſiliceae. — Diuidit noſter lithologiam tres in claſſes. In prima ſales terreſtres; in altera terrae compoſi- p. 1-21



*) Vid. ſupra pag. 459. ff.

tae; in tertia ſaxa continentur. — Terra calcarea pura, i. e nullo acido, ne aëreo quidem, iuncta, natiua paſſim occurrit. Videtur eſſe originis vulcanicae: certe MONETVS ac FERBERVS eam prope montes vel olim vel etiamnunc igniuomos repererunt. — E tentaminibus, quae DORTHES inſtituit, conſequitur, terram argillaceam puriſſimam, adeoque illam, quae ex alumine praecipitatur, nonnihil ferri in ſtatu calciformi continere. Huic materiae odor terreus adſcribendus eſt, qui emergit, ſi haec terra humectatur. Inquinamentum hoc ferreum difficillime poteſt ſeparari. — In additamento interpres de duabus terris ſimplicibus nuper a KLAPROTHO in ſpato adamantino et zircono repertis diſſerit. Terra ſpati adamantini in rerum natura non pura reperitur. Illa enim terra adamantina, quam cl. RASPE e Sina obtinuit, cuiusque duas ſpecies, alteram coloris albidi, cinerei alteram, KLAPROTHVS poſſidet, nihil eſt aliud niſi ſpatum adamantinum pulueratum. Ad terram huic foſſili propriam extricandam ſpatum adamantinum duodecim vicibus, quavis vice per quinque horas, cum alcali minerali cauſtico, quod vltima vice ſpati quantitatem fere quindecies ſuperaret, colliquatum eſt. Poſt ſingulas fuſiones partes terreſtres ſolubiles per acida potentiſſima extractae ſunt. Terra peculiaris naturae ſic elicita circiter tertiam partem foſſilis efficit. Hae ſunt eius proprietates. 1) Vna cum terra aluminari ab acidis alcalibusque ſuſcipitur. 2) Puriſſima acidorum alcalique vegetabilis connubium reſpuit. Ad zirconi terram quod ſpectat, etiam haec terra hucusque tantummodo terrae ſiliceae iuncta occurrit. Ad eam e zircono, cuius principium eſt, extricandam KLAPROTHVS ducenta grana huius lapidis ter percandefecit inque mortario e pyromacho nigro confecto contriuit. Zircono contrito adiunxit quater mille

grana

grana alcali mineralis cauſtici, miſturamque in crucibulo argenteo aliquot per horas exuſſit. Maſſam exuſtam aqua macerauit, acidumque muriaticum purum ſuperfudit, donec hoc praedominaretur, tumque maſſam cum hoc acido per aliquot horas digeſſit. Poſt ſolutionem multa aqua diluit, percolauit, reſiduumque edulcorauit: quod intactum remanſerat terra fuit ſilicea. Iam ſolutionem acidam limpidam magna aquae copia diluit, alcalique ſoluto terram zirconi ſub forma pulueris candidi praecipitauit. His gaudet haec terra proprietatibus. 1) A ſalibus alcalinis nec via ſicca neque humida ſuſcipitur. 2) Acidum vitriolicum eam ſine efferueſcentia ſuſcipit, limpidaque naſcitur ſolutio. Si euaporatur, pultaceam faciem contrahit. Si acidum excedit, ſal fit cryſtalliſabilis ſapore adſtringente. 3) Acidum acetoſum purum hanc terram pariter perfecte ſoluit, interque euaporandum dat maſſam pulueream ſaporis adſtringentis. Borax hanc terram perfecte ac ſine efferueſcentia ſuſcipit. — Duas alias terras nouas, quarum vnam WEDGWOOD in arena auſtrali ſic dicta, alteram SVLZERVS in ſtrontianita olim pro terra ponderoſa aërata habita reperit, interpres hic ſilentio praeterit, de iis infra accuratius acturus. Terra quoque animalis naturae peculiaris, quam RICHTERVS in oſſibus detexiſſe ſibi videtur *), interpreti videtur prius accuratius examinanda, quam certi quid de eius indole definire liceat.

*Claſſis I.* De coniunctione terrarum cum acidis. p. 21—77.



*) RICHTER *über die neuern Gegenſtände in der Chemie. Breslau*, 1791. 8. Vid. Comment. noſtr. p. 332. huius vol.

p.21— 57. *Genus I.* Sales terreſtres, quorum baſis terra calcarea eſt.

p.21— 41. *Species I.* Calx aërata. Lapis calcareus. — Lapis calcareus habet formam aut cryſtallinam, eamque vel definitam, vel confuſam, aut vulgarem. Ad primam ſpeciem pertinent ſpata calcarea rhomboidalia, priſmatica, pyramidalia; ad alteram ſtalactitae, incruſtata; ad tertiam tum illi lapides calcarei, qui polituram admittunt, tum illi, qui non admittunt. Qui polituram admittunt, marmora dicuntur; qui non admittunt, ſunt lac lunae, creta etc. — De analyſi et vſu lapidis calcarei. — Lapides calcarei quoad maximam partem noſtro videntur a teſtaceorum fragmentis ortum ſuum ducere. — Indurationem cementi auctor a transformatione calcis in lapidem calcareum paullatim contingente repetit. Tum demum cementum fit duriſſimum, ſi calx, quod acidi aërei amiſit, illud perfecte recuperet. Haec operatio tardiſſimo gradu procedit, niſi cementum cum corporibus acidum aëreum aut principium analogum tenentibus coniungas, ſicque connubium iſtud facilites. Niſi hanc lapidis calcarei regenerationem tarde accidentem aſſumas, non explicaueris, qui fiat, vt lapides duriſſimi cementum optimum exhibeant, nec magis intelligas, cur cementum antiquorum temporum tali ſit duritie, qualem noſtri homines ſuo cemento non poſſunt vlla ratione conciliare.

p.41— 46. *Species II.* Terra calcarea vitriolata, gypſum, ſelenites. — Selenites ſub forma occurrit aut cryſtallina, aut vulgari. Si forma eſt cryſtallina, ſiſtit gypſum rhomboidale, criſtam galli mentiens etc., ſi vulgaris, ſeleniten proprie dictum. — Analyſis et proprietates eiusdem. — Gypſi ortum a pyritarum fatiſcentia acidique vitriolici ſic liberati cum terra calcarea copulatione auctor repetit. — Cum CAROSIO et MACQVARTO arbitratur, gypſum in chalcedo-

cedonium poſſe transformari. Vbi nucleus chalcedonii ſemel natus eſt, etiam in muſeis creſcere pergit. Credit noſter, humorem cryſtallinum ſ. ſuccum quarzoſum in gypſum penetrare, cum terra calcarea copulari, ſicque hanc metamorphoſin efficere. Similiter Clar. DORTHES docuit, quarzum Paſſienſe criſtam galli figura aequans e gypſo generari. Hic gypſum per ſolutionem abactum eſt, ſuccusque quarzoſus eius locum occupauit.

*Species III.* Terra calcarea fluorata, ſpatum fluoris mineralis, ſpatum vitreum, ſpatum phoſphoreum. — Sp. 47—52.

Spatum fluoris mineralis ſub forma aut cryſtallina aut vulgari occurrit. Ob tinctus differentiam varia nomina nactum eſt. — Methodus acidi fluorati (*acide fluorique*) parandi. Notae et proprietates eiusdem. — Fluor mineralis ſpataceus inprimis videtur auctori dignus, in cuius naturam accuratius inquiratur. Quemadmodum adamas, ſtructuram habet foliaceam, ac ſecundum ROCHONI obſeruationem non magis, quam adamas, refractione eſt duplici: etiam ipſius phoſphoreſcentia inflammabilitati adamantis quodammodo analoga videtur. Colores exhibet viuidos variosque. Haec omnia analogiam inter ambos lapides quandam arguere videntur; vt facile quis ſuſpicetur, principia adamantis, tantummodo terrae calcareae acidoque iuncta, in hoc lapide reperiri. — Corroſio vitri per acidum fluoratum dudum (vt interpres in nota monet) cognita fuit. Reperit eam medicus quidam Dreſdenſis, MATTHIAS PAVLI. Is hanc huius menſtrui parandi rationem propoſuit: Sumantur „acidum nitroſum ſmaragdusque Bohemicus viridis „pulueratus (alias Heſperus dictus), qui in puluerem „redactus in calore lucet, miſturaque in lagenam Wal„denburgenſem ingeratur (nam aliud vitrum corro„deretur), perque horas viginti quatuor in arena calida „aſſervetur; ſic liquor obtinetur vitrum corrodens.“ —

SCHELII de acidi fluorati natura theoriam contra MONNETI aliorumque obiectiones noſter tuetur.

p. 52—54. *Species IV.* Terra calcarea nitrata (*nitrate de chaux*), nitrum calcareum.

p. 54—55. *Species V.* Terra calcarea ſalita (*muriate de chaux*). Ab hoc ſale ſapor amarus aquae marinae maximam partem repetendus eſt, non vero, vti nonnullis placuit, a particulis bituminoſis, quas in aqua illa fruſtra quaeſiueris.

p. 55—56. *Species VI.* Terra calcarea phosphorata (*phoſphate de chaux*). Calcem phosphoratam primus clariſſ. BOWLEO in Hiſpania, in prouincia Eſtremadura, reperit. Hic lapis colore eſt albido, ſat ſolidus, non tamen tam durus, vt ad chalybem ſcintillet. Conſtat e fibris verticalibus, arcte ſibi inuicem appoſitis, planis, ſtrata horizontalia efformantibus, ac quarzo inſidentibus. Prunis iniectus non detonat, ſed paullatim inflammatur, ignemque ſpargit ſplendidum viridem, qui ipſum videtur penetrare, tardeque euaneſcit. Ante tubum ferruminatorium in maſſam albam, nullis bullis actis, funditur. Cum acidis nitroſo ac vitriolico perinde ſe habet, ac oſſa calcinata. Acidum poteſt ab eo ſeparari, inque vitrum phoſphori conuerti. Clariſſ. PROVST, cui accurata haec lapidis iſtius notitia debetur, praeterea narrat, prope pagum Logroſan in prouincia Eſtremadura colles adeo ex ipſo compoſitos reperiri. Ad aedificia ibi exſtruenda hic lapis adhibetur. — In nota interpres de apatite, cuius characteres externos WERNERVS et KARSTENIVS deſcripſerunt, principia KLAPROTHVS eruit (centenarius tenet 55 partes terrae calcareae, 45 acidi phoſphorei), loquitur.

p. 56—57. *Species VII.* Terra calcarea boracata (*borate de chaux*), boracites, ſpatum ſedatiuum. Hanc ſpeciem interpres addidit. Boracites a LASIO primum deſcriptus cryſtallos exhibet cubicas: ideo lapis cubicus

bicus olim audiit. Cryſtalli integrae facies 26 ſiſtunt. Plerisque color candidus eſt, nonnullis ſubgriſeus, aliis propemodum amethyſtinus. Magna ſunt duritie, vitrum ſecant, chalybique alliſae ſcintillas vividas edunt. Pondus ipſarum ad aquae pondus refertur = 2566 : 1000. Fractura ſunt foliata, claroque apparet, lapidem e lamellis conſtare. In aqua inſolubilis eſt. Acidis nubere recuſat. In igne vix quidquam perit, niſi ille admodum intendatur; tunc enim in vitrum flauidum funditur. Analyſis chemica e centum huius lapidis partibus eruit 11 terrae calcareae, 68 acidi boracis, 2 terrae ſiliceae, 1 terrae aluminaris, 13 magneſiae.

*Genus II.* Sales terreſtres, quorum baſis terra ponderoſa eſt. P. 57—62.

*Species I.* Terra ponderoſa vitriolata (*ſulfate de barite*), ſpatum ponderoſum. P. 58—60.

*Species II.* Terra ponderoſa acido carbonico iuncta (*carbonate de barite*), terra ponderoſa aërata, Witherites. P. 60—61.

*Species III.* Terra ponderoſa nitrata (*nitrate de barite.*) P. 61—62.

*Species IV.* Terra ponderoſa ſalita (*muriate de barite.*) P. 62.

*Genus III.* Sales terreſtres, quorum baſis magneſia eſt. P. 62—69.

*Species I.* Magneſia vitriolata (*ſulfate de magneſie*), ſal Epſomenſis, ſal amarus. — Hic illic e ſchiſtis effloreſcit. Noſter hunc ſalem in montibus prope Rauergue tanta copia reperit, vt poſſet commode colligi. Aues itinerariae eo veſcuntur. P. 63—64.

*Species II.* Magneſia nitrata (*nitrate de magneſie*). Caſu noſter ex aqua matre nitri ad quadrageſimum quintum vsque gradum araeometri inſpiſſata cryſtallos obtinuit craſſiſſimas, breuiſſimas, quadri- P. 64—65.

lateras, priſmaticas, quae in aëre non deliqueſcerent.

p.65—66. *Species III.* Magneſia ſalita (*muriate de magneſie.*)

p.66—69. *Species IV.* Magneſia acido carbonico ſaturata (*carbonate de magneſie*), magneſia aërata. — Nactus eſt noſter cryſtallos niuem mentientes, cum magneſiam alcali guttatim adfuſo praecipitaret.

p.69—76. *Genus IV.* Sales terreſtres, quorum baſis terra aluminaris eſt.

p.69—76. *Species I.* Terra aluminaris vitriolata (*ſulfate d'alumine*), alumen. — Ad alumen parandum auctor in ſua aluminis fabrica hac methodo vtitur. Argilla calcinatur, in fragmenta minuta tunditur, inque fundo conclauis plumbo obducti extenditur. Iam acidum vitriolicum e ſulphure, nitro adiuncto, per combuſtionem elicitur. Vapores acidi totum conclaue adimplent, aliquamdiuque formam hanc retinent. Hoc in ſtatu acidum longe eſt potentius, quam in ſtatu liquido, nam aqua admiſta ipſius efficacitas decreſcit. Argilla cum acido coit, id quod auctum ipſius volumen efflorescentiaeque arguunt. Aliquot diebus praeteritis, tota ſuperficies argillae acido expoſita in alumen tranſiit. Hoc ſtratum ſalinum amouetur, vt partes terrae inferiores ab acido tangi poſſint.

p. 76. *Species II.* Terra aluminaris acido carbonico ſ. aëreo iuncta (*carbonate d'alumine*). — Obiter etiam de terra aluminari nitrata et ſalita.

p.76—77. *Genus V.* Sales terreſtres, quorum baſis terra ſilicea eſt. Inter omnes terras hucusque cognitas ſilicea acidis difficillime nubit. Acidum fluoris mineralis ſolum terram ſiliceam adoritur: cum ipſa volatiliſatur, eam ſuſcipit, tumque demum mittit, ſi cum aqua copulatur. Clar. ACHARD nonnulla inſtituit tentamina, quae acidum aëreum cum terra ſilicea coire poſſe arguere videntur: ſed chemicis francogal-

cogallicis non contigit, vt ipſorum experimenta eundem ſucceſſum haberent. E tentaminibus clariſſimi DE MORVEAU cogi poſſe videtur, ad geneſin cryſtalli montanae ferrum acidumque aëreum requiri. —

*Claſſis II.* De copulatione et miſtione terrarum primitiuarum ſ. ſimplicium. Si ad varias proportiones, ſecundum quas terrae primitiuae commiſceri poſſunt, reſpiciendum eſſet, differentiae darentur innumerabiles. Igitur noſter tantummodo illas ſubſtantias pro corporibus diuerſae ſpeciei habet, in quibus non eadem inſunt principia. Diſcrimina, quae proportionem principiorum ſpectant, modo varietates efficiunt. Genus a terra characteriſtica, quae toti maſſae characterem ſuum impertit, repetitur, non vero ſemper ab illa terra, quae inter principia copia maxima occurrit; ſaepe enim maſſae character a terra dependet, quae reliqua principia quantitate neutiquam ſuperat. p. 77— 185.

*Genus I.* Miſturae calcareae. p. 78— 84.

*Species I.* Terra calcarea, acidum aëreum, magneſia. p. 78— 79.

*Species II.* Terra calcarea, acidum aëreum, terra ponderoſa. p. 79.

*Species III.* Terra calcarea, acidum aëreum, terra aluminaris. Pertinent huc marga et marmor. In pluribus marmoribus Gallicis noſter terram aluminarem reperit: haecque videtur ipſi ratio eſſe, quamobrem nonnullorum politura pinguis appareat. Inter margam ac marmor hos limites conſtituit. Margae adnumerat omnes illas ſubſtantias, quae a vera decompoſitione inprimisque transformatione ferri ortum ſuum ducunt. Marmori illa accenſet producta, quae miſtione principiorum iam formatorum modo mechanica generata ſunt. p. — 79 81.

*Species*

p. 81—82. *Species IV.* Terra calcarea, acidum aëreum, terra ſilicea.

p. 82—83. *Species V.* Terra calcarea, bitumen.

p. 83—84. *Species VI.* Terra calcarea, acidum vitriolicum, ſelenites, bitumen. Hanc ſpeciem interpres inſeruit.

p. 84. *Species VII.* Lapis calcareus, ferrum.

p. 85—87. *Genus II.* Miſturae terrae ponderoſae.

p. 85. *Species I.* Acidum vitriolicum, terra ponderoſa, petroleum, gypſum, alumen, terra ſilicea.

p. 86—87. *Species II.* Terra ponderoſa aërata, ferrum, terra ſilicea.

p. 87—102. *Genus III.* Miſturae magneſiae.

p. 88. *Species I.* Magneſia pura, terra ſilicea, terra aluminaris.

p. 88—93. *Species II.* Magneſia aërata, terra ſilicea, terra aluminaris.

p. 93—95. *Species III.* Magneſia pura, coniuncta cum quantitate terrae ſiliceae paullo maiore, quam pondus ipſius efficit, tertia parte terrae aluminaris, fere tertia parte aquae copiaque ferri maiori minoriue.

p. 95—97. *Species IV.* Magneſia aërata, terra ſilicea, terra calcarea, terra aluminaris, ferrum.

p. 97—98. *Species V.* Magneſia aërata, terra calcarea, terra ponderoſa, terra aluminaris, ferrum.

p. 99—102. Sequuntur additamenta interpretis, in quibus de nephrite, terra fullonum, bolo, cyanite (ſchoerlo caeruleo), tremolite, lapide radiato atque chlorite agitur.

*Genus*

*Genus IV.* Miſturae terrae aluminaris. p. 103–125.

*Species I.* Terra aluminaris, terra ſilicea, terra calcarea aërata, plus minusue ferri. Argilla cum ſuis varietatibus. Vſus eiusdem. De maſſa, e qua vaſa fictilia fiunt. — Obiter hic de BERNARDO PALISSY, figulo illo autodidacto. p. 103–113.

*Species II.* Terra aluminaris, terra ſilicea, magneſia pura, ferrum. p. 113–117.

*Species III.* Terra aluminaris, terra ſilicea, magneſia, calx martialis. p. 115–115.

*Species IV.* Terra aluminaris, terra ſilicea, magneſia aërata, terra calcarea, ferrum. p. 118–119.

*Spec. V.* Terra aluminaris, terra ſilicea, pyrites martialis, terra calcarea aërata, magneſia aërata. p. 120–121.

*Species VI.* Terra aluminaris, terra ſilicea, magneſia aërata, terra calcarea aërata, pyrites martialis, bitumen. p. 121–122.

*Species VII.* Terra aluminaris, terra ſilicea, terra calcarea, aqua. p. 123–125.

*Genus V.* Miſturae terrae ſiliceae. Huic generi noſter omnes illos lapides adnumerat, qui chalybi alliſi ſcintillas edunt. p. 125–185.

*Species I.* Terra ſilicea, terra aluminaris, terra calcarea, ferrum, intime coniuncta. Gemmae. A. Gemmae rubrae: rubinus, granatus etc. B. Gemmae flauae: topaſius, hyacinthus etc. C. Gemmae virides: ſmaragdus, chryſolithus, beryllus. D. Gemmae caeruleae: ſapphyrus. p. 125–137.

*Species II.* Terra ſilicea, nunc pura, nunc quantitati exiguae terrae aluminaris, terrae calcareae ferrique miſta. A. Cryſtallus montana. De geneſi huius lapidis naturali et artificiali. a) Cryſtallus rubra, rubinus ſpurius. b) Cryſtallus flaua, topaſius Bohemicus p. 138–145.

micus. c) Cryſtallus fuſca. d) Cryſtallus viridis, pſeudoſmaragdus. e) Cryſtallus caerulea, ſpaphyrus aqueus. f) Cryſtallus violacea, amethyſtus. B. Quarzum. Hic interpres obiter de vitri confectione.

p.146–159. *Species III.* Terra ſilicea, terra aluminaris, terra calcarea, ferrum, intime vnita. A. Silices ſtructurae craſſioris. 1) Pyromachus. 2) Lapis corneus. B. Silices ſtructurae ſubtilioris. 1) Achates. 2 Opalus. 3) Chalcedonius. Hic rurſus de gypſi in chalcedonium transformatione. 4) Cacholonius. 5) Sardonyx.

p.159–160. *Species IV.* Terra ſilicea, terra aluminaris, ferrum. Iaſpis.

Inſerit hoc loco interpres:

p.160–161. 1) Zirconum. Grauitatem huius lapidis ſpecificam clar. LICHTENBERGIVS reperit = 4,475. E centenario eius KLAPROTHVS elicuit 31,5 partes terrae ſiliceae, 0,5 terrae martialis niccolum tenentis, 68 terrae primitiuae peculiaris.

p.161–162. 2) Arenam auſtralem. Haec arena e ſinu Iackſoni in Wallia noua auſtrali in Europam nuper illata ſecundum analyſin WEDGWOODI terram nouam primitiuam pariter continet. Gneiſſum aemulatur in arenam dilapſum, praeterque ſquamas nonnullas ſplendoris argentei, pellucidas, micae ſimiles, in ipſa magnam copiam particularum coloris plumbei, partim curuatarum, a WEDGWOODO pro plumbagine, a BLVMENBACHIO rectius pro molybdaeno habitarum, tum grana quarzo ſimilia, colore lacteo, pellucida, vitrum ſecantia; denique fragmenta friabilia, adiaphana, flauide albicantia, feldſpathum fatiſcentia dilapſum referentia cernas. Haec fragmenta nouam terram continent. Terra iſta acido muriatico adfuſo ſoluitur, ſed aqua admiſta rurſus praecipitatur. Solutio huius terrae muriatica ſaturata in cryſtallos non coale-

cealeſcit, ſed euaporatione in calore modico protracta ſpiſſeſcit, faciem butyraceam contrahit aërique libero expoſita deliqueſcit. Haec maſſa non eſt ſapore cauſtico, ſed leniori, quam terra calcarea eidem acido iuncta. — Quod e ſolutione muriatica aqua adfuſa praecipitauit, adiuncto hepate ſulpluris volatili non immutatur. Lixiuium ſanguinis aut alcali volatile huic ſolutioni adfuſa nihil praecipitant. Acidum nitroſum nec dilutum nec concentratum aliquid huius foſſilis ſuſcipiunt: nec magis oleum vitriolicum aequali quantitate aquae dilutum in ipſum quicquam valet. Si ſolutioni ſaturatae huius terrae muriaticae magna copia acidi nitroſi adfunditur, aqua admiſta nihil amplius deturbat. Itaque menſtruum huic terrae proprium aqua regia eſſe videtur. A terris hucusque cognitis noua haec terra his characteribus differt. 1) Ad gradum caloris 142 — 156tum pyrometri Wedgwoodiani longe facilius funditur ceteris terris ſimplicibus. 2) In ſolo acido muriatico ſoluitur, hocque acidum, priusquam candeſcit, amittit. 3) Aqua, non vero lixiuio ſanguinis, e ſolutione praecipitatur. Hac nota differt non modo ab omnibus reliquis terris, ſed etiam ab omnibus omnino calcibus metallicis hucusque cognitis. 4) Cum per alcalia decomponi nequeat, non poteſt haberi pro terra aliqua ſimplici aut calce metallica cum acido quodam cognito copulata.

3) Strontianiten. Reperitur in vena plumbi montis granitici prope Strontian in Scotia. Colore eſt interdum albo, ſed plerumque viridi, qualis aſparagi eſt. Parum ſplendet, pellucet, fereque ſpato ponderoſo inſidet. A witherite ſ. terra ponderoſa aërata probe diſtinguendus eſt, a quo natura ſua vehementer differt. Faciem quidem externam ſi ſpectes, ambo foſſilia ſibi haud diſſimilia ſunt: ambo etiam ſunt terrae acido aëreo iunctae. Sed ſtrontianites longe eſt ſpecifice leuior witherite; huius enim p. 163—164.

pondus

pondus ſpecificum eſt = 4271, illius = 3591 (aquae pondere ſpecifico poſito = 1000). Etiam tinctu ac textura differunt. Witherites animalibus ſanguine calido venenum eſt, non item ſtrontianites. Illi acidum aëreum ne vehementiſſimo quidem igne poteſt eripi, huic poteſt, modo calor maior ſit, quam quo terra calcarea cauſticatur. Acidum aëreum ſemper ante vitrificationem auolat. In hoc aëris vacuo vna eius pars a ducentis aquae partibus ſoluitur. In aëre libero haec ſolutio protinus turbatur, maximamque partem terrae ſolutae demittit. Cum acido nitroſo haec terra cryſtallos generat tabulares, ſexlateras, ſat magnas, facile ſolubiles.

p.164–180. *Species V.* Terra ſilicea, terra aluminaris, terra calcarea, pauxillum magneſiae et ferri. Turmalinus. Schoerli. Producta vulcanica. — De lagenis vitreis e laua confectis vſuque baſaltae vitriario. — De ſaxo trapezio. — Baſalten auctor productis vulcanorum adnumerat.

p. 180. *Species VI.* Terra ſilicea, terra calcarea, magneſia, ferrum, cuprum, acidum fluoris mineralis. Chryſopraſius.

p.181–182. *Species VII.* Terra ſilicea, calx fluorata, calx vitriolata, ferrum. Lapis Lazuli.

p.182–185. *Species VIII.* Terra ſilicea, terra ponderoſa, terra aluminaris, magneſia. Feldſpatum.

p.186–228. *Claſſis III.* De lapidibus mechanice miſtis ſ. ſaxis. Recte monet interpres, talibus foſſilibus in elementis chemiae locum eſſe non poſſe. — Genera auctor repetit a lapide praedominante, ſpecies a reliquis lapidibus cum praedominante copulatis.

p.188–189. *Genus I.* Saxa, quae miſtio mechanica lapidum calcareorum cum aliis lapidibus generauit. *Spec.* 1. Calx aërata et terra ponderoſa vitriolata. *Spec.* 2 Calx aërata et mica. *Spec.* 3. Lapides calcarei cum talco. *Spec.* 4. Lapis calcareus et fragmenta quarzoſa.

*Genus*

*Genus II.* Saxa, quae miſtio mechanica lapi-p. 190-
dum baryticorum cum aliis lapidibus generauit. 191.
*Spec.* 1. Spatum ponderoſum cum ſpato calcareo. *Spec.* 2. Spatum ponderoſum cum ſerpentino. *Spec.* 3. Spatum ponderoſum cum fluore minerali. *Spec.* 4. Spatum ponderoſum cum argilla indurata. *Spec.* 5. Spatum ponderoſum cum quarzo. *Spec.* 6. Spatum ponderoſum cum laua.

*Genus III.* Saxa, quae miſtio mechanica lapi-p. 191-
dum magneſiacorum cum aliis lapidibus generauit. 192.
*Spec.* 1. Lapides magneſiaci inter ſe miſti. *Spec.* 2. Lapides magneſiaci cum lapidibus calcareis. *Spec.* 3. Lapides magneſiaci cum lapidibus argillaceis. *Spec.* 4. Lapides magneſiaci cum lapidibus ſiliceis.

*Genus IV.* Saxa, quae miſtio mechanica lapi-p. 193-
dum argillaceorum cum aliis lapidibus generauit. 197.
*Spec.* 1. Schiſtus cum mica. *Spec.* 2. Schiſtus cum granatis. *Spec.* 3. Schiſtus cum mica et quarzo (gneiſ-ſum; ſed recte monet interpres, in gneiſſi partibus conſtitutiuis ſchiſtum non poſſe numerari). *Spec.* 4. Schiſtus cum ſchoerlo. *Spec.* 5. Argilla cum quarzo.

*Genus V* Saxa, quae miſtio mechanica lapi-p. 197-
dum quarzoſorum inter ſeſe generauit. *Spec.* 1. 202.
Quarzum cum ſchoerlo. *Spec.* 2. Quarzum cum feldſpato. *Spec.* 3. Lapis arenaceus cum granatis. *Spec.* 4. Quarzum cum feldſpato et ſchoerlo. *Spec.* 5. Fragmenta quarzoſa per cementum ſiliceum copulata. *Spec.* 6. Iaſpis cum feldſpato. *Spec.* 7. Iaſpis cum granato. *Spec.* 8. Iaſpis cum chalcedonio. *Spec.* 9. Iaſpis cum quarzo. *Spec.* 10. Iaſpis cum quarzo ac feldſpato. *Spec.* 11. Schoerlus cum granato ac turmalino

*Genus VI.* Saxa, quae miſtio mechanica variorum generum produxit. *Spec.* 1. Silex cum terra argillacea et ſpato calcareo. *Spec.* 2. Argilla cum

ſteatite et ſpato calcareo. *Spec.* 3. Argilla cum zeolitho, ſchoerlo ac ſpato calcareo. *Spec.* 4. Argilla cum ſerpentino ac ſpato calcareo. *Spec.* 5. Serpentinus cum mica et ſpato calcareo. *Spec* 6. Serpentinus cum ſchoerlo et lapide calcareo. *Spec.* 7. Steatites cum mica et granatis. *Spec.* 8. Steatites cum mica ac ſchoerlo. *Spec.* 9. Granati cum quarzo, mica, ſerpentino. *Spec* 10. Feldſpatum cum quarzo, mica et ſteatite. *Spec.* 11. Quarzum cum mica et argilla. *Spec.* 12. Quarzum cum argilla et ſteatite.

p.204–210. De *adamante.* Adamantem noſter pro corpore habet inflammabili. — De ſpato adamantino. Terra peculiaris, quam KLAPROTHVS in hoc foſſili reperit, forſitan principium omnium gemmarum efficit.

p.211–228. Sequitur conſideratio generalis decompoſitionum et immutationum, quas pars ſolida globi noſtri perpeſſa eſt.

p.228–540. Iam auctor ſeſe ad *corpora metallica* convertit.

p.228–246. In *introductione* agitur de characteribus ſubſtantiarum metallicarum; de opacitate, pondere, ductilitate; de forma, ſub qua in terrae viſceribus reperiuntur, de venis metalliferis earumque varietatibus; de notis praeſentiam venae metalliferae prodentibus; de docimaſia minerarum; de praeparatione ac fuſione minerarum; de calcinatione (oxydatione ſecundum nouam Gallorum nomenclaturam) metallorum ac theoria huius phaenomeni; denique de diuiſione ſubſtantiarum metallicarum *).

*Cap.*

*) Non vidit auctor, quae clariſſ. D'ELHUYAR de diuiſionibus metallorum ſyſtematicis hucusque vſu receptis, ſed futilibus, acute monuit in actis ſocieta-

tis

*Cap. I. De arſenico.* De communi forma arſenici venalis. Methodi arſenicum in ſtatum regulinum reducendi. Characteres huius metalli. Coniunctiones arſenici cum variis aliis metallis, quae in natura reperiuntur. Proceſſus ad arſenicum ab illis ſeparandum accommodati. Copulatio artificialis arſenici cum materia caloris, oxygenio, ſulphure, acidis ac ſalibus alcalinis. Vſus ac noxa arſenici praeparatorumque arſenicalium. p. 247–261.

*Cap. II. De cobalto.* Characteres cobalti. Coniunctiones eius naturales cum arſenico, ſulphure, oxygenio, aliisque metallis. Excoctio minerarum cobalti: praeparatio zafferae, ſmalti etc. Coniunctiones artificiales cobalti cum materia caloris, acidis ſalibusque alcalinis. Vſus cobalti eiusque praeparatorum. p. 261–269.

*Cap. III. De niccolo.* Proprietates niccoli. Formae, ſub quibus nicolum in terrae viſceribus reperitur. Coniunctiones niccoli cum materia caloris, acidis, ſulphure, hepate ſulphuris etc. p. 269–272.

*Cap. IV. De wismutho.* Characteres wismuthi. Coniunctiones wismuthi naturales cum arſenico, ſulphure, acido aëreo, oxygenio etc. Excoctio minerarum wismuthi. Coniunctiones artificiales wismuthi cum materia caloris, acidis metallisque. Vſus huius metalli ipſiusque praeparatorum. p. 272–278.

*Cap. V. De antimonio.* Characteres antimonii. Coniunctiones naturales huius metalli cum ſulphure, arſenico, oxygenio etc. Excoctio minerarum antimonii. Proceſſus ad illas ſubſtantias praeparandas, quae ſub nomine reguli antimonii antimoniique crudi venales proſtant. Coniunctiones artificiales antimo- p. 278–300.



tis metallicae. Vid. Comment. noſtr. Vol. hoc ipſo XXXIV.

nii cum materia caloris, acido vitriolico, acido nitroſo, acido muriatico etc., ſalibus alcalinis, hepatibus ſulphuris, metallis. Vſus antimonii praeparatorumque antimonialium varius.

p.301–313. *Cap. VI. De zinco.* Characteres zinci. Coniunctiones zinci natiuae cum ſulphure, oxygenio etc. Excoctio minerarum zinci. Coniunctiones artificiales zinci cum materia caloris, acidis, ſalibus alcalinis atque metallis. Vſus zinci ac praeparatorum ipſius.

p.313–327. *Cap. VII. De magneſio.* Hiſtoria, characteres atque proprietates magneſii. Variae formae, ſub quibus occurrit. Coniunctiones naturales magneſii cum oxygenio, metallis etc. Proceſſus ad calcem magneſii natiuam in ſtatum completum reducendam. Coniunctiones artificiales magneſii cum materia caloris, acidis, ſulphure, metallis, ſalibus alcalinis etc. Vſus magneſii ipſiusque praeparatorum.

p.327–346. *Cap. VIII. De plumbo.* Characteres plumbi. Coniunctiones natiuae huius metalli cum ſulphure, acido vitriolico, acido aëreo, acido phoſphoreo, oxygenio etc Docimaſia et excoctio minerarum plumbi. Coniunctiones artificiales plumbi cum materia caloris, oxygenio. Variae formae, ſub quibus calces plumbi occurrunt. Coniunctio plumbi cum acidis. Vſus plumbi ac praeparatorum ipſius.

p.346–362. *Cap. IX. De ſtanno.* Characteres ſtanni. Variae formae, ſub quibus minerae ſtanni reperiuntur. Docimaſia et excoctio mineraram ſtanni. Coniunctiones ſtanni vel naturales vel artificiales cum metallis variis: differentiae hinc oriundae ſtanni venalis reſpectu bonitatis ac puritatis. Coniunctiones ſtanni cum materia caloris, oxygenio, acidis, metallis, ſulphure etc. Vſus ſtanni ipſiusque praeparatorum.

p.363–419. *Cap. X. De ferro.* De ferri in omnibus propemodum ſubſtantiis praeſentia. Characteres ac proprie-

prietates huius metalli. Hypotheſes ac facta, quae ferrum regulinum natiuum dari demonſtrare videntur. Variae formae, ſub quibus ferrum inuenitur. *Spec.* 1. Minerae ferri, quae a magnete trahuntur. *Spec.* 2. Ferrum ſulphure mineraliſatum. *Spec.* 3. Minerae ferri ſpatoſae, ſiue ferrum acido aëreo calcinatum. *Spec.* 4. Minerae ferri argilloſae ſ. lacuſtres. *Spec.* 5. Caeruleum Berolinenſe natiuum ſ. ferrum acido caerulei Berolinenſis iunctum. *Spec.* 6. Graphites. Docimaſia et excoctio minerarum ferri. Coniunctiones ferri cum oxygenio et materia carbonum. Cauſſae differentiarum, quae in variis ferri mineris obſeruantur. Coniunctiones ferri cum materia caloris, acidis etc. Vſus ferri ac praeparatorum eiusdem.

*Cap. XI. De cupro.* Characteres cupri. Coniunctiones natiuae huius metalli cum ſulphure, arſenico, antimonio, oxygenio, acido aëreo. Docimaſia et excoctio minerarum cupri. Coniunctiones artificiales cupri cum materia caloris, oxygenio, acidis, ſalibus alcalinis etc. Vſus cupri et eius praeparatorum. p. 419–441.

*Cap. XII. De hydrargyro.* Characteres et proprietates hydrargyri. Coniunctiones naturales hydrargyri cum oxygenio, metallis ac ſulphure. Methodi hydrargyri e mineris eliciendi. Coniunctiones artificiales hydrargyri cum materia caloris, acidis, ſulphure, metallis. Vſus hydrargyri ac praeparatorum mercurialium. p. 442–463.

*Cap. XIII. De argento.* Characteres et proprietates argenti. Coniunctiones naturales argenti cum ſulphure, ſulphure et arſenico, ſulphure et antimonio, acido muriatico, metallis. Excoctio minerarum argenti. Ratio quantitatis argenti in compoſito aliquo metallico detegendae. Coniunctiones artificiales argenti cum materia caloris, metallis, oxygenio, p. 464–582.

genio, acidis, alcali volatili etc. Vſus argenti tam ſolius quam cum aliis metallis etc. coniuncti.

p.482–500. *Cap. XIV. De auro.* Characteres et proprietates auri. Coniunctiones auri natiuae cum ſulphure, arſenico, ſubſtantiis vegetabilibus, metallis. Excoctio minerarum auri. Ratio quantitatis auri in compoſito aliquo metallico determinandae. Coniunctiones artificiales auri cum materia caloris, oxygenio, acidis, alcali volatili, aethere, metallis. Vſus auri eiusdemque praeparatorum. — Nonnulla ſuper alchemia. Defenduntur alchemiſtae genuini, magnique operis poſſibilitas adſeritur.

p.501–512. *Cap. XV. De platina.* Hiſtoria, characteres ac proprietates platinae. Coniunctiones artificiales huius metalli cum materia caloris, acidis, arſenico, phoſphoro, metallis. Vſus platinae.

p.513–527. *Cap. XVI. De lapide ponderoſo ac ſpuma lupi.* Characteres lapidis ponderoſi. Acidum lapidis ponderoſi. Proprietates et praeparatio huius acidi. Characteres ſpumae lupi. Acidum lapidis ponderoſi e ſpuma lupi extricatum. Praeparatio ac proprietates eiusdem. Characteres et proprietates metallorum ex hiſce mineris elicitorum.

p.527–536. *Cap. XVII. De molybdaeno.* Characteres molybdaeni. Coniunctiones molybdaeni cum materia caloris, oxygenio, ſalibus alcalinis, ſulphure, metallis. Acidum molybdaeni. Praeparatio huius acidi. Proprietates et coniunctiones eiusdem.

p.536–539. Additamenta duo adiunxit interpres. In primo de vranio, nouo metallo, a clariſſimo KLAPROTHO 1789 detecto,

p.539–540. in altero de reductione magneſiae, terrae calcareae, terrae ponderoſae terraeque aluminaris in ſtatum metallicum nuper in Hungaria tentata, ſed falſitatis iam conuicta (reguli ſic obtenti crucibulis ortum ſuum debuerunt) agitur.

Iam

Iam ad tomi tertii contenta recenſenda nosmet conuertimus.

T. III.

Hoc in tomo primum *vegetabilia* pertractantur. p. 1 — 284.

*Introductio.* Characteres plantarum. Diſcrimen inter ſubſtantias trium naturae regnorum. De defectu analyſeos plantarum, qualis hucusque fuit. Proponuntur analyſis perfectior diuiſioque magis methodica plantarum. p. 1–9.

*Sect. I.* De ſtructura plantae. A. De cortice. B. De textura lignoſa. C. De vaſis. D. De glandulis. p. 9— 17.

*Sect. II.* De principiis plantam nutrientibus. p. 17— 31.

A. De aqua, tanquam principio plantas nutriente. Quo purior aqua eſt, eo laetius plantae creſcunt. Sales in aqua ſoluti, vt DUHAMELII et HALESII experimenta docent, vegetationi magis nocent, quam proſunt. Excipiendae tamen ſunt plantae maritimae ac marinae, nam ad harum nutritionem ſal marinus requiri videtur, ſiquidem, niſi ille adeſt, pereunt. (Sed monet interpres, ſalicorniam in locis a mari longe diſſitis, vbi nihil muriae eſt, bene creſcere. Illic tamen nihil tenet alcali mineralis.) Cenſet noſter, ſalem marinum his in plantis decomponi, ſicque vnum ex illarum principiis efformare. — Stercoratio telluris hanc quoque praeſtat vtilitatem, quod calor perpetuus fermentationem putridam concomitans augmentum vegetabilium mire promouet. Sic FABBRONI folia floresque tantummodo in ea arboris cuiusdam parte euolui vidit, quae ſimeto eſſet obuerſa. B. De terra ipſiusque in vegetationem influxu. Terra vices placentae vterinae gerit, quae etſi ipſa ad foetus vitam alendam nihil largitur, tamen ſanguinem matris praeparat adque foetum bene nutriendum idoneum reddit. — C. De aëre phlogiſticato, vt principio plantas nutrien-

te. — D. De acido aëreo, vt principio plantas nutriente. — E. De lucis in vegetationem efficacitate. Lux non tam nutrimentum plantarum esse videtur, quam potius stimulus, cuius vi principia plantam nutrientia decomponuntur. — Quod plantae ab aëre phlogisticato acidoque aëreo nutriuntur, id miram inter ipsas nonnullaque insecta analogiam constituit. Dudum docuit FRIDERICVS GARMANNVS (Ephemerid. Nat. Curios. ann. 1670), aërem araneis nutriendis inseruire. Laruae myrmeleontis aliorumque insectorum in sabulo degentes solo vescuntur aëre. Obseruarunt naturae scrutatores, magnum numerum insectorum, maxime dum pupae sunt, in aëre phlogisticato acido aëreo misto viuere posse, aeremque purum exhalare. FONTANA vidit, hanc multorum esse insectorum proprietatem, atque INGENHOVSSIVS, qui suspicatur, materiam illám viridem in aqua nascentem, e qua lumini solari exposita aër purus existit, domicilium animalculorum esse, hanc obseruationem confirmauit. Adde, quod insecta perinde, ac plantae, organa respirationi inseruientia per totam corporis superficiem sparsa habent. Haec tam manifesta inter plantas insectaque analogia etiam per analysin chemicam confirmatur: ex insectis enim plantisque eadem possunt principia extricari, olea volatilia, resinae, acida libera etc.

p. 31—188. *Sect. III.* De principiis vegetabilium. 1) Mucilago. Gummi. 2) Olea: a) fixa, b) volatilia, vbi etiam de camphora. 3) Resinae. 4) Balsami, vbi de benzoë. 5) Gummi resinae. Hic de resina elastica vernicibusque. 6) Faecula. 7) Gluten. 8) Saccharum. 9) Acida vegetabilia. Hi characteres acidorum vegetabilium ab auctore assumuntur: volatilitas; residuum carbonarium post combustionem, odorque empyreumaticus, dum ardent; oleosa indoles basium. Si cum clarissimo MONRO sumimus, modo

ea

ea acida pro iisdem habenda esse, quae cum eadem basi eundem salem neutralem progignant (Transact. Philos. Vol. 52. pag. 479.), numerus acidorum vegetabilium in infinitum crescit. Placuit MONROI ratio plurimis chemicis, sed iniuria. Ea demum acida diuersa sunt, quorum bases sunt diuersae, non quorum basis eadem est, tantummodoque oxygenio varia proportione iuncta. Itaque e tentaminibus HERMBSTAEDTII, SCHEELII, WESTRVMBII, aliorum recte colligitur, acida omnia vegetabilia nihil esse aliud, nisi modificationes varias vnius, ad summum duorum acidorum radicalium. 10) Sales alcalini. Praexistentiam salium alcalinorum in vegetabilibus auctor cum GROSSIO, DUHAMELIO, MARGGRAFFIO, ROVELLIO defendit. 11) Materiae colorantes. 12) Pollen antherarum. Hac occasione de cera. 13) Mel. 14) Textura lignosa. 15) Nonnulla alia principia plantarum solida. Hoc loco rursus de auri in vegetabilibus praesentia, quae asseritur contra obiectiones SAGIO factas. 16) Succi communes, qui pressione aut incisionibus obtinentur.

*Sect. IV.* De principiis, quae euaporatio e plantis euoluit. 1) Aër purus, quem vegetabilia exhibent. 2) Aqua, quam vegetabilia largiuntur. 3) Spiritus rector BOERHAAVII s. principium plantarum aromaticum (secundum nouam Gallorum nomenclaturam chemicam). Ob subtilitatem suam atque invisibilitatem videtur fluidis aëriformibus adnumerandus esse. Minimo calore e planta extricatur, in frigore vero magis condensatur, meliusque percipitur, vnde fit, vt vesperi melius quam horis meridianis sentiatur. Nunc cum oleo, nunc cum materia extractiua coniunctus est. Volatilitas oleorum volatilium ab eo videtur repetendus. Odoratus habita ratione, respectu naturae huius principii insignis differentia obseruatur, adeoque dantur plantae, quae p. 188–197.

in oeconomiam animalem vires exſerant venenatas, quas a ſolo ſpiritu rectore repetere conuenit. —

p. 197–284. *Sect. V.* De mutationibus, quas vegetabilia mortua patiuntur. *Cap. I.* De caloris in plantas efficacitate. Deſtillatio plantae, productaque huius deſtillationis. *Cap. II.* De aquae in plantas efficacitate. Hoc loco de lithanthracibus (quos a plantis noſter repetit) et bituminibus: itemque de vulcanis. De noſtri ſententia inflammatio bituminis in terrae viſceribus inſigni copia abſconditi montium igniuomorum cauſa eſt, inprimisque ſtrata lithanthracum pyritis ſulphureis iunctorum pabula vulcanorum ſunt. *Cap. III.* De plantarum decompoſitione, quae in terrae viſceribus contingit. Gagas. *Cap. IV.* De aëris et caloris in plantas viribus. Fuligo. Cineres. *Cap. V.* De aëris et aquae efficacitate, quae fermentationis aliquam ſpeciem, producit, qua ſucci plantarum a parte lignoſa ſeparantur. *Cap. VI.* De aëris, caloris et aquae in plantas efficacitate. A. Fermentatio ſpirituoſa, ipſiusque producta. Spiritum vini auctor cum LAVOISIERIO credit e magna vi hydrogenii materiaque carbonum intime vnitis compoſitum eſſe. Naphthae. Acida dulcificata. Tartarus. B. Fermentatio acida. C. Fermentatio putrida.

p. 285–420. Vltimo loco *ſubſtantiae animales* prodeunt.

p. 285–290. *Introductio.* De chemia ad artem medicam male inepteque adplicata. Quibus modis huiusmodi errores poſſint corrigi. — Characteres animalis. Quem ordinem animalia inter ceteras ſubſtantias globi, quem incolimus, teneant. Quae nunc eſt chemiae facies, haec diſciplina poteſt plures functiones animales illuſtrare, ipſiusque adplicatio vtilis eſt adeoque neceſſaria in ſtatu corporis humani tam ſano quam morboſo.

*Cap.*

*Cap. I.* De ciborum concoctione. Agitur hic de ſucco gaſtrico. p. 290–294.

*Cap. II.* De lacte. — HERMBSTAEDTII ſententiam, ſecundum quam acidum galactoſaccharinum non cum SCHEELIO pro acido naturae perculiaris, ſed pro calce acido ſaccharino ſuperſaturata, cui nonnihil olei admiſtum eſt, haberi oportet, confutauit clariſſ. DE MORVEAU (in Encyclopaedia noua methodica). p. 294–308.

Is vt hoc acidum ſumma puritate nanciſceretur, aqua illud ebulliente ſoluit, tumque refrigerando ſolutionem in cryſtallos coëgit. Has cryſtallos denuo ſoluit, ſolutionique aquam calcis ad ſaturationem vsque guttatim adfudit, tumque nonnihil acidi addidit, vt acidum praedominaretur. Miſturam hanc per horas viginti quatuor quietam ſeruauit, vt appareret, ſalem vere ſolutum eſſe. Tempore illo elapſo, acidum ſaccharinum vulgare adfudit. Paucis horis poſt copioſum apparuit praecipitatum, quod genuina eſſet calx ſaccharata. Conſequitur hinc: 1) acidum galactoſaccharinum non eſſe calcem ſaccharatam, alioquin nouo acido ſaccharino adfuſo hic ſal non fuiſſet decompoſitus, 2) omnino in hac ſubſtantia acida nihil ineſſe terrae calcareae, etenim dum obtinetur, ſemper adeſt acidum ſaccharinum, quod, vti hoc docet experimentum, terram ipſi calcaream eriperet. Itaque pro acido peculiari habenda erit. — Cum auctor ſaccharum lactis cum acido nitroſo deſtillationi expoſuiſſet, tres drachmas acidi ſaccharini egregie cryſtalliſati obtinuit (Mémoires préſentés à la ſociété des ſciences de Montpellier). — In montibus Larſacenſibus vidit auctor ad lactis principia ſeparanda feminas brachia ad flexuram vsque vlnarem lacti immergere atque huc illuc verſare. Credit, calorem animalem forſitanque etiam principia, quae e corpore humano emergunt, hanc ſeparationem efficere. — Roque-

forti,

forti, vbi caſeus optimus conficitur, hac ad eum parandum methodo vtuntur. Lac coagulatum diligentiſſime exprimitur, ne quid ſeri remaneat, reſiduumque accuratiſſime exſiccatur. Tum in cellam transfertur, cuius temperatura ſit graduum duorum triumue ſupra o, ac fermentatio pauxillo ſalis adiuncto promouetur; ne tamen nimia fiat, ſuperficies ſubinde abraditur. Fermentatio tardo procedens gradu totum caſeum paullatim peruadit, euoluitque colores illos rubros et caeruleos, quorum cauſſam auctor in diſſertatione ſuper praeparatione caſei Roqueforti cum ſocietate regia oeconomica communicata inque tomo quarto annalium chemicorum euulgata fuſe expoſuit.

p. 309–316. *Cap. III.* De ſanguine. — Sanguinis colorem auctor a particulis martialibus in ſanguine latentibus repetit, quas cenſet ab aëre puro calcinari, inque calcem martialem rubram transformari.

p. 317–324. *Cap. IV.* De adipe. — De acido pinguedinis. — Arbitratur auctor, adipem nihil eſſe aliud niſi oleum butyrumue acidi interuentu formam ſolidam nactum.

p. 324–331. *Cap. V.* De bile. Principia bilis ſecundum auctorem ſunt aqua, ſpiritus rector, ſubſtantia lymphatica, oleum reſinoſum atque alcali minerale. Videtur ipſi bilis ſaponis quaedam ſpecies, quam alcali mineralis coniunctio cum ſubſtantia reſinoſa atque lymphatica generauit. — De cholelithis.

p. 331–338. *Cap. VI.* De partibus animalium mollibus atque albis. Conſiderantur hoc loco gelatina, glutinis variae ſpecies, ichthyocolla.

p. 339–343. *Cap. VII.* De muſculis ſ. partibus carnoſis.

*Cap.*

*Cap. VIII.* De vrina. — Hoc loco de calculis vrinariis. p. 343–360.

*Cap. IX.* De phoſphoro. — Ad acidum phoſphoreum parandum noſter hanc viam inſiſtit. Oſſa ſumit duriſſima accenditque, quo fit, vt ſuperficies colorem album, pars interior ſubnigrum contrahat. Oſſa ſic exuſta in puluerem rediguntur, cribrantur, vaſi fictili aut ligneo ingeruntur, oleoque vitrioli, quod ſubduplum ponderis ipſorum efficiat, perfunduntur: quod dum fit, miſtura perpetuo verſatur. Inſignis hac in perfuſione calor euoluitur. Vbi miſtura duos tresue per dies digeſta fuit, aqua paullatim admiſcetur, miſturaque verſatur Ad aquae vim augendam noſter ignem admouet. Lixiuium ſic paratum in vaſis fictilibus, argenteis aut cupreis (clariſſ. PELLETIER inprimis cuprea laudat, nam vidit, acidum phoſphoreum in cuprum nihil valere) euaporando exſiccatur, reſiduumque denuo aqua ebulliente perfunditur, et elixatur donec prorſus exhauſtum ſit, id quod contigiſſe tum cenſendum eſt, vbi aqua non amplius flaueſcit. Omnes hi liquores ad extracti conſiſtentiam euaporatione rediguntur. Ad ſeleniten ſeparandum noſter extractum hoc modo paratum quam fieri poteſt minima aquae quantitate ſoluit, liquoremque percolat. Ita ſelenites in filtro remanet. Poteſt hoc extractum illico cum carbone commiſceri ac deſtillari, ſed melius noſtro videtur, illud prius in vitrum animale conuerti. Hoc conſilio extractum crucibulo amplo ingerit, ignique exponit. Maſſa tum intumeſcit, poſtque collabitur inque vitrum abit. Hoc vitrum colore eſt candido, lacteo. Admirabundus vidit auctor, vitrum phoſphori, quod parauerat, ſcintillas electricas inſignes edere: ſi manus ipſi admoueretur, ad duorum pollicum diſtantiam ſcintillae prorumpebant. Haec proprietas, etſi vitrum in vaſe vitreo ſeruaretur, poſt duos tresue dies euanuit. Cum auctore p. 360–381.

ctor euaporationem in vaſis cupreis inſtitueret, vitrum nactus eſt, quod colore turcoſam referret; vnde recte colligit interpres, acidum phoſphoreum cuprum adoriri. Sceletum poſt exuſtionem vndeuiginti pendens libras vitri phoſphorei quinque libras dedit Hoc vitrum pulueratum noſter cum aequali quantitate pulueris carbonum commiſcet, inque retortam porcellaneam luto probe obductam ingerit, cuius collum partim aquae excipuli ſubmerſum eſt. Excipulum eſt tubulatum, aperturaeque ipſius aptatus tubus amplus cum vaſe aqua pleno coniunctus. Ignis paullatim augetur. Vbi miſtura percanduit, phoſphorus transuehitur. Sublimatur partim ſub forma fumi, qui condenſatur inque aquae ſuperficiem delabitur, partim ſub forma aëris inflammabilis, partim denique ſub forma cerae liquidae, ſic vt guttae phoſphori pellucidae ſpecioſaeque in aquam incidant. — Ad phoſphorum purgandum corium e pelle cameli confectum aqua humectatur, phosphorusque in illud ſic ingeritur, vt ſacculum pendulum efformet. Is in aquam ebullientem immergitur, phoſphorusque liquefactus protinus exprimitur, qui tum poros corii hydrargyri ad inſtar peruadit. Clariſſ. PELLETIER, qui hunc proceſſum propoſuit, monet, corium ad hanc operationem tantummodo ſemel poſſe adhiberi; etenim ſi iterum ſumeretur, phoſphorum colore flauo inficeret. — De phoſphori vſu oeconomico ad ignem facile promteque accendendum. — Suſpicatur auctor, in lampyride ſplendidula LINN. phoſphorum cum oleo a natura coniunctum eſſe, hincque lumen huius animalculi originem ſuam trahere. — De aëre phoſphoreo ſolo aëris atmoſphaerici contactu ignem concipiente. Cl. GENGEMBRE ad hunc aërem euoluendum phoſphorum cum ſalibus alcalinis digeſſit. Eodem tempore aliam eius parandi methodum noſter propoſuit. Scilicet aërem

rem phoſphoreum obtinuit, cum acida per phoſphorum decomponeret: vidit adeo, inter acidi nitroſi cum phoſphoro digeſtionem aërem euolui, qui in excipulo ignem conciperet; quod lumen fulguribus haud diſſimile tamdiu durauit, quamdiu aliquid aëris puri ſupererat. In nota adiuncta monet interpres, RAYMONDVM (in annalibus chemicis Pariſinis) plures methodos huius aëris parandi propoſuiſſe. Obtinuit is hunc aërem, cum duas vncias calcis aëre in libero dilapſae drachmamque vnam phoſphori in minuta fragmenta conſecti cum vncia aquae dimidia in maſſam redegiſſet, hancque maſſam protinus retortae lapideae indidiſſet tubo incuruato diametri vnius lineae cum dimidia inſtructae, cuius altera extremitas aquae eſſet immerſa. Igne paullatim aucto, miſtura haec dedit tres aëris pintas: reſiduum fuit calx phoſphorata; igitur aqua fuit decompoſita. Vel in vulgari atmoſphaerae temperatura hic aër ex eadem miſtura campanae aqua plenae perque aquam clauſae immiſſa extricatus eſt. Praeterea a RAYMONDO elicitus fuit ex aequalibus partibus calcis zinci candidae, phoſphori et aquae inter ſe commiſtis, denique e miſtura, quae e calce ferri nigra, phoſphoro atque aqua conſtaret. — Simili aëri ortum debent ſuum ignes fatui in coemeteriis omninoque iis in locis vagantes, in quibus animalia putrefcunt. Etiam aër ille inflammabilis, qui in ſuperficie nonnullorum fontium frigidorum ardet, ſimilem videtur habere originem.

*Cap. X.* De nonnullis ſubſtantiis animalibus, quae in medicina artibusque alicuius ſunt momenti. p. 382–399.

A. De productis illis, quae quadrupedibus debentur. Caſtoreum, moſchus, cornu ceruinum. p. 382–388.

B. De nonnullis productis, quae piſces exhibent. Sperma ceti. p. 388–390.

C. De nonnullis productis, quae aues exhibent. Oua. p. 390–392.

D. De

p. 392–399. D. De nonnullis productis, quae debentur insectis. De cantharidibus, oniſco aſello, cocco cacti, cocco ilicis (cocco polonico in nota interpretis), gummi lacca.

p. 400–407. *Cap. XI.* De nonnullis aliis acidis ad regnum animale pertinentibus. Sunt illa, quae in variis inſectis inſunt. Imprimis diligenter agitur de formicarum acido.

p. 407–420. *Cap. XII.* De putredine.

II.

PETER ANTON PERENOTTI DI CIGLIANO, *Regimentswundarzt in Dienſten des Königs von Sardinien, und Mitglied der Akademie der Wiſſenſchaften in Turin, von der Luſtſeuche. Aus dem Italieniſchen, mit Zuſätzen von* KURT SPRENGEL, *Doctor und Profeſſor der Arzneykunde in Halle, und Mitglied der Kaiſerl. Röm. Akademie der Naturforſcher. Leipzig, bey Friedrich Schneider* 1791, 8. ma. pagg. 384. praeff. traduct. et auct. pagg. XVI.

i. e.

P. A. PERENOTTI Cilanenſis de lue venerea, ex italico verſus additionibusque auctus a c. SRPRENGEL.

Quantum ex praefatione colligimus, Cl. auctoris mens fuit partem hiſtoricam huius operis ſolam edere, therapeutica per aliquod tempus adhuc in ſcriniis ſeruanda: ab hoc autem propoſito ipſum receſſiſſe res ipſa probat, duobus libris, qui hic coniunctim

iunctim translati prodierunt, vno eodemque anno editis *) Prioris verſionem Cl. SPRENGEL non ipſe perfecit, ſed ſuam tamen agnoſcit, a Cl. HAVEMANN ſub ipſius oculis factam.

*Pars I. cap.* I. *de antiquitate luis venereae.* Inp. I. vulgus recepta narratio de prima eius ex America allatae in Europa apparitione, et argumenta pro novitate ipſius inde deduci ſolita. Horum refutatio: a contagio ex America adducto et diſſoluta apud exercitum in Italia vitae ratione propagationem tantum adiutam eſſe; nouitatem denominationum nonniſi ignorantiam vulgi edocere; ſtudium in inueniendis remediis teſtari quidem, morbum pro nouo habitum, nec tamen vere talem fuiſſe; ſymptomata non eo progreſſu temporis demum innotuiſſe, quo vulgo perhibent, ſed citius apud auctores occurrere, eademque paſſim adhuc eadem, quae a primis auctoribus deſcribitur, vehementia obſeruari; leges ad cauendam luis propagationem promulgatas nihil probare, quum multo antiquiores exiſtant. Error eorum, qui morbum nouum a vitiis diaetae aut conſtellationibus deriuarunt; ASTRUCII, qui eum ſoli Americae endemium fuiſſe perhibet ob incolarum victum peruerſum, coitum cum menſtruatis et intemperantiam in eodem; eorum denique, qui antiqui-

*) Storia generale e ragionata dell' origine, dell' eſſenza o ſpecifica qualità dell' infezzione venerea, di ſua ſede ne' corpi e de' principali ſuoi fenomeni di P. A. PERENOTTI di Cigliano, chirurgo maggiore del regimento delle guardie di ſua Maeſtà il Re di Sardegna. In Torino 1790. 8.

Del vario modo di curare l' infezzione venerea, e ſpecialmente dell' uſo vario del mercurio, ſtoria generale e ragionata di P. A. PERENOTTI. In Torino 1790. 8.

antiquitatem eius ob ſilentes de eo medicos, hiſtoricos et ſatyricos negant, quare

p. 23. *Cap. 2. in veſtigia luis venereae apud medicos veteres* inquiritur. Primo de elephantiaſi eiusque convenientia cum *albaras* Arabum et lepra: Cl. Auctor ipſe bis lepram a cauſſa venerea ortam vidit. Teſtimonia veterum, lepram coitu communicari; hanc in ſcriptis medicis eo magis euaneſcere, quo magis euolutio proprii characteris luis huiusque curationis adaequatae declaretur. Morbi locales a veteribus commemorati cum ſymptomatibus venereis conuenientes; refutatio argumentorum contra eorum indolem veneream prolatorum.

p. 46. *Cap. 3. Indicia luis venereae in veteribus hiſtoricis et poetis.* Lepram Iudaeorum huc pertinere, incertum; de aliis autem morbis in S. S. memoratis nullum ſupereſſe dubium. Poenae annunciatae, per gonorrhoeam et bubones interpretandae. Lex moſaica de vitando concubitu cum menſtruatis et de matrimonio ſacerdotibus cum virginibus tantum conceſſo. Morbus IOBI, DAVIDIS querelae, dubium teſtimonium. SALOMONIS admonitiones potiori iure huc referendae. Asdodenſium Ecronenſiumque morbi. Scytharum morbus, vix aliam explicationem admittens (quam ſententiam iam PATINI fuiſſe, b. BOSIVS*) docet). Suſpicio huius morbi in Auguſto, Tiberio, viro, cuius PLINIVS **) meminit, Herode. Minos, Hercules, Agathocles. Alia ex hiſtoricis exempla, non tamen, quantum nobis videtur, eadem fide digna. Loca quaedam ex HORATIO, AVSONIO, IUVENALI, CLAVDIANO, MARTIALI.

*Cap.*

*) Progr. de Scytharum νόσῳ θηλείᾳ ad illuſtrandum locum Herodoti, Lipſ. 1778. p. 11.

**) Lib. 6. cap. 24.

*Cap.* 4. *Cauſſae originis primae et indiuidualis luis venereae.* Partim ob ignorantiam, partim ob affectatum pudorem eo tempore, quo primum increbuit morbus, variae eius cauſſae accuſatae ſunt, ex quibus tamen negandum non eſt, aeris peculiarem conſtitutionem climatisque diuerſitatem ei plus minusue fauere; MINADOI ſententiam, illam commixtioni ſeminis plurium virorum in ſcortis adſcribentis, magnam veri ſpeciem habere. Infectionis modi varii: per inſpiratum inter colloquendum aerem, oſcula pura vel attactum, vtenſilia, veſtimenta, pocula, lectum communem cet. negatur: hereditaria in dubium vocatur, ſemine infecto procul dubio ad fecundationem inepto, matrisque deprauatis humoribus in fetu alia quidem mala, ſed neutiquam venerea producturis, niſi in ipſo partu ex vlceribus genitalium reſorptio contingat. Nutrix infantem vitio locali inficit, non lacte; coloſtrum tamen non omnis ſuſpicionis expers putandum eſſe, peculiaris obſeruatio Cl. Auctorem docuit. Infectio per oſcula laſciua aliosque obſcenos modos. Variae cauſſae infectionem per concubitum aut iuuantes aut impedientes. Laeſione cum effluxu in genitalibus non exiſtente infectio difficilis; vitia tamen localia poſt longum a curatione interiectum tempus recrudeſcere poſſunt aut coitu immoderato aut erroribus diaetae; vnde, obſeruante FALLOPIO, adeo facilis recens nuptorum infectio.

*Cap.* 5. *Remedia ad exſtirpandam et praecauendam luem veneream.* Quaecumque ad eam eradicandam propoſita fuerunt, ſucceſſu ſemper carebunt, niſi coitus certis limitibus contineri queat. Ad infantes ab ea tutos ſeruandos opus eſt, vt durante graviditate ad minimum palliatiua remedia in vſum ducantur, infans protinus poſt partum decocto tepido

p. 100.

vegetabilium ſaponaceorum abluatur, ceſſantibus lochiis mater lactans conueniente medendi methodo vtatur, quam primum infectionis ſigna in infante ſe prodant. Nutrices ab infantibus infectae a lactatione non deſiſtant, niſi inflammatio papillarum obſtet. Curatio infantum infectorum. Remedia ad praecauendam infectionem a concubitu, vel inutilia, vel adeo noxia. Aliquoties ſucceſſit Cl. Auctori, ex coniugibus ſanum praeſeruare vnguento ex butyro, mercurio viuo et ſulphure, vel diluta PLENKII ſolutione, ante coitum applicatis. Poſt eum gonorrhoea fotu vel iniectione aquae vel infuſi ſambuci aut roſarum albarum ſaepe praeverti poteſt, ſi coitus impuri ſigna protinus ſe manifeſtent.

p. 124. *Cap. 6. De indole luis venereae.* Neque a corrupto per ſtagnationem ſemine oritur, neque vlli alii infectioni animali ſimilis eſt, neque animalculis originem debet (in duobus iuuenibus gonorrhoea laborantibus vermiculos ſiue corpuſcula automatica vidit Cl. Auctor, quae vero ſemini vna effluenti inhaeſiſſe veroſimile putat), neque adeo ſubtile miaſma eſt, vt liquido nerueo aequiparari et hoc potiſſimum afficere cenſeri debeat, neque acidum: ſed licet ſpecifica eius indoles incognita ſit, per phaenomena tamen liquet, illud eſſe irritans, inflammans, ſepticum, in mucum in partibus genitalibus copioſius ſecretum potiſſimum agens, qui ipſe de exhalationibus vrinae in vicinia ſecretae et effluentis participet naturamque ammoniacalem nanciſcatur. Coniectura ergo Cl. Auctoris eſt, multiplex ſemen in vtero commixtum accedentibus huius humoribus in putredinem abire, hanc putrilaginem contactu inficere ſimilemque mutationem morboſam producere, et in maſſam humorum reſorptam hinc inde putredinem excitare; variam euoluti alkali volatilis quantitatem maiorem vel minorem contagii et propenſionis ad illud gradum

dum definire, eiusdemque difflati abſentiam in cauſſa eſſe, cur infectio non ſubſequatur, morbis licet localibus nondum ſublatis; cur mater fetui nonniſi nutrimentum deprauatum a vitiato ſanguine, neque ipſam luem, communicet; cur eadem lacte non propagetur cet. Experimentum Cl. SCHWEDIAVER *) theoriae huic fauens; ſimili modo Cl. Auctor profluvium ex vrethra feminarum excitauit, eoque curationem vlcerum pertinacium praeſtitit.

*Cap. 7. De ſede et phaenomenis primariis luis venereae.* Sedes in humoribus lymphaticis et mucoſis, ſiue per vaſa lymphatica aut corroſas ab ichore venas reſorbeatur, ſiue per telam celluloſam proſerpat. Effectus infectionis localis vel in aliis corporis partibus vel in genitalibus. Luem vniuerſalem ſine ſymptomatibus localibus praegreſſis exiſtere, ſaltem admodum dubium. Neque relationi aegrorum fidendum, contagium diu ante eruptionem luis vniuerſalis praeceſſiſſe. p. 149.

*Pars II. De diuerſis modis luem veneream tractandi. Cap. 1. de remediis praecipuis hucdum ad curationem adhiberi ſolitis.* Mercurius a priſcis medicis adeo reformidatus. Remedia ei ſubſtituta, quod argumentum p. 172.

*Cap. 2.* continuatur, et in fine potiſſimum nuperrime depraedicatae vires lacertarum cum vſu viperarum veteribus frequente comparantur, coniectura addita, illas in morbis quibuſdam cutaneis profuturas, lui autem venereae ſuperandae impares eſſe. p. 194.

*Cap. 3. de vſu vario remediorum externorum in lue venerea, et inprimis de frictionibus mercurialibus.* Vſus mercurii aduerſus alios morbos hiſtoria. Error p. 208.



*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXVI. p. 518 ſeq.

ror ASTRVCII, CATANEVM ante VIGONEM vixisse.

p. 232. *Cap.* 4. *Alii modi mercurio externe ad curandam infectionem veneream vtendi:* emplastra, fumigationes (vlcera et excrescentias faucium et intestini recti fumo cinnabaris sanauit Cl. Auctor, item vertiginem post largas frictiones superstitem, effluxu materiae acris ex naribus solutam), fotus, lotiones et balnea ex mercurio sublimato.

p. 257. *Cap.* 5. *de vsu interno mercurii ad curandam luem veneream.* Aeque ac in praecedentibus historia praeparatorum mercurialium; insufficientia mercurii sublimati ad curationem radicalem; noxae ex vsu eiusdem. Symptomata venerea ab eodem feliciter profligata: hydrops, fluor albus, febris tertiana a suppressa gonorrhoea; scabies humida, vlcera scrophulosa et ossium, corneae obscuritas, ozaena, excrescentiae in vagina et ano; vsus eius aduersus taeniam; non tamen nisi in corporibus phlegmaticis, subiunctis simul frictionibus. Methodus Clariana, in morbo recenti commendanda. Variae methodi, mercurio crudo interne vtendi, omnes insufficientes.

p. 286. *Cap.* 6. *de iusta applicatione mercurii ope frictionum ad curandam luem veneream.* Earum a superioribus temporibus repetita historia. Ad tollendum morbum salivatione non opus esse. Noxae vnius eiusdemque methodi in omnibus sine discrimine aegris adhibendae. Actio mercurii non a grauitate eius specifica, neque a stimulo partibus solidis applicato explicanda, sed ab humoribus morbosis per susceptarum illius molecularum pondus mutatis, fibras inertes irritantibus et ad sui expulsionem stimulantibus; humores mucosi, vti praecipuam miasmatis venerei sedem efficiunt, ita suscipiendis moleculis mercurialibus sunt aptissimi, inque iis locis, vbi potissimum locantur, praecipue mutationes morbi effectusque reme-

remediorum pateſiunt. Praeterea dandum eſſe aliquid calori interno partium, ab illato ſtimulo auctiore reddito; communicari praeterea mercurio vim irritantem, ſi cum acido ſalis communis in deprauatis humoribus vniatur, alkali volatili ſub ipſo huius coniunctionis momento ſeparato, a cuius maiori vel minori copia forſan maior vel minor gradus commodorum aut incommodorum curationis mercurialis proficiſcatur. Inde patere neceſſitatem tantae mercurii copiae in corpus ingerendae ipſiusque in corpore morae, quanta ad decomponendos ſeparandosque morboſos humores opus ſit; noxam ſaliuationis largioris, non ſuppreſſa tamen eadem moderatiore; aeris puritatem, motum corporis accommodatum actionem mercurii egregie iuuare, contraria vero nocere, iisque potius quam mercurio ſiniſtrum euentum adſcribi oportere Neceſſitas continuandarum frictionum, ſymptomatibus morbi iam fugatis. Febris intermittens durante curatione mercuriali accedens diebus liberis frictionum continuationem requirit, ſubiuncto ſimul corticis vſu, quo etiam imminente gangraena opus eſt. Pauca de iis, quae in frictionibus adhibendis ratione potus, curae libertatis alui, faucium, vlcerum cet. obſeruanda ſunt, et de depuratione mercurii. Vnguentum ex mercurio ſublimato aliquoties tentauit Cl Auctor, ſed effectu plane nullo; ſimilia vnguenta iam NIC. MASSAM propoſuiſſe (eaque per plura iam ſaecula in Polonia adhiberi, nuperrime Cl. DE LA FONTAINE memorat.)

*Cap. VII. Adminicula et cautelae in cura per frictiones.* Vnguentum, quo Cl. Auctor vtitur, ex mercurii quatuor et butyri inſulſi tribus partibus conſtat, quibus inter terendum partes tres butyri cacao adduntur. Praeparatio: venaeſectionis, balneorum, euacuantium in ea ratio. Curationis ſiniſtrum euentum p. 317.

perperam mercurio tribui, quem ſaepius aut huius peruerſae applicationi, aut cuidam diaetae errori adſcribi oporteat; ſaepe tunc motum modicum, diaetam conuenientem, decocta vegetabilium, inprimis dulcamarae, per aliquot hebdomadas ſumta, iuſcula viperarum mane hauſta, in dolore fixo veſicatoria cet. opem tulerunt, quibus irritis curatio methodica de nouo ſuſcipienda. Saliuationem protractiorem aut ſubinde redeuntem nonniſi interno mercurii vſui deberi; purgantium aduerſus eam neceſſitas. Tandem probatio (admodum ſuperflua, ſi nobis iudicare liceat), curationem mercurialem medicis aeque ac chirurgis competere.

P. 334. Accedimus ad additamenta erudita Cl. SPRENGEL. *Ad libri I. cap.* I. Laudes HENSLERI; eidem oppoſitus, non ſine acriori interdum cenſura, GIRTANNERVS. Morbos locales ab antiquiſſimis temporibus adfuiſſe, nulli ſubiectum dubio; horum originem ipſa auctorum teſtimonia euincere, eam a coitu deriuantium; neque progreſſionem in infinitum aliter euitari poſſe, quam prima origine a ſolo coitu nimio aſſumto. Nouum nomen non probare nouitatem morbi. Luſtratio auctorum a GIRTANNERO adductorum, qui morbum pro nouo habuerint; his oppoſiti alii eiusdem aeui, in contrariam partem abeuntes. Quantum fidei mereantur COLVMBVS, HERRERA et OVIEDO in declaranda americana morbi origine. HERRERA, aeſtimandus de reliquo auctor, hic allegari nequit, quum ipſe in operis ſui praefatione ſe in America non fuiſſe profiteatur, nimis ſero poſt periodum, de qua quaeritur, vixerit, et OVIEDVM ſequutus ſit; de COLVMBO et OVIEDO eadem, quae in commentariis noſtris *) exſtant, addito

*) Vol. XXIII. p. 715 ſeq.

addito eo argumento, quod OVIEDO ſuam *ſummariam relationem* aetate prouectus memoriter conſignaverit. Incontinentiam mulierum in America fictam eſſe, fabulamque ſtimulo genitalibus admoto *) a VESPVTIO excogitatam et a GIRTANNERO adoptatam (at ille nonniſi coniecturam eidem ſe ſuperſtruxiſſe fatetur), refutatione indignam. Luis in aliis orbis partibus antiquitas. Alia teſtimonia, milites cum COLVMBO ex America reduces luem in Europam deferre non potuiſſe. — De PETRO MARTYRE rurſus eadem, quae HENSLERVS habet **). Prima luis apparitio in Italia eodem tempore, quo Marrani illam inuaſerunt; neque tamen hanc vnicam cauſſam aſſumendam eſſe, ſed plura ad eam concurriſſe momenta, ex quibus multum in conſtitutione aeris epidemica ponendum videatur.

*Ad Cap.* 2. De variis ſpeciebus leprae, in auxilium ductis ſcriptis Celeberr. HENSLERI et MICHAELIS. Morbus IOBI fuit *lepra pſorica* ***), cui ſimilis *Baras obſcurum* EBN SINAE, multis aliis paſſim nominibus occurrens itemque in Krimmia et Norwegia recentius detectum ****); an eſſentialiter cum morbo venereo cognatus fuerit, determinari nequit. Signa praenuncia leprae a MOSE adducta: *Bahak* †) ſiue *morphea alba* (*lentigo* ſiue *morphea rubra* ††) apud MOSEN non occurrit, apud medii aeui ſcriptores frequentiſſime, forte adhuc ſub nomine p. 356.



*) Eorumd. Vol. XXXII. p. 155.
**) Comm. Vol. XXXIII. p. 716 ſeq.
***) Ibid. p. 710.
****) Ibid. p. 705.
†) Ibid. p. 699.
††) Ibid. p. 700. ſeq.

mine *Mal de roſa* vel *Pelagrae* *) exiſtens), antequam in lepram ipſam abiret, variis aliis malis, haemorrhoidibus, fluxu virgae, condylomatibus, panno et lentigine, alopecia et ophiaſi **) ac mentagra ***), ſtipatum; *febris leproſa* in occidendente tantum obſeruata, MOSI et EBN SINAE incognita, iis, quae Cl. HENSLERO ex hoc allegat ****), potius ad *Baras obſcurum* vel *lepram leoninam* referendis. *Lepra alba* †) ſola aqud MOSEN occurrit. *Lepra nodoſa* ††) idem quod *Dſchoſſam* EBN SINAE, quod Cl. HENSLERVS perperam prodromum leprae fuiſſe perhibet. Has ſpecies leprae potiſſimum bellis ſacris ex oriente in occidentem delatas eſſe †††), eoque ipſo tempore, quo euanuerint, primordia luis apparuiſſe *). De reliquo plane non liquet, lepram luemque veneream vnum eumdemque morbum, aut vtrumque multum inter ſe cognatum, aut ſymptomata venerea leprae adiuncta fuiſſe.

p. 366. *Ad Cap.* 3. Pollutio ſiue fluxus virgae, prodromus leprae; malum Aegyptiorum, Iſraelitis ceu poenam praenunciatum, item ſymptoma leprae pſoricae. De IOBI morbo iam ante actum. De DAVIDE iudicium anceps. Philiſtaeorum morbus haemorrhoidarius. Scytharum morbus nonniſi ſpecies impo-

*) Eorumd. Vol. XXXI. p. 553. ſeqq. Vol. XXXIII. p. 71. ſeqq.

**) Eorumd. Vol. XXXIII. p. 701 ſeq.

***) Ibid. p. 702.

****) Ibid. p. 708.

†) Ibid. p. 706.

††) Ibid. p. 707 ſeq.

†††) Conf. HENSLERVS Comment. noſtr. l. c. p. 711.

*) Ibid. ſeq.

impotentiae, docente Ill. HEYNE *). Auguſti, Tiberii, Herodis morbi obſcuri; prioris videtur pſora fuiſſe. Fabuloſa tempora vix certi quicquam ſuggerunt. Memorabiliora exempla Galerii Maximiniani ex S. AVREL. VICTORE, Heronis ex PALLADIO, principis Carrarienſis ex IOH. RHODIO, et IOH. GAUNT ducis Lancaſtriae ex BECKETO. Morbus Campanus HORATII rectius ad lepram quam luem veneream referendus.

*Ad cap.* 4. Propagatio luis a matre ad infantem non niſi per vlcera in vagina aut in mammis; per oſcula nonniſi oris partibus affectis, per exſuctionem mammarum ab adultis. Contagium per fiſtulas tabacarias et pocula nonniſi adhaerente iis recente muco puriformi. Primus ſuſcepti contagii effectus in partes viuas ſolidas. p. 371.

*Ad cap.* 6. Dubia contra acidam miaſmatis venerei naturam a GIRTANNERO aſſumtam: an acida lympham *in corpore* coagulent et an in illam *immediate* agant, prius diſquirendum. PERENOTTI de ortu et natura miaſmatis hypotheſin refutatione non indigere. p. 377.

*Ad partem ſecundam.* Dulcamarae cum roborantibus ſociatae vires ad morbos a ſuperſtite in corpore mercurio debellandos. (In cenſura remediorum ex regno vegetabili nullam neque hic, neque ab Auctore ipſo pruni padi et aſtragali exſcapi mentionem inuenimus; Cl. SPRENGEL etiam internum mercurialium vſum pauciſſimis tantum tetigit.) In lue vniuerſali, praeſertim inueterata, numquam bonos, ſaepius autem ſiniſtros effectus ab interno mercurii p. 379.

*) De moribus inter Scythas morbo effeminatis et de hermaphroditis Floridae in Commentatt. ſoc. reg. ſc. Gotting. per annum 1778., Vol. I.

curii ſublimati et dulcis vſu conſpexit; inde, praemiſſo euacuante, vnguentum ſimplex neapolitanum omnibus aliis methodis praefert, cuius drachma vna ſingulo mane, vel drachmae duae ad vnciam dimidiam alternis diebus lente ad ignem femoribus et ſuris infricari iubet, loco, ſi fieri poſſit, ſemper mutato; plerumque morem Anglorum tranſpirationem aequalem ſuſtinendi (*method under confinement*) ſequutus, ne ſaliuatio oriatur; febrim mercurialem ad curationem neceſſariam eſſe. Hanc medendi methodum etiam in obſtructionibus morbisque glandularum non venereis in hyſtericis debilioribus ſuccedere. Neceſſitas roborantium ſimul adhibendorum, inprimis corticis; opii vſus eximius in lue inueterata; martialia poſt ſuperatum morbum; balnea frictionibus praemittenda et iungenda.

## III.

THEODORICI PRISCIANI, Archiatri, quae extant Tomus I. Nouum textum conſtituit, lectiones diſcrepantes adiecit, IOANNES MICHAEL BERNHOLD, Phil. et Med. D. — Sereniſſ. Marchioni Brandenburgico-Onoldino-Culmbacenſi a conſiliis aulae — phyſicus ſupremarum praefecturarum Vfenhemenſis et Creglingenſis. Sine loci et anni mentione (1790.) 8. VIII. et 176. pagg.

Primus eſt is operum THEODORI PRISCIANI tomus, quorum editionem Cl. BERNHOLDVS tanto ſtudio molitus eſt, vt vix putemus doctos viros habituros eſſe, quae in iis deſiderent. Si enim externam libri formam ſpectamus, Theodorum nunquam hactenus tam ornato habitu prodiiſſe certum eſt,

eſt, idque eo magis laudari debet, quoniam clariſſimus editor ſumtus ad hand editionem ipſe praebuit, neque in latinorum medicorum antiquorum editione lucri ſpes multa eſſe poteſt. Si vero ea ſpectamus, quae Cl. vir in hac editione praeſtitit, ea omnia ita facta ſunt, vt laborum et ſtudiorum patientia in tam corrupto auctore in integritatem ſuam reſtituendo laudari fere ſatis nequeat.

Duae nempe editiones Theodori extabant, et quidem vtraque ex codicibus manuſcriptis facta adeoque princeps, altera Argentoratenſis, quae cum Albucaſis chirurgia, editionem curante Hermanno comite de Neuenaar, anno 1532 in folio prodiit, altera, quae eodem anno 1532. Baſileae typis exſcripta eſt. Argentoratenſis editio in collectione medicorum antiquorum latinorum Aldina (Venetiis apud Aldum 1547. fol.) repetita eſt. Summa erat miraque in vtraque hac editione principe lectionum diverſitas. Deerant alia, alia transpoſita locisque incongruis in textum conjecta erant. Prima hinc laboris ſatis moleſti pars erat, textum vtriusque eius editionis conferre, lacunas vtriusque editionis ex vtraque ſupplere, inepte transpoſita in ſuum locum reponere, variamque lectionem hoc modo natam adnotare. Codicum quidem manuſcriptorum inſpiciendorum occaſionem nullam habuit editor doctiſſimus; adiutus tamen eſt in perficiendo labore ſuo variantibus lectionibus ad librum Priſciani II. e codice MS. Voſſiano, aliaque lectionis varietate libro Priſciani tertio a Cl. BERNARDO ex alio codice MS. adſcripta. Haec ſcripta auxilia a Cl. BERNARDO, quem veterem et probatum amicum habet, Cl. editori transmiſſa, hinc inde textum emendandum adiuuarunt, lectiones editionum principum vtplurimum confirmarunt.

Rationem laborum, quos Theodori textui reſtituendo impendit, ipſe Cl. vir his tradidit: „Textum

plane

plane nouum eumque integriorem ac locupletiorem, ſine omni coniecturarum in contextum recipiendarum pruritu, quarum ne vni quidem indulgebam, compoſui atque varias lectiones, quarum tantum in vndecim hisce, quibus continetur libellus, plagulis 2600 plures obuiae deprehenduntur, ex vtraque potiſſimum editione principe, nonnullas e lectionibus MSti a Cl. Bernardo communicato, paucas denique ex editione Aldina, ingrato labore, nam et ſteriles, quae videbantur, lectionum diſcrepantias, auctoritate Burmanni, ſummorumque aliorum criticorum haud negligendas putabam, collegi atque ad nouum Priſciani textum eliciendum hanc legem ſequutus ſum: diligentiſſime ad regulas grammaticas, criticas medicasque perpendi quodlibet vocabulum: addo et ſingulas literarum apices. Quo facto lectionem, quam ex alterutra editione meliorem elegeram, margini adpinxi editionis Argentoratenſis, ita, vt in contextu Argentinenſi voces delerem, quibus ſurrogaretur noua illa lectio a Baſileenſi exemplo depromta: contra ea ſi Argentoratenſis lectio praeſtans ſalua in textu fuiſſet relicta, corruptam Baſileenſem in marginem tantum reiiciebam, eo quidem modo, vt in contextum receptam aeque ac ab ipſa differentem lectionem numeris Arabicis indicarem. Quodlibet vero caput ſaepius relegendum atque cum editionibus veteribus, nec non diſcrepantibus MS., quorum mentio antea iam fuit facta, conferendam putaui, vt, quae mentis oculorumque aciem refugiſſent, relegenti occurrerent. "

Notae nullae adiectae ſunt aut parcae, quibus ratio earum lectionum, quae in textum receptae ſunt, datur, quaedam leguntur, in quibus, quae auctor medicinarum cauſa propoſuit, illuſtrantur.

Tomus vero primus, quem coram habemus, librum Theodori Priſciani primum et alterius priorem

rem partem complectitur. Alter tomus partem libri II. posteriorem vna cum volumine tertio comprehendet. Tomus tertius quartum Prisciani librum exhibebit, ex Argentoratensi et Aldina editione expressum, eo enim Basileensis editio plane caret. Addet huic Clss. editor Theodori diaetam, a quam plurimis Theodoro Prisciano adscriptam, ex editione et cum notis integris Schreineri, vna cum textu et collatione editionis principis Argentoratensis (cum physica S. Hildegardis, Oribasii de simplicibus, Esculapii libro vno Argent. 1533 fol.) hinc inde locupletato correctoque, iunctis lectionibus differentibus tum editionis huius, tum Riuinianae, (in collectione veterum quorumdam bonorum scriptorum de materia et re medica Lipsi. 1654. 8.) quae docent, nonnulla a Schreinero vel omissa, vel temere mutata esse. Addet etiam Quinti Rhemnii Fannii Palaemonis carmen de ponderibus et mensuris, Theodoro Prisciano a nonnullis adscriptum, ex antiquissimo codice membranaceo saeculo X. literis consignato, nemini huc vsque inspecto, multo minus in vsum adhibito, publici iuris faciendum. Addet denique, tam ob raritatem, quam ob similitudinem argumenti in nonnullis cum Prisciani libro IV. Sorani isagogen ex duabus editionibus, Basileensi (De re medica: huic volumini insunt Sorani Ephesii, Peripatetici et vetustissimi Archiatri, in artem medendi isagoge hactenus non visa. D. Oribasii fragmentum de victus ratione, Caii Plinii Secundi de re medica libri V. Lucii Apuleii de herbarum virtutibus. Accessit vice coronidis libellus vtilissimus de botanica, quem quidam Antonio Musae, nonnulli Luc. Apuleio adscribendum autumant (in fin.) Basileae, in aedibus Andr. Cratandri 1528 f.), quam Albanus Torinus curauit, principe, ac Veneta Aldina 1547. noua recensione ac cum lectionibus variantibus excudendam.

Quarto

Quarto tomo omnia comprehendentur, quae ad illuſtrandum atque explicandum Theodorum facere vllo modo poſſunt. Colliget nempe in eo Cl. vir commentatorum gregem, qui vel emendando, vel illuſtrando aliquid auxilii attulere auctori, ſiue in lucem prodierint, ſiue in ſcriniis eruditorum lateant, in vnum faſciculum, vt omnia lectores habeant, quae docti viri vel de Priſciano ſomniarunt hucuſque vel ſcripſerunt, prioribusque ſuperſedere poſſint editionibus. Sequentia vero Cl. viro innotuerunt, ad explicationem Theodori facientia: 1) Anonymus quidam ei exemplari Theodori editionis Argentoratenſis, quod poſſidet Cl. BERNHOLDVS, notas adſcripſit. 2) Illuſtrauit etiam Theodorum Iacobus Nicolaus Loenſis, a Cl. BERNARDO ex eius miſcellaneorum epiphyllidum libro deſcriptus. 3) Caſpar Barthius, in aduerſariis permulta ad voces Theodori obſoletas explicandas praeſtitit et ad meliores auctores, qui medicos latinos mediae aetatis explicauerunt, referendus eſt. Notae etiam ineditae adhuc extant in Theodorum a docto hoc viro ſcriptae, quarum faciendarum copiam Noſtro benigne promiſit Cl. Laguna, vir in rei literariae omnis ſtudio verſatiſſimus. Quarum notarum, a viro quippe profectarum, qui indefeſſo ſtudio in latinis medicis elaborauit, vtilitas ad explicandum Theodorum ſine dubio ſumma erit. 4) Multa quoque ad illuſtrandum atque reſtituendum Theodorum fecit Thomas Reineſius, tam in variarum lectionum volumine, quam in notis manuſcriptis adhuc ineditis, quas communicatas ſibi accipiet a Cl. Laguna. 5) Theodori capitulum de pleuritide, quod in libro II. extat, illuſtrauit notis doctiſſimis et fuſiſſimis vir quondam illuſtris, Daniel Wilhelmus Trillerus. Harum notarum copiam iterum lectoribus faciet Cl. Bernholdus, et non tantum harum quidem, ſed etiam manuſcriptarum atque inedi-

ineditarum, quas b. Trillerus margini exempli Priſciani Baſileenſi adſcripſerat, nec non earum, quas Trillerus adleuerat editioni capitali de pleuritide ex Priſciani opere, quasque a Cl. ACKERMANNO, Altorfino profeſſore, communicatas accepit. 6) Tandem etiam BERNARDVS, venerabilis ſenex, margini editionis Priſciani Baſileenſis notas eruditiſſimas aeque ac vtiliſſimas adſcripſit, eiusque laboris copiam Clmo BERNHOLDO fecit.

Multa hinc atque praeclara etſi quidem Cl. BERNHOLDVS in primo tomo Priſciani edendo praeſtitit, praeſtantiora tamen adhuc atque vtiliora in iis operum Priſciani tomis expectanda erunt, quibus vniuerſi operis editio abſoluetur. Neque dubitandum vllo modo eſt, quin haec Priſciani editio, vti nitore formaeque externae elegantia reliquis omnibus longe praeſtat, etiam omnibus vtilitate longe praeſtantior futura ſit.

## IV.

*Grundſätze der ſämmtlichen Theile der Krankheitslehre. Ein Lehrbuch von Dr.* IOHANN DANIEL METZGER, *Hofrath und der A. W. ordentlichem Profeſſor. Königsberg* 1792. 8. mai. pagg. 176. praef. et contentorum index pagg. XVI.

i. e.

Principia omnium partium pathologiae, praelectionibus accommotata auctore IOH. DAN. METZGER.

Bibliopola nouam principiorum ſemiotices et therapiae generalis *) editionem meditante, Ill. Auctor

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXVIII. p. 696. ſeqq.

ctor non tantum has doctrinae partes hinc inde mutare acceſſionibusque locupletare, ſed iis etiam pathologiam praefigere conſultum duxit. Nos igitur, quum prior editio iam ad manus non ſit, enarrandis mutationibus eiusdem non immorabimur, ſed breviter tantum, vt in illa factum eſt, pathologiam indicabimus.

p. 1. Introductione generali praemiſſa, quae ideam generalem medicinae eiusque diuiſionem in doctrinam de corpore ſano et aegroto exhibet, patholo-
p. 7. gia definitur *doctrina de natura ſeu conditione eſſentiali morborum, horum cauſſis, effectibus et diuerſitatibus:* hic nonniſi *generalis*, non *ſpecialis*, pertractatur, quod ſeptem capitibus fit.

p. 8. 1. *Noſologia:* morbus dicitur *turbatio ſubſiſtens vnius vel plurium functionum corporis humani viui, plerumque ſenſu ingrato ſeu dolore iuncta, ab impedimento viribus viuis contrario producta.*

p. 11. 2. *Aetiologia:* quatenus *cauſſam proximam* ſpectat, idem cum noſologia. Huius indagandae ſubſidia: phyſiologia; mechanica, phyſica, chemia; anatomia practica: iudicium practicum. Cauſſae *praediſponentes* et *occaſionales.* Alia cauſſarum diſtinctio in *materialem* et *formalem; internas* et *externas.*

p. 15. 3. *Symptomatologia:* ſymptomata *morborum, cauſſarum, ſymptomatum; epigenomena;* ſymptomata *eſſentialia*, eaque rurſus vel *perpetua* vel *temporaria* et *accidentalia.*

p. 18. 4. *Differentiae morborum inter ſe:* a) *morbi virium vitae*, nimirum *irritabilis* et *nerueae* vel *maiorum* (irritabilitas et ſenſibilitas) vel *debiliorum* (inertia et inſenſibilitas); b) *morbi organici, ſtructurae* (debilitas, rigiditas, ſolutio continui) et *relationis* (coalitus et receſſus); c) *dyſcraſiae humorum* ratione con-

conſiſtentiae et qualitatis; d) *turbata proportio inter ſolida et fluida*..

5. *Differentiae morborum accidentales* ratione *originis*, *ſedis*, *decurſus*, *gradus*, *conditionis*, *exitus*.

6. *Origines morborum: diſpoſitionum morboſorum* diuiſio in *naturales* et *praeternaturales*.

7. *Effectus morborum*, ſymptomata; inde transitus ad *ſemioticen*. p. 48.

De reliquo conſentimus cum Ill. Auctore, ſcriptionis genus, quo vſus eſt, praelectionibus accomdatiſſimum iudicante. p. 50.

## V.

Chemical Obſervations on Sugar. By EDWARD RIGBY. London, printed for J. Johnſon, M.DCC.LXXXVIII. 8. pagg. 112.

i. e.

Obſeruationes chemicae de ſaccharo. Auctore EDVARDO RIGBY *).

*Sectio I. Introductio.* Vera ſacchari principia genuinaque eius analyſis diu latuerunt noſtrisque demum temporibus feliciter eruta ſunt. Alii ſaccharum definierunt ſalem plantae cuiusdam natiuum, admiſtione certae portionis olei inflammabilem redditum. Alii vocarunt ſalem eſſentialem, qui ex acido p. 1.



*) Curauit huius opuſculi verſionem germanicam notis auctam clariſſ. HAHNEMANNVS. EDWARD RIGBY'S *chemiſche Bemerkungen über den Zucker, aus dem Engliſchen von D.* SAM. HAHNEMANN, *Dresden* 1791. 8.

do conſiſteret, quod eſſet coniunctum cum magna copia terrae admodum tenuis et mucilaginoſae certaque quantitate olei dulcis neque volatilis. Denique alii dixerunt ſaponem natiuum ex oleo conſtantem, quod ſubſtantiae ſalinae interuentu aquae miſceri poſſet. Mirum non eſt, chemicos ſuper ſacchari natura tam vaga incertaqne propoſuiſſe; etenim donec BERGMANNVS AC SCHEELIVS ſaccharum analyſi ſubiicerent, haec ſubſtantia ſola deſtillatione ſicca variis caloris gradibus tentata fuit, quo modo non potuit genuina eius compoſitio detegi. E tentaminibus Bergmannianis et Scheelianis probabile fit, ſaccharum ex acido peculiari phlogiſtoque conſtare. — Conſilium huius opuſculi eſt, inquirere, num facta atque phaenomena naturalem ſacchari productionem reſpicientia, mutationesque, quas haec ſubſtantia per alias operationes chemicas patitur, cum analyſi Scheeliana congruant. Quae inquiſitio ſponte ſua tres in partes diuiditur tres diuerſos ſacchari ſtatus comprehendentes totidemque ſectionibus abſolvendas.

p. 7. *Sectio II. De productione ſiue compoſitione ſacchari per proceſſus naturales.* Dubitari nequit, ſaccharum eſſe originis vegetabilis, adeoque inquirendum eſt, num duo iſta principia, acidum phlogiſtonque, ex quibus conſtare videtur, in plantis ſeparata detegi queant, vel num experimenta hucusque ſuper vegetatione, nutrimento plantarum, ipſius aſſimilatione etc. inſtituta probabile reddant, haec principia, dum vegetabilia creſcunt, deponi. Et primum quidem ſatis conſtat, vegetabilia per viam duplicem, per radices foliaque, nutriri. Radices probabiliter aquam aliquasque ſubſtantias minerales abſorbent; folia creduntur aquam aëremque atmoſphaericum in ſe recipere, praetereaque lux, tam a ſole recta procedens, quam ab aliis reflexa corporibus, aliquid, quod

quod plantarum vitam et incrementum promoueat, largiri videtur. Difficillimum fuerit, accurate definire, quam materiam plantae per radices attrahant; multo minus licet certo demonſtrare, acidum, de quo hic ſermo eſt, e terra, vbi creſcunt, deriuari. Hoc tamen certum eſt, acidum in plantis exiſtere; hocque acidum idem eſſe cum illo, quod a ſaccharo elicitur, admodum probabile fit, cum nuper SCHEELIVS acidum ſaccharinum in ſucco limoniorum ac caule rhabarbari repererit. — Natura principii, quod plantis aër ambiens impertit, recentioribus temporibus magis demonſtrata fuit: principium hoc phlogiſton eſt, id quod experimenta PRIESTLEII et INGENHOVSSII ſatis oſtendunt. Praeterea non improbabile eſt, etiam radios ſolares hoc principium cum plantis communicare. — Vnde vero acidum plantarum repetendum erit? Sane videtur e terra per radices attrahi. Cuius opinionis hoc vtitur noſter argumento. Climatum differentia aëris atmoſphaerici temperaturam phlogiſticationemque, non ſoli naturam, efficit. Iam vero in omnibus climatibus, in quibus vegetabilia cum aliquo vigore exiſtere poſſunt, acidum plantarum produci videtur: vel fructus climatum calidorum in frigidis naſcuntur, ab illisque, qui in calidioribus prodeunt, tantummodo hactenus diſcrepant, quod ob exiguam ibi aëris phlogiſticationem ſolum acidum principium tenent. Itaque acidum plantarum a ſolo dependere videtur.

Cum acidi principii in vegetabilibus productio omnibus in climatibus, vbi vegetatio locum habere poteſt, perinde accidat, alterum autem principium, quod ad hoc acidum in ſubſtantiam ſaccharinam convertendum neceſſarium eſt, phlogiſton, in calidis climatibus maxima copia producatur, ſatis ſuperque apparet, cur ſaccharum iique fructus, qui ſuccis ſaccharinis maxime abundant, in regionibus calidis copioſiſſime

proueniant, eoque plus ſacchari contineant, quo calidiore climate creruerunt. Mala quidem aurantia, quae in Hiſpania ad latitudinem 35 — 40 graduum ſatis matureſcunt, ſi propius aequatorem, v. c. in Iamaica ceterisque Indiae occidentalis inſulis, coluntur, non modo dulciora fiunt, ſed etiam ſaccharo adeo abundant, vt illud ſaepe per corticem transſudet, extrinſecusque cryſtalliſetur.

Quoniam phlogiſton nutrimentum plantarum eſt, quo carere non poſſe videntur, non licet dubitare, quin omnibus in climatibus, vbi vegetabilia vivunt, reperiatur. Forſitan magnum illud diſcrimen regionum calidarum ac frigidarum reſpectu phlogiſticationis vegetabilium maxime huc redit, quod frigidae modo tantum phlogiſti continent, quantum ad vitam plantarum conſeruandam ipſisque generalem vegetabilium characterem imprimendum ſufficit; e contrario in calidis is eſt phlogiſti exceſſus, vt ſucci plantarum acidi quaſi neutraliſentur, adeoque ſubſtantia ſaccharina coaleſcat, eaque ipſa re plantae charactere peculiari inſigniantur.

Varii maturitatis gradus, per quos fructibus eundum eſt, antequam perfecte matureſcunt, auctor eadem ratione a maiori minoriue phlogiſticatione repetit, ſic vt perfecta maturitas is ſtatus eſſe videatur, in quo ſucci fructuum phlogiſto perfecte ſaturati ſunt.

Principium acidum in plantis citius, quam phlogiſton, deponi, experientia demonſtrat. — Fructus immaturi arte poſſunt ad maturitatem perduci. Scilicet artificiis, quibus hoc conſilio vtimur, aliqua in fructibus putredo producitur, quae cum aliquid phlogiſti ex ipſis eliciat, acidum ſaccharinam naturam poteſt contrahere. — Etiam coquendo fructus dulces fiunt; nam et coctio, vt videtur, phlogiſton e parti-

partibus vegetabilibus euoluit. Idemque de toſtione notandum.

Vnio phlogiſti acidique plantarum peculiaris indeque pendens ſacchari formatio non ad ſolos proceſſus vegetabiles reſtrictae ſunt, ſed in nonnullis caſibus, etſi acidum originis eſt vegetabilis, phlogiſton ab animalibus profectum videtur.

*Sectio III. De ſacchari decompoſitione artificiali, inprimis de ea, quae per fermentationem fit.* Sacchari decompoſitio tribus proceſſibus diuerſis, combuſtione, acidi nitroſi adplicatione, atque fermentatione, abſolui videtur. P. 48

Plantarum omninoque ſubſtantiarum vegetabilium ad fermentationem procliuitatem auctor non aliunde niſi e partibus ſaccharinis ipſarum repetendam cenſet. Primum fermentationis effectum in ſaccharo credit eſſe diſſolutionem primariae combinationis partium ſacchari conſtitutiuarum. Haec diſſolutio vt contingat, ſaccharinae particulae aqua ſatis dilutae ſint praetereaque calore congruo expandantur neceſſe eſt. His enim mediis ſuperficies ſacchari adeo extenditur, cohaeſioque partium ipſius conſtitutiuarum tantopere minuitur, vt hae facile ſeiungantur, nouaque connubia, idque cum menſtruo ambiente, id eſt aqua, ineant. Hac ratione vinum coaleſcit, quod aqua generat, ſi cum duobus ſacchari principiis (phlogiſto et acido ſaccharino) inter ſeſe diſiunctis copulatur. Hoc vbi coaluit, fermentatio reſpectu decompoſitionis ſacchari abſoluta cenſeri poteſt, non item, ſi ratione productionis vini habita conſideratur. Dantur enim nonnullae aliae ſubſtantiae praeter acidum phlogiſtonque, vel ſaccharo propriae, vel aduentitiae, quae, cum ad vini characterem nihil conferant, ſeparandae ſunt: hae generali faecum nomine inſigniuntur. Adde quod acidum ſaccharinum ipſum initio nimis abundat,

quam per vini naturam licet: vnde progreſſu temporis tartarus oritur. Tartari ab acido ſaccharino differentia inde dependet, quod hoc acidum cum aliis ſubſtantiis, quae vna cum ipſo e maſſa fermentante ſecederent, connubium iniit, quo inprimis phlogiſton pertinet. — Spiritus ardens naſcitur, ſi phlogiſton ab acidi connubio liberum cum aqua coit. Quod ſi, partibus ſacchari conſtitutiuis per fermentationem vinoſam ſeiunctis cumque aqua ambiente combinatis, nouo liquori plus caloris, quam ad vini generationem neceſſarium fuit, adplicatur, liquor magis rarefit, adeoque cohaeſio partium ipſius imminuitur. Iam ſi liquor ita comparatus ab aëre atmoſphaerico contingitur, mirum non eſt, phlogiſton, vtpote principium ſacchari volatilius, ab aëre ipſius cupidiſſimo attrahi adeoque vino auferri; vnde acetum naſcitur. Hanc veram eſſe aceti originem, etiam aliae eius parandi methodi clare demonſtrant, vtpote quae omnes in ſacchari aut vini dephlogiſticatione conſtant. Non dubitat auctor, quin aër maſſam fermentationem acetoſam experientem contingens, ſi diligenter exploretur, quod nondum putat a quoquam factum eſſe, phlogiſto onuſtus reperiatur.

p. 78. *Sectio IV. De regeneratione (revification) ſacchari, ſiue ſyntheſi eius artificiali ex acido ſaccharino phlogiſtoque.* Phlogiſton acido ſaccharino reddere, adeoque ſaccharum regenerare, difficillimum fuerit; certe hucusque nullam nouimus rationem, qua ſacchari ſyntheſis artificialis certo commodeque poſſit abſolui. Nihilo ſecius dantur nonnulli proceſſus, per quos hoc quodammodo effici videatur. Plumbum quidem acetatum (ſaccharum ſaturni) noſter credit verum ſaccharum ab acidi vegetabilis phlogiſticatione oriundum poſſe haberi. Ceruſſa enim cum calx plumbi imperfecta ſit, non poteſt non aliquid phlogiſti continere. Igitur ſal ille videtur

tur compoſitus ex calce plumbi, phlogiſto acidoque ſaccharino in aceto contento: quae phlogiſti acidique vnio vix licet dubitare, quin verum ſaccharum genuerit. Hinc intelligitur, cur ſpiritus ardens e ſaccharo ſaturni deſtillando poſſit extricari. (Obiter hic de reductione plumbi e ſaccharo ſaturni ſolo calore.) Quod ſi verum eſt, hanc eſſe cauſſam dulcis ſaporis plumbi acetati, conſequitur, plumbum in corrigendis vinis acidis non vt metallum, ſed tantummodo vt ſubſtantiam phlogiſticam agere: vt forſitan ratio poſſit excogitari aequalem phlogiſti portionem ſine additamento tam noxio cum liquore communicandi. Similis videtur effectus ſulphuris ſuper vino ſubacidam indolem adepto accenſi etc., quo conſtat vitium liquoris imminui; adeoque hoc aliud fuerit exemplum ſyntheſeos ſacchari artificialis, a phlogiſto illud ſulphuris repetendum. — Saccharum etiam in calcinatione cremoris tartari regenerari noſtro videtur: etenim inter hanc operationem ſemper vapores exiſtunt odore vaporibus ſacchari ignem ſentientis ſimillimi. —

*Sectio V. Concluſio.* Ex iis, quae in prioribus ſectionibus dicta ſunt, auctor concludit, veram eſſe theoriam de ſacchari principiis initio propoſitam, adeoque ſaccharum pro ſulphuris ſpecie habendum eſſe. Optat, vt chemici hanc ſubſtantiam inprimisque acidum ſaccharinum vlterioribus tentaminibus ſubiiciant, abſoluantque experimenta SCHEELII AC BERGMANNI hactenus manca, quod iſti duumuiri acidum ſaccharinum non cum phlogiſto copularunt; quae enim huc ſpectantia in BERGMANNI ſcriptis leguntur, nimis imperfecta ſunt, quam vt certi quid, quodque ſatisfaciat, inde deduci poſſit. De vtilitate talis disquiſitionis nemo dubitauerit, qui cogitet, ſic fieri poſſe, vt vinorum acidorum corrigendorum ratio ſanitati innoxia reperiatur, alia vt commoda, nec p. 100.

pauca, nec leuia, ipſiusque doctrinae chemicae augmentum taceamus. — Adduntur quaedam de difficultatibus, quibus huiusmodi tentamina premuntur, inprimis quae media ſpectant praeſentiam ac quantitatem ſacchari detegendi.

## VI.

*Einige ohnmasgebliche und wohlgemeynte Vorſchläge zu einer höchſtnöthigen Verbeſſerung des Medicinalweſens in Sachſen. Ein Pendant zu Hrn.* AEPLI's *Antireimruas in einem Sendſchreiben an den Herrn Hofrath und Leibmedicus D.* IOHANN EHRENFRIED POHL *in Dreſden. Jena, in der Akademiſchen Buchhandlung.* 1791. 8. pagg. 189.

i. e.

Modeſta quaedam et fidelia conſilia ad emendationem ſumme neceſſariam rei medicae in Saxonia. Antitypus Antireimari Cl. AEPLI in litteris ad Ill. POHLIVM directis.

Optimum principem Ill. hunc Virum ſponte accerſiſſe, cui ſanitatis Suae curam committeret, vtrique honorificum vnusquisque bene animatus iudicabit. Quum autem cum nouo hoc munere ſimul ſanitatis publicae cura eidem qua collegio ſanitatis aſſeſſori tradita ſit, occaſione illud eidem gratulandi vtitur libelli huius auctor nobis incognitus, phyſici quod dicunt officio in vrbe quadam fungens, imperfectiones, quibus laboret res medica in Saxonia, adumbrandi, et conſilia, quomodo iisdem medendum ſit, proponendi, ducem in ea re ſequutus Cl. AE-

PLI

PLI *), cuius patria in eo aeque deploranda ſit ac p. 5.
noſtra, quod in illa leges rem medicam publicam concernentes deſiderentur, in noſtra non ſeruentur ac negligantur. Cauſſas huius neglectus non tam in
phyſicis, quam magiſtratibus poſitas eſſe, qui illo- p. 15.
rum admonitiones aut prorſus nihili faciant aut tot obiiciant impedimenta, vt acerrimum tandem ſtudium deferueſcat, primarium fontem defectus auxilii
phyſicis in ea re a magiſtartibus praeſtandi in eo quae- p. 25.
ri oportere, quod ſubalterni magiſtratuum labores, quos *ex officio* vocant, quam maxime reformident.
„Semper quidem," pergit Auctor noſter, „inte- p. 27.
grum eſt phyſico de defectu facilitatis eiuſmodi magiſtratus *ſuperiore loco* queri. Verum cui ad id in praeſenti rerum ſuarum conditione ſatis animi fuerit, ſibi ipſi vario modo detrimentum inde paraturo?" Ad
tollendos hos abuſus ſuadet, vt 1) phyſici non a ma- p. 28.
giſtratibus, ſed a facultatibus medicis aut collegio ſanitatis, prout cuiuſque locus vni aut alteri horum collegiorum diſtrictui adſcriptus ſit, eligantur, ſine magiſtratuum inferiorum concurſu; vnde duplex redundaturum ſit commodum, vt nempe phyſici nullo modo a magiſtratibus dependeant, ideoque liberius agere poſſint, et vt vbiuis phyſici exiſtant habiles et actuoſi; 2) laborum peculiarium phyſici ad p. 32.
emendandam rem medicam publicam directorum praemia ſingularia aſſignentur ex mulctis aut a tranſgreſſoribus, aut a magiſtratibus, in quos eiuſmodi defectuum culpa cadat, ſoluendis; 3) magiſtratus tenea- p. 35.
tur phyſico ad eius relationem per litteras reſpondere, quo hic acta inſtruere et vbi opus fuerit ad praepoſitum ſibi collegium referre poſſit, quod deinde

*) Antireimarus, *oder von der Nothwendigkeit einer Verbeſſerung des Medicinalweſens in der Schweiz. Winterthur* 1788. 8.

deinde iudicet; mulctae in actis allegandae, earumque quotannis coram ſummo regiminis collegio ratio reddenda; ex iis aegroti pauperes, qui in domi-
p. 37. ciliis ſuis curantur, ſuſtentandi; 4) opera phyſici et magiſtratus ad obtinendum finem praefixum conſpiret, delectu ex phyſico, aliquot magiſtratus membris et ſecretario conſtituto, qui re poſcente vel ad ſummum regiminis collegium vel ad collegium medicum referat, qualem delectum iam 1588. in vrbe quadam Saxoniae exſtitiſſe Auctor noſter probat.

p. 44. Inde ad medicaſtros progreditur, quorum duas claſſes conſtituit: prior faecem plebis complectitur, quae ex ſola lucri cupidine, aut aliorum vitae generum pertaeſa, curationes morborum aggreditur; altera homines non quidem aeque abiectos, at aeque ignaros, carnifices, balneatores in pagis, et barbiton-
p. 48. ſores. Agyrtae aut a finibus regionis arcendi, aut medicamentorum venditio ſigillo obducto impedienda, his ipſis in teſtimonio iis exhibendo ſigillatim nominatis; iiſdem legibus etiam noſtrates, quos *Koenigsſeenſes* dicunt, ſubiiciendi. Copioſe de damnis a libertate vendendi medicamina iſtis hominibus conceſſa oriundis. Non autem in medicaſtros tantum dirigatur magiſtratuum attentio, ſed etiam in ignaram ſuperſtitioſamque plebem, iis vitam ſuam credentem, quae, donec clarius per inſtructionem eius
p. 44. intellectui lumen affulſerit, vi quadam ab vſu medicaſtrorum abigenda eſt. Huc tendant teſtimonia medici a magiſtratu parocho tradenda, quae ſi euincant, mortuum medico rationali nullo vſum eſſe, ſepultura minus ſollemnis, et ſi ſuſpicio quaedam perverſae curationis adſit, ſectio cadaueris, plebi plerumque adeo inuiſa; ſin autem aeger conualuerit, denegatus euchariſtiae vſus poenae vices gerant. Vt
p. 62. autem plebi potiſſimum ruri viuenti ſubſidia conualeſcendi ſuggerantur, chirurgi in cognoſcendis morborum

borum cauſſis occaſionalibus ſymptomatibusque verſati conſtituendi ſunt, quorum ſingulus aliquot pagorum curam gerat, medico proximae vrbis de quolibet aegro referat, ad eius praeſcriptionem medicamenta ex officina domeſtica diſpenſet, ab eo teſtimonium morbi rite tractati accipiat, liquidationes eius moderationi ſubiiciat; fixum iis praebeatur ſalarium, ſed modicum tantum, ne aegroti illum plus iuſto fatigent; is vero ſimul medicaſtris inuigilare et pauperibus auxilium gratis, ſolo pretio medicamentorum reſtituto, praebere teneatur. In oppidis minoribus itidem medici fixo aſſignato ſtipendio conſtituantur, p. 68.
nimia eorum copia in vrbibus maioribus et mediis imminuta; illorum loci vacui facti per ſubiecta a facultatibus medicis denominanda ſuppleantur. Sumtus ad ſti- p. 71.
pendia iſta neceſſarii a ſingulis communitatibus erogandi.

De re medica in vrbibus, et primo quidem de me- p. 74.
dicis practicis. Copia medicaſtrorum in illis: chirurgi, inprimis militares inferiores, carnifices, vetulae, medicamentorum venditores. De alio hominum genere, ad medicaſtros non referendo, quia *principis* permiſſu medicinam faciunt, chirurgis militaribus ſuperioribus, prolixiſſime, adductis multis inſcitiae et arrogantiae eorum exemplis, et conſilia de melius inſtituendis noſocomiis militaribus. Cauſſae p. 104.
deficientis feruoris in ſtudio medico academico: p. 107.
ignorantia illorum, qui ei ſe dicant; indulgentia in empiricos arcanorumque venditores, et oppreſſio aut ſaltem contemtus medicorum bene merentium; diſtinctio in academiis inter candidatos non obſeruata: non peculiaribus, vt ſuadet Cl. AEPLI, claſſibus medicorum opus eſſe, ſi ea in examinandis candidatis ſtabiliatur norma, vt indocti protinus a ſtudio medico remoueantur, gradus doctoris tantum digniſſimis, licentiati autem reliquis, ad medicinam quidem

dem faciendam aptis, ſed ſingulari induſtria et dex-
p. 113. teritate non inſignibus, conferatur. Monita de medicis practicis; in academiis vnum idemque iusiurandum ab illis praeſtandum, exterique ſedem in Saxonia fixuri eodem obſtringendi; arctius amicitiae vinculum inter medicos vno eodemque loco artem facientes; diſpenſatio medicamentorum ipſis interdi-
p. 135. cenda, iterum admodum prolixe, et per tranſitum
p. 141. de illegitima venditione medicamentorum priuilegiis munitorum, et de iis, quae in tabernis mercatorum
p. 147. venalia proſtant. His venditio ſimplicium in quantitatibus maioribus relinquenda, pharmacopoeis prae-
p. 140. parata, ab iis ipſis conficienda; eo praeterea reſpiciendum, vt numerus pharmacopoliorum copiae in-
p. 150. colarum vrbis reſpondeat. Neceſſitas *taxae*, quam
p. 152. dicunt, pharmacopoeorum, publica auctoritate in officinis affigendae et quouis ſemeſtri, quantum re-
p. 155. quiritur, mutandae. In oppidis minoribus pharmacopolia inſtituenda, quae res maxime neceſſarias ex pharmacopolio vrbis maioris ipſis aſſignato depro-
p. 157. mant; in his autem tirones non admittendi. Incommoda ex defectu diſpenſatorii, ſecundum quod medicamenta parari poſſint: collegium ſanitatis iam 1777. in eodem elaborando operam collocaſſe. De
p. 161. chirurgis: balneatores et barbitonſores, relicta iis licentia ſcarificandi ab iis ſeparandi. Triſtis conditio alumnorum chirurgiae, et quam raro iis contingat inſtitutione vtili frui. Praelectiones anatomicae et chirurgicae a phyſicis in vſum chirurgorum iuniorum habendae, et teſtimonia ſuper hac re iis exhibenda. Examinum conſuetorum vitia. Rurſus quaedam de officio chi-
p. 173. rurgi a barbitonſura ſeparando. Tandem de re ob-
p. 181. ſtetricia. Obſtetricum ignorantia, auaritia, peruicacia; viua, ſed triſtiſſima imago! Primo ergo magiſtratus iubeantur pro ratione loci plures obſtetrices inſtructas et aptas, et 2) in quauis vrbe ſpectabiliore

liore medicum obſtetricium ſtipendio fixo conſtituere, qui obſtetricum curam gerat, eas inſtruat, et quovis ſemeſtri praeſentibus phyſico delegatisque magiſtratus publice profectus earum exploret; 3) in pluribus locis ſcholae obſtetriciae et domus parientibus dicatae condantur, quales iam Dresdae, et Merſeburgi exiſtunt; 4) inſtructio obſtetricum vniuerſalis, circumſtantiis et tempori accommodata, publica auctoritate promulgetur.

Haec ſunt, quae ex libello hoc ſummatim lectoribus noſtris exhibenda duximus. Animus quidem erat ex iis, quae nobis in exercitio artis et in munere phyſici, quo ipſi in vrbe non incelebri, cuius magiſtratus in perficienda re medica quamplurima iam laudabiliter molitus eſt, perfungimur, obvenerunt, et quae ab aliis fide digna accepimus, quaedam inſpergere: ſed conſultius ab iis abſtinuimus, quippe quibus hic non locus. Ill. autem POHLIVM, cuius fauorem amicitiamque inde ab academia maximi fecimus, in commune patriae emolumentum ſpem de SE ab auctore, nobis, bonisque omnibus conceptam non expleturum, ſed ſuperaturum eſſe plane confidimus. Dî modo dent annos!

## VII.

D. CHRIST. FRIDER. REVSS, Medicinae Profeſſoris Publici in Alma Eberhardino-Carolina, Sereniſſimi Ducis Margrafii Badenſis Conſiliarii, Acad. Imp. nat. curioſ. Reg. Dan. Scient. eiusque oecon. Elect. Mogunt. nec non Soc. Elect. Lipſ. oecon. Tigur. phyſ. et Berol. amicorum naturae Scrutator. Sodal. Diſpenſatorium vniuerſale ſeu Lexicon chemico-pharmaceuticum ad tempora noſtra accommodatum.

tum. Editio ſecunda aucta et emendata. Sectio prior A — L. Argentorati apud Arnand Koenig 1791. 8. mai. pagg. 640. Praefationes vtriuſque editionis pagg. XXXII. Sectio poſterior M — Z. Ibid. eod. continuata ſerie pagg. 1504.

Ideam huius operis iam ex primae editionis recenſione *) cognitam habent Lectores noſtri. In hac noua non tantum ea, quae olim in ſupplemento tradiderat, ſuo quaeque loco inſeruit Cl. Auctor, ſed copioſiſſimas etiam acceſſiones ex auctoribus recentioribus addidit, quae augmenta in calce operis indicare conſtituerat, vt vno intuitu diſcrimen inter vtramque editionem patefieret: ſed anguſtia ſpatii impeditus conſilium mutauit, hunc indicem cum monitis et regulis pharmaceuticis terminorumque technicorum explicatione tertio forſan tomo reſeruaturus;
p. 1381 morborum autem et virium remediorum indicem alphabeticum retinuit. Gratias omnino habemus Eidem ob ſuſceptum hunc perfectumque laborem, licet quiſque facile perſpiciat, eiuſmodi opus vix vmquam omnibus numeris abſolutiſſimum exſpectari poſſe, et perpetuam fere correctionem et locupletationem admittere: neque id nobis datum eſſe arbitramur, vt inquiramus, cur hoc vel illud remedium omiſſum fuerit, ſed potius grata mente, quae praeſtita ſunt, accipimus et in vſum ducimus. Articuli quam plurimi prolixe et vtiliter expoſiti ſunt: *Acetum vini concentratum*, *Acidum nitri fumans*. *Acidum ſalis culinaris commune*, *Acidum tartari cryſtalliſatum*, *Acidum vitrioli forte*, *Alkali minerale fixum*, *Antimonium diaphoreticum*, *Aqua calcis viuae ordinaria*, *Aqua vege-*

tomi-

*) Comment. noſtr. Vol. XXX. p. 281.

*tomineralis* (et inferius *Extractum ſaturni*; ſaepe enim Cl. Auctor vnum idemque remedium ſub diverſis titulis pertractauit, v. c. *Antimonii butyrum* et *Butyrum antimonii*, *Scilla* et *Squilla* quod forſan non omnibus arriſurum putamus). *Arcanum tartari* (et *Terra foliata tartari*). *Balſamum ſulphuris*, *Balſamum vitae*, *Butyrum cacao*, *Ceratum labiale*, *Cinnabaris factitia*, *Clareta ſeu Liqueurs*, *Cremor tartari*, *Electuarium lenitiuum*, *Elixir acidum* HALL. *Elixir aloes*, *Elixir balſamicum temperatum*. *Emplaſtrum anglicum adhaeſiuum*, *Emplaſtrum ſaponaceum*, *Emplaſtrum veſicatorium*, *Extractum abſynthii* (de extractis in genere), *Extractum aconiti* (et *Succus inſpiſſatus eiusdem*), *Extractum cicutae* (etiam ex ſemine), *Extractum opii*, *Extractum peruuiani corticis* (de variis modis exhibendi corticem, *infuſis* eiusdem inferius adductis), *flores benzoes*, *flores ſalis ammoniaci martiales*, *flores ſulphuris*, *flores zinci*, *Globuli martiales*, *Kermes minerale*, *Lac ſulphuris*, *Lapis cauſticus*, *Lapis infernalis*, *Laudanum liquidum*, *Liquor anodynus*, *Liquor cornu cerui ſuccinatus*, *Lixiuium cauſticum*, *Magneſia*, *Mercurius dulcis* (interſperſis nonnullis de vſu mercurii in genere), *Mercurius nitroſus*, *Mercurius praecipitatus albus*, *Mercurius praecipitatus ruber*, *Mercurius ſublimatus corroſiuus*, *Naphtha acetoſa*, *Naphtha nitri*, *Naphtha vitrioli*, *Oleum animale* DIPP. *Oleum caryophyllorum*, *Oleum et ſal cornu cerui*, *Oleum ſuccini rectificatum*, *Pilulae* KEYSERI *correctae a* VOGLERO, *Regulus antimonii*, *Saccharum lactis*, *Saccharum ſaturni*, *Sal abſynthii*, *ſal acetoſae ſ. acetoſellae*. *Sal ammoniacus depuratus*, *ſal ammoniacus ſiccus*, *Sal anglicus depuratus*, *Sal cornu cerui*, *Sal mirabilis* GLAUB. (cui ſubiungitur *Sal phoſphori* PEARSON; eum ſiquidem morem interdum ſequutus eſt Cl. Auctor, vt articulum ſingularem interdum obſeruationis loco antecedenti ſubiungat; *Sal polychreſtus* SEIGNETTE

(et GLASERI), *Sal ſedatiuus* HOMB. (ſubiuncto *ſeid-licenſi*), *Sal ſuccini*, *Sal tartari* (ſubiuncto *Sale eſſentiali tartari*), *Species pro clyſmatibus*, *Spiritus* MINDERERI, *Spiritus ſalis ammoniaci cauſticus*, *Spiritus vini rectificatus*, *Sulphur antimonii auratum*, *Syrupus violarum*, *Tartarus emeticus* (praeparatio Cl. SAVNDERS reliquis praeferenda), *Tinctura cantharidum*, *Tinctura ſ. infuſum rhei*, *Vitriolum martis*.

Saepe varia medicamentorum genera, formae eiuſdem ſed indolis maxime diuerſa, ſub vno titulo colliguntur: *Decocta*, *electuaria*, *emulſiones*, *fomenta*, *gargariſmata*, *guttulae*, *infuſa*, *iniectiones*, *iulepi*, *linimenta*, *linctus*, *liquores*, *looch*, *lotiones*, *mixturae*, *olea*, *pilulae alterantes*, *balſamicae*, *ecphracticae*, *mercuriales*, *polychreſtae*, *aperientes*, *pulueres dentifricii*, *digeſtiui*, *ſternutatorii*, *ſtomachici*, *temperantes* aliique, *reſinae*, *roob*, *ſapones* (acido non memorato), *ſerum lactis*, *ſpecies*, *tincturae*, *vnguenta antipſorica* (ſub *mercuriali albo*), varia remedia ex populo balſamifera (ſub *Vnguento populeo*). Sub *ſpongia praeparata* p. 1163 ſeq. comprehenduntur *ſpongia cerata*, *ſpongia vſta*, *agaricus quernus*, ſ. boletus igniarius (de quo iam p. 65 ſeq. actum eſt, et hic ipſiſſima verba PLENKII de eius effectibus, ibi allegata, rurſus repetuntur), *agaricus muſcarius* et *bouiſta*.

Medicamenta eadem interdum repetita inuenimus: BELLOSTI liquor p. 189 ſeq. et 611. *Elixir ſennae* p. 316 et 317. omiſſo poſteriore loco menſtruo; *Elixir ſtomachicum* ex pharmacop. paup. Hamb. et diſp. Fuld. p. 318. *Elixir viſcerale* HOFM. a KLEINIO emendatum p. 318 et 321. *Emplaſtrum cicutae* ph. HERBIPOL. et PLENK. p. 342. et ph. DAN. p. 344. *Emplaſtrum antihyſtericum* ph. Edinb. p. 337. et *Emplaſtrum hyſtericum* KEVP. p. 364. *Extractum aloes* ph. Suec. p. 412 ſeq. et 413. *Gargariſma adſtrin-*

*ſtringens* SELL. et RIEMER. p. 505. *Infuſum rhei* ph. Suec. p. 531 et 534. *Linimentum volatile mitius* ph. Herbipol. et *Linim. volat.* BICKER. p. 581 et 582. *Liquor arthriticus* ELLER. p. 604. 606 et 1162. *Liquor externus ad gangraenam* PLENK. et MELLIN. p. 611. *Liquor meningum* SCHMVCKER. p. 611. et 1074. (balſ. comm. proportione diuerſa) *Liquor probatorius* ph. Würt. et HAGEN. idemque REVP. p. 618. et 619. (cuius liquoris formula ex ph. Suec. etiam bis occurrit p. 618. et 620. et poſteriore quidem loco cum inſigni errore typographico). *Pilulae coeruleae* ph. Edinb. et Herbipol. p. 901. *Species pro ptiſana* BALDINGER p. 1101. Parum modo differre inter ſe nobis videntur *Elixiria acida* Edinb. p 323. et 324. *Emplaſtrum cephalicum Danorum* p. 340. et *Empl. ad tempora* PLENK. p. 386. *Emplaſtrum ad clauos* ph. Argent. et SPIELM. p. 345. et ESSICH. p. 348. *Infuſum ipecacuanhae* GIANELL. et HALLER. p. 527. et 528. *Tinctura amara* ph. Lond. p. 1267. ſeq. et MELLIN. p. 1270. poſterior ſimilis *Tincturae gentianae compoſitae* ph. Lond. p. 1297.

In formulis compoſitis occurrunt *Aqua taraxaci* p. 430. *Puluis ad eryſipelas* p. 502. et *Aqua ſtillitica* p. 527. quae nuſpiam occurrunt (niſi, quod vero ſimile, poſteriorem ex errore typographi loco *Aceti ſcill.* poſitam eſſe arbitremur). *Liquor vitriolicus ad oculos* p. 629. ad *Aquam ophthalmicam Goeckingianam* refertur, ſed hic non reperitur. *Sapo antimonialis* p. 1189. ſub *Sulphure antimonii aurato liquido* occurrit.

Mendarum typographicarum maxima copia eſt, non ſingularum tantum vocum, ſed integrarum periodorum ſede ſua motarum: ita p. 65. verba: *Color hicce — orientem effectum* non ad *Aethiopem vegetabilem*, ſed ad praecedentem *Aethiopem narcoticum ſ. puluerem hypnoticum* pertinent; p. 456 ſeq. tractatio-

ni de *Extracto cort. per.* inſerta ſunt quaedam de *Syrupo diacodion* et *Extr. cap. papaueris immat.* p. 840 ſeq. verba: *Conuenit caeterum — ſuſurrum aliosque* non ad *Oleum ſuccini rectificatum*, ſed ad *Oleum cornu cerui* ſpectant; p. 907. *Pot-Pourri* inter *potiones* locum obtinuit. Errorem typographicum ſatis ridiculum p. 664. l. 10. offendimus; alium p. 149. l. 23. intelligere plane non poſſumus. Praeterea vero optaſſemus, vt dictionis puritati plus ſtudii impenſum fuiſſet.

Magnam commendationem opus hoc ex adiunctis creberrime adulteratonis remediorum ſignis nanciſcitur, in quibus Cl. Auctor diligentiſſime laboribus Cll. V. D. SANDE et HAHNEMANN itemque Cl. BIEDERMANN vſus eſt. Ad effectus in morbis declarandos praecipue excerpta ex Cl. VOGLER prae reliquis oculos feriunt: prolixius etiam p. 1229 ſeqq. de viribus et vſu *Syrupi ſaponacei balſamici* a Cl. BAADER peculiari tractatu deſcripti *) ex eodem exponit, formulam tamen huius remedii non communicans, ſed tantum tradens, illum ex ſale ſodae, oleo oliuarum, terebinthina cypria, ſaccharo et oleo citri parari.

Quas ipſe adſperſit annotationes bonas et vtiles inuenimus, licet plerumque ſatis notas. Quod non-
p. 472. nulli *Extractum valerianae aquoſum* pro remedio inerti habeant, ideo fieri, quoniam ad eius praeparationem *valeriana dioica* loco *officinalis* vſurpetur. *He-*
p. 524. *patis ſulphuris* ſolutio in aqua (cuius quantitas non adducitur) cochleatim ſumta in inueterata ſcabie exi-
p. 727. mie depraedicatur. *Mel vermium maialium* inefficax ipſe

*) *Laxirender balſamiſcher Seiffenſyrup, als ein ſpecifiques Hülfsmittel in Schleim- und Obſtructionskrankheiten, Augſpurg* 1784.

ipſe Cl. Auctor expertus eſt. Semper improbandus vſus *Mercurii depurati* ad vncias 12 in ileo, item modus eum vt amuletum geſtandi ad lac in nutricibus vel prohibendum vel augendum. De vſu *Salis cornu cervi* non diſtincte differit Cl. Auctor; illum viribus et effectu cum *Sale ſuccini* conuenire. Vſus quotidianus vnciae dimidiae *Saponis* cum amaris et duabus libris aquae calcis et pauxillo lactis, per decem annos proficuus in ſeptuagenario aduerſus calculum. p. 727. p. 1010. p. 1067.

## VIII.

*Tabellariſche Ueberſicht der mineralogiſch-einfachen Foſſilien, zum Behuf ſeiner Vorleſungen herausgegeben von* DIETRICH LVDWIG GVSTAV KARSTEN, *der Weltweisheit Doctor, Aſſeſſor bey der königl. preuſſ. Bergwerks- und Hütten-Adminiſtration, auch Aufſeher des königlichen Mineralien-Kabinets; der Societät der Bergbaukunde und der naturforſchenden Geſellſchaft zu Halle ordentlichem, der Leipziger ökonomiſchen Societät korreſpondirendem, und der Geſellſchaft naturforſchender Freunde zu Berlin Ehren-Mitgliede. Berlin MDCCXCI. Auf Koſten des Verfaſſers, gedruckt in der königl. Hofbuchdruckerey. Fol. pagg. VIII. et 27.*

i. e.

Tabulae mineralogicae, foſſilia mineralogice ſimplicia ſiſtentes, in vſum praelectionum ſuarum editae a DIETERICO LVDOVICO GVSTAVO KARSTEN, philoſophiae doctore etc.

Sex in columnas ſingulae tabulae diuiſae ſunt. Quatuor primae columnae ſyſtema mineralogicum clariſſimi WERNERI ſiue genera (*Gattungen*) hucusque cognita foſſilium mineralogice ſimplicium ad ordines (*Geſchlechter*) ſuos et claſſes (*Klaſſen*) relata inque ſuas ſpecies (*Arten*) diuiſa complectuntur. In condendo hoc ſyſtemate WERNERVS principia ſecutus eſt admodum ſimplicia. Scilicet conſideratio principiorum foſſilium characterumque externorum locum cuiuslibet generis definit. Differentia principiorum notabilis cauſa eſt, cur foſſilia in diuerſa genera ſeparentur, quae ad certos referuntur ordines, prout principium praedominans ſiue foſſilibus characterem peculiarem imprimens illud exigit; denique baſis congruentia ordines hos ad quatuor claſſes redigit, quae diuiſiones foſſilium mineralogice ſimplicium maxime generales ſunt. Genera ſecundum differentiam characterum exteriorum in ſpecies diuiduntur. — Foſſilia aggregata ſ. compoſita (mechanice mixta) hae tabulae non continent: etenim talia mineralia ad oryctognoſiam ſ. mineralogiam ſenſu anguſtiori, cui hae tabulae proprie dicatae ſunt, neutiquam pertinent. Cumque ſaxa pleraque e lapidibus conſtent aggregatis, etiam haec oportuit ſilentio praeterire: agitur de ipſis in peculiari diſciplina, geognoſia, cuius campus eſt latiſſimus, ſed adhuc parum excultus.

In columna quinta loci ſcriptorum citati ſunt, vbi deſcriptiones characterum externorum foſſilium reperiuntur. Auctor tantummodo eas adduxit deſcriptiones, quae ad normam Wernerianam factae ſunt. Igitur mirum non eſt, multas hac in columna, inprimis ea in parte, quae metalla continet, lacunas reperiri, neque enim omnia foſſilia iam methodo Werneriana deſcripta ſunt.

Deni-

Denique in columna ſexta principia foſſilium recenſentur, notato ſimul analyſtae nomine. Etiam in hac columna multae inſunt lacunae, futuro tempore chemicorum induſtria explendae.

Speciminis loco claſſem ſalium videamus.

| Claſſes. | Ordines. | Genera. | Species. | Loci, vbi characteres exteriores deſcribuntur, notato nomine auctoris deſcriptionis. | Principia, quatenus hucusque eruta ſunt. |
|---|---|---|---|---|---|
| II. Sales. | | | | | |
| | a) Sales vitriolici. | | | | |
| | | 82. Vitriolum natiuum. | | Helvet. Magaz. *) 4. B. S. 434. KARSTEN. | Acidum vitriolicum; cuprum; ferrum; zincum. |
| | | 83. Halotrichum. | | Helvet. Magaz. 4. B. S. 435. KARSTEN. | Acidum vitriolicum; terra aluminaris; ferrum; terra calcarea? SCOPOLI. |
| | | 84. Butyrum montanum. | | Helvet. Magaz. 4. B. S. 436. KARSTEN. | Acidum vitriolicum; terra aluminaris; etc. |
| | | 85. Sal amarus natiuus. | | | 0,24 acidi vitriol.; 0,19 magneſiae; 0,57 aquae KIRWAN. |



*) Eſt Promtuarium Heluеticum HOEPFNERI, cuius tres primos tomos iam recenſuimus. Vid. Comm. noſtr. Vol. XXXIII. P. III. p. 473 ff.

| Classes. | Ordines. | Genera. | Species. | Loci, vbi characteres exteriores describuntur, notato nomine auctoris descriptionis. | Principia, quatenus hucusque eruta sunt. |
|---|---|---|---|---|---|
| II. Sales. | | | | | |
| | b) Sales nitrosi. | | | | |
| | 86. | Nitrum natiuum. | | | 0,30 acidi nitrosi; 0,63 alcali vegetabilis; 0,07 aquae. KIRWAN. |
| | c) Sales muriatici. | | | | |
| | 87. | Sal gemmae. | 1. S. 9. lamellosus. | Helvet. Magaz. 4. B. S. 436. KARSTEN. | 0,33 acidi muriatici; 0,50 alcali mineralis; 0,17 aquae. KIRWAN. |
| | 88. | Sal ammoniacus natiuus. | 2. S. 9. filamentosus. | Helvet. Magaz. 4. B. S. 436. KARSTEN. Helvet. Magaz. 4. B. S. 437. KARSTEN. | 0,52 acidi muriatici; 0,40 alcali volatilis; 0,08 aquae. KIRWAN. |
| | d) Sales alcalini. | | | | |
| | 89. | Alcali minerale natiuum | | Helvet. Magaz. 4. B. S. 438. KARSTEN. | 0,20 salis alcalini; 0,16 acidi aërei; 0,64 aquae. BERGMAN. |

## IX.

*Grundriſs der Zergliederungskunde des ungebornen Kindes in den verſchiedenen Zeiten der Schwangerſchaft von D.* FERDIN. GE. DANZ, *außerordentl. Prof. der Arzneyw. zu Gießen. Mit Anmerk. begleitet von Hofr.* SÖMMERING. *Frankf. und Leipz.* 1792. 8. *S.* 242.

i. e.

Elementa anatomes fetus humani per varia graviditatis ſtadia. Delineauit FERD. GEO. DANZ. Notis auxit SÖMMERING.

Haud ſemper ad vtilitatis laudem libro conciliandam neceſſarium eſt, vt multa eaque magna contineat inuenta. Neque vero ſemper reprehendi ſcriptor poteſt is, qui e pluribus operibus nouum condere opuſculum ſtudet; quin hoc ipſum opuſculum illa forte ſuperabit vtilitate, ſi eius auctor ingenio et doctrina valet atque diligentiam ad ſcribendum adfert. Anatomia fetus et recens nati per tot aut rara, aut pretioſa volumina diſperſa hucusque fuit, ſingulaeque illius partes ita a ſe inuicem diuulſa, vt plerorumque anatomes cultorum ſtudio eriperetur, et plane nulla fetus diſſectio literis conſignata eſſe videretur. Clariſſ. igitur huius, quem indicamus, libri auctor maxime laudabilem ſuſcepit operam, cum omnia, quae ad hanc anatomes partem pertinent, ſumma cum diligentia vndique colligere, collecta ordinare, ordinata duobus voluminibus comprehendere conſtitueret. Priore hoc volumine continentur, quae de ouo, eiusque integumentis, de placenta, funiculo vmbilicali, liquore amnii, de fetu eiusque formatione pedetentim contingente in vniuerſum, de ſitu

fetus in vtero, de tegumentibus corporis vniuerſalibus, de oſſium generatione, et apud fetum infantesque recens natos forma a ſcriptoribus anatomicis optimis obſeruata leguntur. Quae reſtant de viſceribus, neruis, vaſis ſanguiferis, glandulis et muſculis dicenda, ea ſeruata ſunt poſteriori volumini, cuius cum anatomes cultoribus communicatio a plauſu virorum eruditorum, quo prius volumen excipient, pendebit. Nos quidem hoc nobis non ſumimus, vt idoneos de rebus anatomicis iudices nos habeamus, quorum iudicio leni, et honorifico Cl. D. eo adigi poſſit, vt noſtrae, et plurimorum anatomicorum exſpectationi haud diutius poſterioris voluminis typis exſcriptionem ſubtrahat. Sed non poſſumus non, quin Amiciſſimum D. hortemur, vt, quod tanta cum dexteritate inchoauit, etiam feliciter abſoluere ſtudeat opus.

Res literaria diligenter tractata nouam huic libro conciliauit commendationem. Scriptores enim, qui de anatomia fetus in vniuerſum egerunt, integro operi; ii vero, qui aliquam tantum eius partem pertractauerunt, ſingulis libri ſectionibus diligenter et ita praemittuntur, vt interdum etiam cenſurae ſint adiectae, intelligentem harum rerum arbitrum probantes. ARANTII editionem poſſidemus, Baſ. 1579. 8. SCHVRIGII embryologia, quam Cl. Auct. nanciſci haud poterat, ad manus eſt, et titulo gaudet, fere omnibus SCHVRIGII libris communi: *Embryologia hiſtorico medica h.e. infantis humani conſideratio phyſico - medico - forenſis etc.* Dreſd. et Lipſ. 1732. 4. Ceterum optauimus, vt vbique adiecta fuiſſet librorum laudatorum forma.

SÖMMERINGIVS nonnullas adſperſit notulas, quae honoris cauſa adiectae eſſe videntur, quamquam vino vendibili haud tali hedera opus erat. Omnes has notulas excerpemus, vt ipſi lectores de ipſarum digni-

dignitate iudicare poſſint. SÖMMERINGIVS narrat, p. 5.
ſe poſſidere multos embryones, quarum minimi quanquam magnitudine formicarum vulgarium ſint, tamen etiam tunicis oui gaudeant. Eiusmodi fetuum collectionem adſeruare theatrum anatomicum Marburgenſe, WALTERVM Berolinenſem, WRISBERGIVM, et OSIANDRVM, qui nunc Gottingam euocatus eſt. — BERTRANDI teſtimonium de tu- p. 25.
nica caduca HVNTERI adducitur. — Animaduertitur, vaſcula in externa chorii ſuperficie primis poſt fecundationem diebus conſpicua pulchre depicta eſſe a RUYSCHIO. — Secundinas gemellorum et trigeminorum p. 36.
ſeruari ab ipſo, inuicem connexas quidem, ita tamen, vt quilibet fetus ab altero penitus ſecluſus eſſet. — Laudat Cl. D. SÖMMERINGII humanitatem, qua cum p. 60.
ipſo communicauerit iconem felis monſtroſae, quae cum careat facie adeoque ore, luculentiſſime probet, fetum per os non nutriri. Sed ab hac ſimilibusque acephalorum obſeruationibus aeque male illa propoſitio deduci poſſe videtur, ac inde, quod viſu deſtitutus homo digitorum apicibus res cernendas non ſolum quoad formam exteriorem, ſed etiam quoad colores interdum diſtinguit, probari poteſt, oculos homini non a natura ad colores percipiendos datos eſſe. Laudemus potius, atque admiremur ſapientiſſimum noſtri corporis opificem, qui, ſi qua pars machinae noſtrae ad functionem, cui deſtinata eſt, obeundam inepta reddita, haec functio autem ad conſeruandam vitam neceſſaria fuerit, aliud organon ad eandem functionem obeundam reddit ideoneum. — Cum Cl. Auctor a liquoris amnii ſenſim p. 62.
ſenſimque contingente accumulatione vteri diſtenſionem deriuaret, SÖMMERINGIVS negauit, hoc phaenomenon hac mechanica ratione explicari poſſe, *quoniam quantum liquor illa exteriora verſus ad vterum diducendum premeret, tantumdem etiam in embryonem ipſum*

*ipſum preſſurus erat, atque ita commodum prius ſub-laturus.* Quodſi haec verba, obſcura omnino, hunc ſenſum habent: *preſſionem liquoris amnii verſus vterum aequalem eſſe preſſioni eiusdem liquoris verſus fetum, et poſteriorem impedire vitam atque incrementum fetus:* ſententia haec hydraulicis repugnat experimentis. Nos quidem quamquam non *omnem* vteri dilatationem ab hac liquoris amnii accumulatione, indeque orta preſſione verſus exteriora deriuamus, tamen nolumus hancce cauſam penitus abiicere, et idem phaenomenon aliunde explicare. —
p. 78. In animalium umbilicalibus funiculis adeſſe vaſa omphalo-meſenterica, quibus careat funiculus humap. 89. nus. — Craſſitiem funiculi vmbilicalis ratione inverſa eſſe ad teneritudinem fetus. Quo tenior hic,
p. 96. eo craſſiorem illum deprehendi. — WOLFII Petropolitani ſententia, qua vrachus homini inutilis iudip. 107. catur, attingitur. — REVSSII ſententia de tranſitus ſanguinis e vaſis vteri in vaſa placentae vera ratione e valuularum, ab illo delineatarum, directione
p. 117. impugnatur. — Cl. D. adfert Illuſtr. WRISBERGII adfirmationem de detecta in placenta et funiculo umbilicali vaſorum lymphaticorum praeſentia. Sed multum adhuc abeſt, vt hanc credere poſſimus. Iam hoc vnum tangimus, quod nos vaga et in hiſce diſquiſitionibus vituperanda maximopere deſignatio originis, curſus, et numeri vaſorum lymphaticorum, ibi repertorum, ab inuentore adhibita, metum iniicit haud inanem, ne hoc inuentum in numerum eorum reponendum ſit, quae noſtris temporibus initio ſesquipedalibus celebrantur verbis, ſed breui poſt vt vana demonſtrantur. De diligentiſſimis hanc in rem inquiſitionibus, a FISCHERO amiciſſimo hic Lipſiae
p. 129. inſtitutis, alio tempore ſermo erit. — Placentas, quarum circuitus maior ſit, tenuiores; minoris autem circumferentiae craſſiores videri. — DIEMER-

BROE-

BROEKII delineationem embryonis piſi magnitudine non ad naturam expreſſam eſſe: caput enim minus, artus longiores, umbilicalem funiculum tenuiorem eſſe a pictore repraeſentata, quam illas partes natura formare ſoleat. Quae ſequuntur, ea iam p. 5. allata ſunt. — Oculos fetus humani vt puncta nigra apparere ſecundo grauiditatis menſe; nullam tamen protuberantiam offerre. — In fontanellae regione caput non acuminatum ab ipſo deprehenſum eſſe tertio grauiditatis tempore; neque tunc veram eſſe omnis inter partes corporis proportionis abſentiam; neque humerum breuiorem antibrachio videri. — Capillos breues, a WRISBERGIO in fetibus medio ſexto grauiditatis menſe detectos, vix reperiri in recentibus, ſed in iis tantum fetibus, qui aliquamdiu in ſpiritu vini fuerint adſeruati. — De magnitudine et pondere fetuum pro ſexus ratione diuerſis EGROSSII promptuario, IO. CLARCKIO et ADAIRIO quaedam adferuntur notatu digna. — HVBERI, celebris quondam in theatro Caſſellenſi diſſectoris, ſententia: fetus extus pinguedinoſos multum, intus minus eſſe, in adultis contrarium obtinere, confirmatur. — Oſſa, lacte humano macerata molleſcere. — THOVRETI opinionem, qua oſſa capitis in fetu eam ob cauſam mobilia eſſe ſtatuuntur, vt compreſſione cerebri inde poſſibili fetus ſenſu priuetur, defenſam iam ab HARTLEYO, et omnino vanam eſſe. — Oſſicula auditus cauum continere, vacuum quidem a materie oſſea, ſed repletum materie cartilaginea (quod ad *Caſſebohmium* pertinet, oculo armato tunicam, multis vaſculis ſanguiferis diuitem, et caui illius parietes veſtientem, conſpici. — Differentiam inter ſterna ſexus ſequioris et potioris, in libello *de damnis thoracum* allatam, in embryonibus adeo, a tertio inde graviditatis

p. 139.
p. 141.
p. 148.
p. 156.
p. 178.
p. 188.
p. 200.
p. 208.
p. 228.

viditatis menſe, praeſentem, aliquoties iam ab ipſo obſeruata fuiſſe.

## X.

IOH. CHR. REIL memorabilium clinicorum medico-practicorum. Vol. I. Faſc. II. 8. Hal. 1790. Faſc. II. 1791. Vol. II. Faſc. I. 1792.

Obſeruandi ſtudium, noſtris temporibus STOLLII eiusque aſſeclarum conatibus expergefactum, incrementa haud pauca ex auctoris, aliis quidem laboribus ſatis conſpicui, memorabilibns hiſce capiet. Schola clinica Halenſis, regis Boruſſorum munificentia largiter dotata, per quinque iam et quod excurrit annos, antiſtite Cl. REILIO, medicos haud paucos ex regionibus maxime diſſitis attraxit, nutrivit, formauit. En primitias earum obſeruationum, quas REILIVS, occaſionibus egregiis nactus, inſtituit!

*Vol. I. Faſc. I.* a. *Febris neruoſa epidemica*, quae ab Octobri 1787. ad Martium 1788 vſque Halae vicinisque regionibus graſſabatur. Hoc quidem diſcriminis interfuit hanc epidemicam typhum nervoſam et alias iam olim obſeruatas, quod cum prodromis catarrhalibus inciperet, inſignique congeſtione pituitoſa et catarrhali eſſet ſtipata. Aegrotorum nonnulli afficiebantur primo ſtadio ſymptomatibus gaſtricis, alii iis, quae inflammationem aut plethoram commotam proderent; ſed nil iuuaminis percipiebatur a remediis contra hunc ſtatum vtrumque morboſum adhibitis. Subito enim virium proſtratio, ſumma irritabilitas et ſenſibilitas, aut ſtatus ſoporoſus ſequebatur curationis methodum, quae contra verum morbi neruoſi characterem non dirigebatur.

Com-

Complicatio catarrhalis ſiue pituitoſa, elucebat etiam ex ſudoribus glutinoſis, frigidis (ex paralyticis vaſorum orificiis paullo ante mortem exhalantibus). In cadaueribus diſſectis apparuit quandoque inflammationum gangraenoſarum aut continui ſolutionum inſignis copia, quas vero auctor tantum non ſemper ab agone mortis ipſo deriuare maluit quam a praegreſſis veris inflammationibus occultis. Plerumque lyſi ſoluebatur morbus. (Parotides tamen vero criticas erupiſſe teſtantur alii eiusdem ciuitatis medici.) Emetica ſemper egregium vſum initio morbi praeſtiterunt, repetitis vicibus quouis morbi ſtadio porrigebantur. Quibus vero emetica aluum potius ducebant, quam vomitum, ii in ancipiti ſtatu permanſerunt et plerique eorum diem obiuerunt ſupremum. Inter praeſtantiora neruina maxime Camfora, valeriana, moſchus et vinum rhenanum vſum egregium praeſtiterunt.

b. *Hernia adnata.* Tres ſpecies concretionis herniae auctor recenſet: *filamentoſam*, *carneam* et *mucoſam* ſeu *ſpongioſam*. Hanc vltimam plerumque poſt mortem a diſſectoribus in hernia inflammata, incarcerata inuentam eſſe, originemque traxiſſe a transſudatione materiei lymphaticae per vaſa relaxata, auctor opinatur. Impedimentum autem repoſitionis herniarum adnatarum, quas iuſta medela curatas et repoſitas legimus, minime a coalitu ſacci cum contentis ſed a forma mutata et tumoribus cyſticis proueniſſe ſibi perſuadet auctor, argumentis ſequentibus conuictus: 1. cum celerrime ſaepius eiusmodi hernia reponatur, quod fieri nequiret, ſi verus coalitus intercederet. 2. cum meſenterium et omentum compreſſa nimis procliuia ſint ad indurationes et intumeſcentias eiusmodi gignendas. Multiuarios enim omenti et meſenterii tumores vel hydatidoſos vel vere hydropicos vel lipomatum ſimiles ecquis eſt, quin, cadauerum ſectionibus vacans, viderit? Nonne et meſenterium

rium quandoque in ipso sacco hernioso ad quatuor pollices, et quod excurrit, pinguedine praeternaturali incrassatum inuenerunt auctores? 3) Cum situ horizontali nonnunquam herniae coalitae sponte recedant, concretio nequaquam adfuit, sed sola congestio humorum crassiorum, glutinosorum, quae tali modo retrogrediuntur. 4. Quid quod plerumque remedia resoluentia, venae sectio, diaeta tenuis, pressio herniae frequens, et decubitus horizontalis commendentur, velut propria ad herniam adnatam reducendam remedia. 5. Vbi sacci collum induratum annulique abdominalis strictura repositionem impediunt, cataplasmata emollientia in regione annuli et frigida aliaque adstringentia, quae inferiorem eius partem constringunt, in sacci fundo adhibenda esse videntur.

c. *Letalis alui retentio a stenochoria intestinorum.* Dissertationis forma edidit hanc obseruationem iam Cl. FRIESIVS, scholae clinicae olim alumnus. Colon ad longitudinem trium pollicum, cartilaginis instar induratum, scirrhosum atque ita coarctatum inuentum est, vt eius lumen vix minimum digitum caperet. Superius ostium occupauit excrescentia membranacea, circularis, valuulae simili, quae a faecum appulsu detrusa lumen fere omne occludebat. Haec vitia organica sine dubio ab inflammatione praegressa iure derivantur.

d. *Aduersaria quaedam ad morbos oculorum pertinentia.* Ophthalmiae chronicae pleraeque solent in glandulis vel Meibomianis vel aliis oculi praecipue sedem figere. Has quidem auctor noster ea, qua pollet, sagacitate atque perspicacia pertractat. Symptomata harum inflammationum quod attinet, solent fere semper aucto smegmatis mucosi effluxu iungi, qui fere nonnunquam in initio defecit. Dum vero maiori copia effluit, solet palpebras, praesertim noctu, conglutinare, die vero tarsorum limbum

et

et paginam externam palpebrarum eo pigmento ſplendenti obducere, vt vernice oblinita videantur. *Materies* modo dicta, quandoque humida aut aquoſa, ab auctore adeo craſſa et glutinoſa viſa eſt, vt vermiculorum albicantium forma ex inteſtinulorum repletorum oſtiis exprimere eam liceret. Dum vero ſeroſa ſimul et acris eſt, ipſas ſolet arrodere genas, et varias naſi producere affectiones. *Rubor* praeterea partium affectarum ophthalmia glanduloſa nunquam adeo conſpicuus eſt ac in ceteris inflammationibus oculorum: interdum vero, ingraueſcente morbo, palpebrae et tarſus praeprimis magnopere rubeſcunt. *Dolores* mitiores ſunt, quam qui in aliis ophthalmiis ſentiuntur, et tumor coniunctiuae, nonniſi per ſympathiam obortus, conſpicitur. Periodicas has ophthalmias vidit auctor, a febribus intermittentibus laruatis aut a materie arthritica productas. *Stadia* ophthalmiae glanduloſae tria agnoſcit auctor: 1. *cruditatis*, vbi vel vera ſymptomata inflammatoria, febre iuncta, vel tumor tantum adſunt, et ſmegmatis ne hilum quidem excernitur. 2. *coctionis*, vbi ſmegma fit blandius et mitius. 3. *Relaxationis*, vbi atonia vaſorum producit continuatum effluxum ſmegmatis copioſi, ſeroſi, ſicut blennorrhoea ſecundaria eodem modo ex debilitate oritur. Quod exitum ophthalmiae attinet, diſcuſſione aut benigna ſuppuratione aut raro aut nunquam ſoluitur, plerumque vero exulceratione et ſcirrho; rarius gangraena. Familiaris vero eſt exitus in exſudationem ſmegmatis illius. — Deinde aetiologiam auctor inueſtigat, vbi cauſſas quidem occaſionales bene enumerat. Sub his militant 1. acrimonia venerea, quae quidem adeo mites plerumque ophthalmias producere ſolet, vt chemoſin inde ortam fere nunquam viderit *Reilius*. Laruatam luis venereae indolem hic agnoſcendam ſaepius eſſe fatetur. 2. Blennorrhoeae virus, quod

acutam et periculoſam producit ophthalmiam. 3. Scrofulae vulgarem praebent huic ophthalmiae occaſionem. 4. Variolarum ſaepius morbus ſit ſecundarius, praeſertim ſi in ſtadio deſquamationis nulla euacuatio critica ſecuta fuerit. 5. Retrogreſſa exanthemata herpetica, ſcabioſa. 6. Transſpiratio ſuppreſſa, aut conſtitutio catarrhalis. 7. Rheumatica et arthritica. 8. Scorbutica (dubitamus a ſcorbutica diatheſi genitam eſſe vnquam aut gigni poſſe hanc ophthalmiae ſpeciem.) 9. Cancroſa cachexia. Exſtirpatio cancri diſſuadenda, dum ex glandularum Meibomianarum inflammatione virus cancroſum iam in maſſam humorum eſſe receptum cognoſcimus. — Pathologicis his principiis praemiſſis, tranſit REILIVS noſter ad indicationes in glandularum oculi inflammatione formanda; hae quidem ſunt: a. Irritantia quaeque, velut fumus, lux nimia, fletus, ventus vitantor. b. Materiae acri exitus quantocius parator, inuoluitor illa emollientibus tepidis lubricantibus remediis. Smegma autem palpebris adhaerens ne vi detergatur, clauſique oculi ſubito aperiantur. c. Partes debilitatae roborantor. d. Symptomatibus vrgentibus obuiam eundum. — Hinc, dum vera inflammatio adeſt, antiphlogiſtica methodus toto ſuo ambitu ſuadenda. Veſicatoria vero tantummodo applicanda, 1. cum acrimonia ad oculum defertur, antequam vitia humoralia aſſocientur. 2. cum febris deminuta et pulſus mollior factus fuerit. 3. cum a materiei rheumaticae aut arthriticae affluxu ortae fuerint ophthalmiae. 4. in ophthalmiis chronicis. Deinde ad ſpecialem ſpecierum curationem et ad externa remedia tranſit: illa quidem commendat, haec vero vberrime recenſet.

*Vol. I. Faſc. II.* a. *Teneſmus alui chronicus.* Per ſeſquiennium ſaeuiit indomitus cunctosque medicorum conatus eludens teneſmus alui. Aegrota denique

nique febre hectica deceſſit. Secto cadauere in ligamento vteri lato dextro, inter ouarium (fere conſumtum) et tubam Fallopianam, lipoma inueniebatur, forma et magnitudine ouum gallinaceum referens, atque ita reflexum vt ſpatium inter vterum et inteſtinum rectum omnino occuparet. Superficiem vero internam inteſtini recti vlceratam penitus pus ichoroſum foedabat. Recte iudicat *Reilius* vlcera illa inteſtinum rectum depaſcentia, ab vteri lipomate irritata teneſmum produxiſſe.

b. *Palpitatio cordis* miro eoque terrifico angore diuturno ſtipata, absque aliis manifeſtis cauſſarum phaenomenis. Febre hectica mors accelerabatur. Secto cadauere valuulae cordis ſiniſtri et aortae oſſeae aut induratae in conſpectum venerunt. Glandulae bronchiales tumidae ad fabae magnitudinem adauctae, pleraeque vero materia terrea, friabili, atra repleta. Aorta quoque oſſificationibus ad iliacas vsque affecta.

c. *Rheumatismus*. Cum ſanitate dentium apparente ſummus et maxime chronicus dolor eorum iunctus ſummam totius corporis ſenſibilitatem et inſignem ſymptomatum terrificorum cateruam ſecum duxit, nullo fere medicamine iuuante.

d. *Morbilli*, qui epidemice graſſabantur autumno anni 1790. Initio conſtitutio erat catarrhalis gaſtrica, raro admixta labe ſyſtematis neruoſi. Febrem morbilloſam abſque morbillis praeter auctorem plures medici Halenſes obſeruarunt. Morbos ſecundarios praecipue auctor ſequentes animaduertit: 1. cruſtas craſſas materie fauoſa aut purulenta repletas, cruſtae lacteae haud abſimiles. 2. hydatides palpebrae inferioris, aut abſceſſus eiusdem. 3. aphthae cum ptyaliſmo.

e. *De coctione promouenda ſordium gaſtricarum. Reſolutio humorum ſpiſſiorum non ſemper omnem nu-*

*merum abſoluit in coctionis negotio promouendo*: — hoc principium fundamenti loco ponit cl. REILIVS, vt, multifariam eſſe coctionem, varioque modo poſſe promoueri, euincat. Coctio res eſt altioris indaginis, et ventilata reſoluentia ad hunc ſcopum conſequendum minime ſufficiunt. Commoda vero, quae ex reſoluentium vſu ad coctionem promouendam redundant, fere haec ſunt: 1. pituitam reſoluunt, quae bilis actioni obſtat et orificia vaſorum occludit. 2. conferunt habitui melancholico, dum atram bilem reſoluunt. 3. irritant organa digeſtionis et inteſtina, vt inde motus periſtalticus augeatur. 4. vel antiphlogiſtica ſunt vel leniter aluum ducunt. Damna autem, quae producunt, a debilitate praecipue pendent, quam quisque ſtimulus gignit: tum etiam alliciunt humores ſordidos et ſordibus iterum accumulandis occaſionem praebent. Auctor egregie oſtendit coctionem non ſola humorum praeternaturalium alteratione aut incraſſatorum reſolutione, ſed ſpaſmorum remiſſione et magis regulari virium actione, quae antea mere tumultuaria eſſet, conſiſtere. Hoc praecipue ad ſtatum gaſtricum applicat et cauſſas indagat cruditatis ſordium gaſtricarum. Sunt autem 1. pituitoſa colluuies et debilitas organorum digeſtionis, quae ſolis roborantibus et adſtringentibus debellandae. 2. colluuies verminoſa. 3. atra bilis, contra quam THILENIVS nuper aquam lauroceraſi efficacem inuenit, auctor vero absque memorabili effectu hoc medicamentum propinauit. 4. ſordium acrimonia, quae nimis tenues et aquoſas producit excretiones. Sic quoque vomitus aeruginoſus ſtatum cruditatis fere ſemper oſtendit. Deinde auctor cauſſas recenſet, quae ſuſtinent ſtatum cruditatis et coctionem impediunt. 1. Conſtitutio melancholica. 2. Plethora vera. Hinc venaeſectio ſaepius optimum eſt remedium ad cruditatem terminandam et coctionem promouendam.

3. Dia-

3. Diatheſis inflammatoria. 4. Debilitas ſolidorum. 5. Spaſmi. His ſingulis medela adhibenda vt coctio promoueatur: vnde, quotuplices ſint methodi huic ſcopo conuenientes facile quiuis perſpexerit.

f) *Pemphigus.* Huius exanthematis hiſtoria ex morbis quatuor vetularum, quos auctor deſcribit, egregie illuſtratur. Cachecticae erant praeter vnam omnes: pectoris oppreſſiones et cutis ſat moleſtus pruritus praeceſſerant. Tum veſiculae erumpebant palmae magnitudine congregatae, cum glandularum axillarium tumore: ipſae vero veſiculae vel piſi vel amygdalarum magnitudinem exaequabant. Ambitus pallidus vel pallidorubicans, neque vllo tumore inſignitus. Dolor et pruritus intolerabilis ſaepe noctes inſomnes produxit: in progreſſu morbi plerumque etiam febris hectica accedebat, vires ſenſim infringens: ſic morbus per quatuor vel octo hebdomadas perſeuerauit, nullo tamen letali ſymptomate ſtipatus. In curatione auctor ad acrimoniam lymphae et cachexiam reſpexit, ſimul tamen etiam ſymptomata febrim hecticam comitantia mitigare conabatur.

g. *Nyctalopia a ſpaſmo palpebrarum.* Infans triginta menſes natus cruſta lactea aliisque incipientis rhachitidis ſymptomatibus afficiebatur: ſimul aures aſſidua intertrigine naresque acri lympha madebant. Suppreſſo hoc effluxu ſpaſmus muſculi orbicularis vtriusque oculi ſequebatur, vt puer euigilans oculos aperire nequiret. Per integrum diem firmiſſime clauſi oculi veſperi tantum aperiebantur. Cilia palpebrarum duplo longiora, quam in ſtatu naturali ſolent eſſe. Lucis intolerantia et lacrimatio aſſidua ſummam ſenſilitatem prodebant. Mercurialibus, veſicatoriis et cortice tandem morbus debellatus fuit.

h. *Febris puerperarum.* Theoriam praecipue de metaſtaſi lactea, tanquam cauſſa huius febris refutare

futare conatur auctor. Verum lac non fuisse quod in metastăsibus lacteis inuentum sit, inde praeprimis deriuat, quod materies butyracea in eiusmodi humoribus ipsius quoque HERMSTAEDTII inquisitionibus nondum sit detecta, ideoque melius referri ad exsudationem lymphae coagulabilis, quae inflammationes varias sequi soleat. Argumentum SELLII, hanc exsudatae lymphae copiam nullomodo proportionatam esse praegressae inflammationi, nullius momenti esse, cum inflammationes saepius clandestinae, quae fere nullis symptomatibus conspicuae sint, enormi lymphae exsudantis copia comitatae esse soleant. Si quoque lactis metastasis caussa fuerit febris puerperalis, haec toties oriri deberet, quoties ablactatio contigerit, quod vero experientiae repugnat. Saepissime denique eamdem materiem lacti similem inveniri in cadaueribus hominum, quorum mammae lac nunquam continuerint.

i. *Contrafissurae basis cranii.* Caluariae pars, in quam moles irruentis aedificii impegerat, ne vestigium quidem factae laesionis fissurae aut fracturae referebat: sed quatuor fracturae e contraria parte his oppositae reperiebantur, quibus et durissima ossa, processus mastoideus ac os petrosum laederentur.

*Vol. II. Fasc. I.* a. *De remediorum glutinosorum in haemorrhagias virtute et vsu.* Varia experimenta instituit auctor, quibus cohaesiuam virtutem variorum glutinum cum extra corpus tum in corpore humano declarare posset. His elucet, gummata maxima, et ex iis praecipue gummi tragacanthae et arabicum, succos inspissatos vero et farinam modica; resinas denique aqua mixtas, nulla virtute adhaesiua et conglutinante gaudere. Agunt autem haec glutinosa vel forma pulueris, dum aquosam sanguinis partem absorbent et artificialem thrombum generant: vel dum tenacem membranam producunt orificia vasorum

ſorum obſtruentem. Cauendum autem 1. vt vulnus ſub momento applicationis ſit ſiccum. 2. vt glutinans forma pulueris ſicci et ſubtiliſſimi applicetur. 3. vt glutina non per ſe, ſed cum ſolido corpore adhibeantur. Varias praeterea obſeruationes addit, quibus vſus conglutinantium in variis morbis chirurgicis euincitur.

b. *Scrofulae encephali.* Memoratu digniſſima obſeruatio! — Puer tredecim annorum, matre ſyphilitica natus, cachexia ab incunabulis inde afficitur. Deinde acceſſit ophthalmia pertinax cum cephalalgia, vomitu et delirio phrenetico: apoplectica morte tandem deceſſit. Poſt mortem ſecto cadavere dura mater cruento rore madida apparebat a ſanguinis guttulis, quae e diſruptis vaſculis effundebantur. Vaſa et vaſcula omnia ita ſanguine repleta videbantur, vt iniecta ſuſpicatus fuiſſes. Sinus omnes cruore turgidi: glandulae Pacchionii naturales. Reſecto orbe, ſtatim in diſco maculae flauae orbiculares conſpiciebantur. Deinde corpuſcula innumera, duriora, figurae oblongae, flauae, materie adipoſa repletae, tunica ſimplici veſtitae apparebant, in ſulcorum profunditate haerentes. In ſuperiori parte haemiſphaeriorum cerebri plurima, pauciora in cerebello et pauciſſima in baſi cerebri cernebantur. In ventriculo tricorni ingens hydrops: plexus chorioideus, glandula pituitaria et pinealis naturales. Meſenterii glandulae tumidae, inciſae materiem ſimilem latici, qui glandulas cerebri infarciebat, continuerunt. Hinc auctor iure concludit, ſcrofulas veras fuiſſe, quas antea nemo in encephalo ipſo obſervauit. Hinc quoque patet, ſyſtema glandulare lymphaticum ad ipſum vſque encephalum pertingere, quod CRVIKSHANKIVS adhuc ſuſpicatus fuerat, SCHREGERVS vero in animalium brutorum cerebro autopſia ſua teſtatus eſt.

c. *De affectibus laesae respirationis et deglutitionis morbo varioloso propriis.* Breuem eamque eximiam variolarum epidemicarum, quae Halae 1791. grassabantur, sciagraphiam praemittit, qua patet malignitatem huius epidemiae insignem fuisse. Omnes vero varioloſi duplici fere modo e vita egrediebantur: vel cum grauissimis laesae respirationis symptomatibus, vel cum effectibus turbati systematis nervoſi truculentis. Dyspnoea illa vel a crustis nares obsidentibus, vel a variolis fauces occupantibus, vel a saliuatione, vel ab aliis vitiis pendebat. In internis quidem partibus ab oesophago et larynge inde auctor nunquam variolas inuenit, eo copioſiores vero in interna oris superficie, ad velum palatinum et voulam. Hac ratione anginam posse produci, nemo dubitabit. Simul tamen animaduertendum, multo minus periculi huic anginae speciei adhaerere, sed euanescere plerumque desquamatis variolis. Praeterea vero vera phlogoſis laryngis, asperae arteriae, bronchiorum et pulmonum accusanda Cognoscitur haec dyspnoeae causa ex voce et loquela praeternaturalibus, angore intolerabili, doloribus vero mitioribus vel penitus deficientibus. Tussis insuper arida, rauca et conuulsiua. Inter tussiendi vehementissimos conatus vidit auctor totum guttur quorundam puerorum ad vtramque asperae arteriae paginam, mirum in modum intumescere, quod phaenomenon a rupta arteria deriuat. Nonnunquam cum quouis aeris introitu in pulmones sternum, praecipue pars eius inferior, vna cum costarum appendicibus cartilaginoſis introrsum eo gradu cedebat, vt fere vertebras dorsales attingere videretur, omnisque pugnus in depressa illius fouea occultari posset. Certum omnino funesti exitus signum hoc symptoma fuit. Semel tantum anginam polypoſam post desquamatas variolas vidit. — Optime explicat auctor inflam-

inflammationes has modo memoratas ex cutanei ſyſtematis cum organis reſpirationis commercio. Remedium velut optimum in hoc affectu mercurium opio nuptum commendat, cuius vſum variis obſervationibus tum ſuis tum aliorum auctorum illuſtrat. Nonnunquam ſtatus gaſtricus poſt variolas remanens eamdem dyſpnoeam produxit.

d. *Ilex aquifolium.* Vires huius arbuſti antarthriticas obſeruationibus confirmare ſtudet, ſed multa obſtant, quominus ad praeſtantiora tantum remedia contra morbum arthriticum poſſit numerari aquifolium.

e. *De criſibus morborum neruoſorum.* Criſes, non quidem ſine ratione vocat auctor affectus varios neruoſos a morbo vniuerſali pendentes, qui plerumque *ὑφοϱιαν* ſecum ducere ſolent. Sic hyſtericae mulieres multo melius ſe habent, dum epilepticis aut catalepticis inſultibus correptae fuerunt. Multa autem affert huic obiecto affinia, quae vberius hic recenſere temporis limites vetant.

## XI.

Delectus opuſculorum ad omnem rem medicam ſpectantium, quae primum a celeberrimis Italiae medicis edita excudi curauit et praefatus eſt IO. IAC. RÖMER, Med. et Chir. Doctor. Vol. I. Turici et Lipſ. 1791. 8. p. 470. c. tab. aen. VIII.

Laudamus conſilium Celeb. Editoris, ſcripta minora Italorum medicorum, in Germania ſatis ſaepe rara, recudendi, atque ſic harum literarum cupidis pretio haud nimis caro offerendi. Etenim pro ea, quae nunc apud Germanos obtinet, eruditionis conditione, quae omnium literis cultu inſi-

gnium populorum doctrinam amplectitur, saepe dolebamus plerorumque Italorum bibliopolarum inertiam, aut potius stultitiam, qua abrepti de librorum, ab ipsis typis exscriptorum diuulgatione et cum aliis aliorum inter conciues et exteros bibliopolarum commutatione plane incurii sunt, et saepe, quae in eadem, qua viuunt, vrbe recens edita sint scripta, ignorant. Quo fit, vt exteris eruditis admodum difficilis euadat comparatio librorum, in Italia promulgatorum, praesertim si minoris sunt molis atque etiam, quod saepius fit, auctorum impensis editi. Eo gratior igitur nobis erat collectio libellorum medici argumenti, celeberrimis Italiae medicis debitorum, a Cl. RÖMERO facta, quo diligentior is fuit in seligendis scriptis, quae iterum recudenda curauit. Vnum tantum restat, quod ab emptoribus huius delectus rogari, quid? quod iure postulari poterat, vt scilicet excluderentur Ill. FRANKII scripta, non quod huic collectioni ab iis commendationem et ornamentum accedere negemus, sed quod emptores huius libri, possidentes iam FRANKII delectum opusculorum medicorum eandem rem bis suo aere redimere coguntur.

In Epistola dedicatoria ad ANT. TVRRAM, medicum Vicentinum, de consilii sui ratione exponens repetit etiam Cl. RÖMER, ipsum anno 1790. sylloges sub titulo hunc delectum edere voluisse. Continebantur tunc primo eius volumine MONTEGGIAE fasciculi pathologici, elegantia et eruditione haud vulgari conscripti. Sed cum nec literarum typi, nec libri forma satis placeret, et praeterea eiusmodi collectionum prima lex in grata quadam varietate posita esse recte videretur, illos fasciculos peculiari et nouo titulo insigniuit, collectione sub eo, quo nunc gaudet, titulo continuata. Praeterea se Italos a culpa inertiae et tarditatis in literarum progressu, qua a multis nostrorum grauius notati sunt,

pro

pro virium modo purgaturum ac defenſurum pollicetur R. quod publice contractum nomen vt quantocyus ſoluat, etiam nos Cl. auctorem rogamus. Crimen enim illud, Italis ab ARCHENHOLZIO inprimis inflictum, a IAGEMANNO in vniuerſum quidem refutatum, ſed operae tamen pretium eſt, in merita potiſſimum medicorum Italorum in artem ſalutarem inquirere, et quid illi noſtra aetate ad eam augendam ornandamque contulerint, monſtrare. Nos quidem haud videmus, quid ex hoc labore auctori metuendum ſit de multis multorum reprehenſionibus, quae in eum tantummodo cadent, qui, dum huius cauſae patronum agere vult, opus, humeris eius nimis graue, ſuſcepit. Sed Clar. RÖMERVS, qui inter Italos vixit, cum multis eorum familiare literarum commercium alit, eorum denique, quae ab italis medicis aguntur, inueniuntur, ſcribuntur, plenam habet notitiam, tutus ab inuidentium aut maleuolorum voculis, et a ridentium malum bonae cauſſae patronum ſibilationibus erit.

Primum locum poſt ſcriptorum Italorum medi corum per annum 1789. enumeratienem praemiſſam occupant ANT. SCARPAE de ſtructura feneſtrae rotundae auris et de tympano ſecundario anatomicae obſeruationes. Cum iam variis de ſcriptis huius auctoris ad lectores relatum ſit noſtros *), et anatomicarum de auditu et olfactu diſquiſitionum contenta breui ſimus enarraturi, liceat paucis et in harum anatomicarum obſeruationum expoſitione, Mutinae iam anno cIↃIↃCCLXXII. euulgatarum, ſubſiſtere. Plerique p. 1 — 110.

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. XXVI. p. 304. vbi *annot. academ.* lib. I. p. 309. vbi *or. de promou. anat. adminiſtr. ration.* Vol. XXVIII. p. 54. vbi *annot. acad.* lib. II. indicatus eſt.

rique de aure ſcriptores fuſi ſunt in deſcribendis oſſiculis auditus, labyrintho et feneſtra ouali; rotundam autem vel penitus neglexerunt, vel leuiter tantum indicarunt, quoniam nec ſonos intra tympani cauum vlla ratione progredi putant atque intendi, nec ſonorum hanc per tympani cauum progreſſionem mente concipi poſſe. Sed qui naturae conſtantiam in huius feneſtrae rotundae ſtructura cogitat, (in nullo enim animali illa deeſt, in compluribus vero ſingulari induſtria elaborata eſt) is haud metuet, ne plane inutilis ad auditum perficiendum haec feneſtra hiet. Cum igitur Cl. *S.* vt eius vſum detegeret, equinam aurem, non exſiccatam, ſed recentiſſimam, diſſecaret, inueniebat illam membranam, quae poſterius feneſtrae rotundae aperturam operit, non eius anteriori margini parallelam eſſe, plenamque ſuperficiem efficere, ſed adeo ſurſum per ſcalam tympani retruſam in conſpectum venire, vt ab interiori aperturae margine, tanquam a baſi latiori, enata, ſenſim deinde anguſtata procedens ad oſſeum vſque ſpiralis laminae initium, ſeſe denique in vmbonem attollat, et conicam figuram aemuletur. Huius canalis (rectius enim hoc, quam feneſtrae nomine hoc foramen inſigniendum eſſe iam HALLERVS ſtatuebat) duo oſtia, externum alterum, alterum internum non e regione ſibimet oppoſita eſſe: illud quodammodo vt meatus auditorii marginem pateſcere, hoc autem peculiari ſulco praeditum eſſe; qui membranam, deſcriptam iam, eadem ratione coerceat, qua circellus oſſeus, ad extremum meatus auditorii poſitus, tympani membranam comprehendit. Ita fieri, vt, quemadmodum membranam hanc vndique firmatam mallei manubrium centrum verſus retrahat, in apicem eleuet tendatque, ita membranulam feneſtrae rotundae vndique ſulco adhaerentem ſpina oſſea laminae ſpiralis ſurſum retroque trahat, conicam fere efficiat, perpetuo-

petuoque tenſam conſeruet ſcalam tympani verſus, quam ſcandit, et transverſim occupat. Hinc patere feneſtrae rotundae vſum in auditione praeſtantiſſimum. Naturam enim ſonoris externi aeris oſcillationibus ab auricula collectis et per acuſticum meatum ad diſtantem vſque tympani membranam demiſſas intra tympani cauitatem collectum aerem commouere, ita auditus oſſicula in tremores rapi, qui ad aquam veſtibuli delati cum aere in tympani cauitate contento communicentur, atque feneſtrae rotundae canaliculum ſubeuntes in tenſam eius membranam impingant, vt ſic aqua latioris ſcalae tympani concutiatur. Figurae, ad illuſtrandam confirmandamque hanc ſententiam ab auctore delineatae, eleganter in aes inciſae, tabulisque IV. exhibitae ſunt.

I. B. PALLETTA de neruis crotaphitico et buccinatorio *). p. 111—144.

LEOP. M. A. CALDANI diſſ. de vreterum inaequalitate et de fetus nutritione **). Cum antiqui iam anatomici animaduerterint, vreterum canales in ſuo ipſorum decurſu nunc ampliari, nunc iterum contrahi, in cauſas huius inaequalitatis inquiſiuit cl. C. eaſque vel a contentis in inteſtinis, vel a lotio, quo veſica diſtendatur, vel denique a fetus per totum grauiditatis tempus, aut ſaltem per maiorem eius partem ſitu inuerſo repetiit. Animalium quadrupedum vreteres aequales deriuat a ſitu fere transverſo, quamdiu vtero contineantur materno, et a decubitu excluſorum nunquam ſupino. Poterat etiam

*) Vid. Comment. Vol. XXX. p. 434.

**) Ex altero volumine *Saggi ſcientifici e letterarj dell' academia di Padova* deſumta, cuius voluminis copiam ſi nacti fuerimus, de eo ad lectores referemus.

iam haec inaequalitatis vreterum cauſa, in fetubus inprimis conſpicuae, adferri, quod illi quaſi facculi his inaequalitatibus formati vna cum veſica vrinaria et vrachi parte ad vrinam recipiendam a natura ſint deſtinati. — Infantem, poſtquam excluſus erat quarto die, cum diſſecaret, ventriculum tumentem praeter modum, atque liquore aliquo ſimulque aëre plenum inuenit: inteſtina tenuia inflata quidem, ſed vacua, et lumini obiecta nonnullis locis ex cellulis intro latentibus fabrefacta videbantur, quaſi cellularis membrana elegantiſſima eorum cauitatem occuparet. Ventriculus repletus erat humore viſcidiuſculo et dilute croceo, ſaporis leniſſime ſalſi, ad ignem et cum ſpiritu vini in coagulum abeunte, et decem vncias ponderante. Hoc igitur exemplum putat Auct. plurimum fauere ſententiae illorum, qui fetum, vltimis etiam grauiditatis menſibus, non tam per funiculum vmbilicalem et inhalantia cutis vaſcula, quam per os nutriri contendunt.

p. 159–176. *Idem* de chordae tympani officio et de peculiari peritonaei ſtructura*). Cum HALLERO putat, chordae huius ramulos, ad interiores auris muſculos ferri, atque inprimis regere tenſorem mallei muſculum et ſtapedium. Sed quomodo ea hos muſculos regat? Chorda contextus celluloſi ope partim tympani membranae nunc propius, nunc paulo remotius, partim oſſiculis auditus, malleo atque incudi, alligata eſt. Sonorae igitur aëris vndae in meatum auditorium illapſae, tympani membranam annexaque oſſicula concutientes efficiunt, vt ſollicitata haec chorda muſculos oſſiculorum eorum minimos in contractionem rapiat.

*) Ex eodem cum praecedenti fonte deriuata diſſertatio.

piat. — Peritonaeum maximo valet robore, quippe quod maximopere saepius extendi potest sine ruptura; quod macerationi validissime obstat; quod peculiari structura gaudet, quae quidem extensionem summam v. c. in hydrope, grauiditate etc. admittit, at quoque sat celeri in naturale volumen contractioni sauet. Scilicet in portione intestini duodeni, quae post iliacam affectionem cum faecibus ex aluo deiecta fuit, cum peritonaeum subduceretur, vt subiecta tunica carnea in conspectum eo melius veniret, ordo quidam fibrarum nudo oculo conspiciebatur, ad peritonaeum vere pertinens. Lustrata peritonaei atramento macerati particula ope lentis vitreae, detegebatur duplex fibrarum stratum, ita sese oblique persecantium, vt areae rhomboidales formarentur. Alterum horum stratorum in exteriore, alterum in interiore superficie decurrebat. Si quis hanc regularem compagem perspicere cupit, is et contextum spongiosum, qui auersam peritonaei faciem occupat, diligentissime deradendum curet, et caueat sibi a lentibus nimis augentibus. (Quae citantur figurae, eae desunt in nostro exemplari.)

LAVR. NANNONI de similarium partium humanum corpus constituentium regeneratione, additionibus exornata et latine reddita a MAVRO SARTIO. Experimentis ostendit, ossa integra aeque ac eorum partes, cartilagines, ligamenta, periostium, vasa et neruos vere regenerari. (Cum nuper agitata de regeneratione partium corporis animalis, inprimis nervosarum, quaestio, nec in hac lite ad Auctoris huius testimonium animus aduersus sit, sane merebatur haec dissertatio, quae 1782. Mediolani prodiit, recudi. Recte quaerit Cl. R. cuinam fides habenda? vtrum ARNEMANNO, qui suam de regeneratione nervorum sententiam praeparatis, apud varios Germaniae p. 177–204.

niae medicos depoſitis defendere ſtudet, an NANNONIO, contrarias partes etiam praeparationibus tuenti, in ſuo ipſius muſeo adſeruatis?

p.204–228. IO. BAPT. FALETI diſſ. epiſt. de abdita morbi cauſa per anatomen indagata in muliere infoecunda. (De hac diſſertatione ſermo erit, cum diſſeremus de volum. VI. diarii ad hiſtoriam medicinae huius ſeculi facientis.)

p.229–242. IO. HIERON. LAPI de acidula ad ripam Tyberis (Chemica 1754. facta. inueſtigatio principiorum huius acidulae multum diſtat a laboribus ſimilibus noſtratium chemicorum; interim notitia ſaltem huius ignoti fontis medicati ſic diuulgatur.)

p.243–340. PAVL. VALCARENGHI de vera praxi medicis neceſſaria et aegrotis vtili. Quod iam alia in diſſertatione docuit Auct. „ex chemicis anatomicisque inventis, philoſophia etiam ope matheſeos famulante, pulcherrimas ingenioſiſſimasque doctrinas rationali quidem medicinae magna ex parte acceſſiſſe, ipſam autem omnimode et praecipue in iis, quae ad praxin ſpectant, haud quaquam perfeciſſe, ad quod praecipuum ab aliis obſeruationibus auxilium petendum ſit,“ id h. l. latius proſequitur. — Veram praxin illam exercitationem dicit, quae circa aegrotos cum ratione verſatur, h. e. morborum imagines et cauſas rite perſcrutatur, et congrua remedia eligit, et prognoſin fingit veram. — Vt vere expertos medicos, munerique ſatis facientes ſuo ab iis, qui ſecus ſunt, eo melius diſcernere valeamus, *V.* eos omnes ad tres claſſes reducit, quorum prima illos continet, qui multiplicem obſeruationum acervum ſeu indigeſtam maſſam mente potius quam ſcriptis ſibi compararunt, anatomicis et philoſophicis doctrinis prorſus neglectis, aut vix e limine ſalutatis; altera

altera classe continentur, qui anatomicis et philosophicis cognitionibus mediocriter imbuti, ad medicinam aacessérunt, in qua eo magis profeciſſe ſibi videntur, cum poſt longum artis exercitium amplam ſermonis normam nacti ſint, vt de quibuslibet ad artem medicam ſpectantibus rebus diſerte quoquo modo loqui queant. Tertia denique claſſis illos comprehendit, qui ſaniori philoſophiae, accuratiorique anatomiae tanquam firmioribus fulcris inſiſtentes planam ad ſelectiores obſeruationes ſibi viam ſternere ſatagunt. — Inde patet, in ſimili argumento Cl. Auctorem deſudaſſe, quod a ZIMMERMANNO praecipue tractatum cum laude fuit.

I. P. FRANK de populorum miſeria morborum genetrice. p. 341–358.

PETR. ORLANDI de variolarum refellenda inoculatione. Eam damnat vt fruſtaneam et nociuam, contra ea expreſſionem ſanguinis e funiculo vmbilicali, antequam ligetur, commendat. p. 359–388.

OCTAV. NERVCCI hiſtoria febris epidemicae Senenſis anni 1766. et 67. Aeſtate anni 1766. rubigo ſegetes fere omnes ſuſtulerat; hinc ſumma frugum inopia, eiusque comites putrido-bilioſae febres, quae ſenſim inualeſcentes et nouas in noſocomio Senenſi vires adeptae, ibique deteriores in dies et epidemicae factae vniuerſam fere vrbem inuaſerunt. Eodem anno vina, diu ſeruari ſolita, maximam partem corrupta in doliis reperta fuerunt, vnde aeque ac ex rubigine ad peculiare aëris vitium concludi recte poſſe videtur. p. 389–414.

HIER. MERCVRIALIS nomothelaſmus ſ. ratio lactandi infantes. Hic libellus, teſte MORGAGNIO rariſſimus, nec HALLERO viſus, qui vel ipſum titulum corrupit ita, vt pro *nomothelaſmus* in *bibl. pract.* II. p. 172. ſcriberet *nomotheſaurus*, continet ſermonem, haud ingratum lectu, quamuis eum non tan- p. 415–452.

tis laudibus extollere poſſimus, quibus eundem R. exornauit.

IO. P. FRANK de morbis pecudum a medentibus nequaquam praeteruidendis. De hoc et priore FRANKII celeberrimi libello alia occaſione ſermonem inſtituemus.

p. 453-463. Vnum adhuc reſtat, quod Cl. RÖMERVM rogamus, vt ſcilicet typothetarum menda diligentius vitanda curet, quam in hoc ipſo volumine factum. Sic p. 161. lin. 18. poſt *deraditur* non punctum, ſed comma ponendum; p. 163. l. 26. *de repente* coniunctim legendum; p. 167. l. 27. *infimi* pro *infirmi*; p. 170. l. 10. *gangraena* pro cancraena legendum; l. 15. in verbis: peritonaei inteſtina portiones maceranda curaui, deeſt vox, niſi plures; p. 252. l. 4. *arduioribus* pro *arduuioribus*, et quae ſunt plurima reliqua. Dein fides editoris non eo vſque extendenda eſt, vt vitia ſcribendi auctorum, quos recudendos curat, religioſe denuo exprimi patiatur. Sic ſine vllo reprehenſionis metu poterat, imo debebat *Sydhenamium* in Sydenhamium, *empyricos* im empiricos, *polycreſta* in polychreſta, *Hyppocratem* in Hippocratem, *praxim* in praxin et multa alia, quo et literarum vncialium frequentiorem in ſubſtantiuorum initiis referimus vſum, immutare. Etenim illa ſcribendi vitia ſunt iam nimis vulgaria, quam vt magni viri exemplo ſanciri adhuc quodammodo deberent. — Caeterum optamus, vt emtorum copia continuationem huius delectus promoueat.

## XII.

SAMUEL GOTTLIEB VOGEL's *Hofr. und Prof. in Roſtock, kurze Anleitung zum gründlichen Studium der Arzneywiſſenſchaft. Stendal* 1791. 8. *pagg.* 208.

i. e.

i. e.

9. G. VOGELII breuis manuductio ad recte diſcendam medicinam.

Ab aliquo inde tempore hoc argumentum ſaepius tractatum fuit, et Cl. auctor KEMMII, LVDWIGII, SELLII, HERZ, DELII, GREGORYI, SENFTII, TISSOTI aliorumque virorum eruditorum laboribus addidit ſuum. Quindecim capitibus tota diſſertatio abſoluitur, quorum indices ſi adiecerimus cum quadam epicriſi, facile erit ad intelligendum, quid et quomodo Exper. *V.* ſuos lectores hoc in libello docuerit. Primo quidem capite de dotibus animi in- p. 1.
geniique diſſeritur, quibus illi ornati eſſe debent, qui medicinae addiſcendae operam dare cupiunt. Praeter ingenii acumen, iudicii ſubtilitatem, memoriae inſigne robur, conſtantia, conſilii celeriter capiendi facultas, animi tranquillitas, mores comti et molles, profundaque hominum cognitio in medico eſſe debent. Nec corporis habitus et fortunarum conditio ab Auct. neglecta ſunt: ille enim ſanus et robuſtus, haec haud omnino curta ſit. — Secundum p. 10.
caput de neceſſariis medico cognitionis ſubſidiis agit. Huc linguarum et graecae, latinaeque et inter recentiores gallicae, anglicae, italicae inprimis ſcientia, hiſtoriae, philoſophicarum doctrinarum, literarum elegantiorum et artium cognitio refertur. (Subridebunt, qui linguam latinam callent, et de eius elegantia periti arbitri et ſunt et habentur, cum HALLERI horridum et incomptum ſcribendi genus vt elegantis ſtyli latini exemplar p. 20. legent commendatum.) Quae de arabicae linguae inutilitate diſputantur (p. 30.), ea videntur etiam paulo accuratius definienda. — *Ter-* p. 54.
*tio* capite eas doctrinas enumerat A. quarum cognitio propius ad medicum ſpectat, quo pertinet ency-

clopaedia, botanice, mineralogia, zoologia, chemia,
p. 82. anatomia. Cum *ſequenti* capite de theoreticis medicinae partibus agitur, miramur ab his anatomen eſſe remotam et ad doctrinas praeparantes relatam. Inter theoreticas partes phyſiologia, pathologia, ſemiotice, diaetetice, pharmacologia et materia medica, toxicologia, pharmacia, ars formulas medicas ſcribendi, et therapia cum generalis, tum ſpecialis reponuntur. —
p. 105. Caput *quintum* enarrat, quae ad medicum, artem felici cum ſucceſſu facientem, efformandum requiruntur. Ibi etiam exponitur optima noſocomii ad formandos
p. 141. iuuenes medicos inſtituti conditio. Caput *ſextum* chirurgiae dicatum eſt, quae quam neceſſaria ſit me-
p. 145. dico, vix dici poteſt. *Septimo* capite de arte obſtetricia ſermo eſt, ad quam commode addiſcendam domus obſtetricia inſeruit, cuius et exterior, et interior ratio hic quoque appoſite ad rem deſcribitur. Ca-
p. 151. put *octauum* medicam politiam, quam reipublicae diaeteticen A. appellat, pertractat, cuius cognitione medicus, officii ſui partes explere cupiens, care-
p. 154. re nequit. Capitis *noni* argumentum a medicina forenſi depromitur. (Sed ab huius doctrinae doctore plus requiritur, quam a pauciſſimis, ſi ab vllo, praeſtari poſſe videtur. Etenim *V.* iubet medico iuueni in theatro anatomico cadauera exhiberi, vt ea haud aliter diſſecet, quam ſi de iis ad iudicem referre debeat. Quanta autem cadauerum copia neceſſaria eſſet, ſi, hoc exercitio, magna auditorum corona theoreticam, vt ita dicam, medicinae forenſis ſcientiam in vſum conuertere voluerit. Dein profeſſor medicinae forenſis diuerſam fetuum aetatem auditoribus ex fetibus in ſcenam productis oſtendere iubetur. Sed tot fetus recentes non in qualibet academia, quandocunque ipſis opus eſt, colligi poterunt; et ſi fetibus, ſpiritu vini aſſeruatis, vti voluerit profeſſor, tunc metus haud vanus eſt, ne auditores multa in iis videant,

quae

quae in fetu recenti haud occurrunt.) Caput *decimum* de arte veterinaria exponit. Caput *vndecimum* hiſtoriae et rei literariae medicinae mentionem iniicit. Caput *duodecimum* de docentibus eorumque officiis verba facit, vti *decimum tertium* rationem indigitat, qua auditores inſtitutione doctorum frui, eamque in vtilitatem conuertere debeant ſuam. Caput *decimum quartum* temporis, ad diſcendam recte medicinam neceſſarii, et ordinis, quo ſingularum eiusdem partium cognitio acquirenda eſt, rationem deſcribit. Denique caput *decimum quintum* idque vltimum in bibliothecae medicae ſelectioris copiis enumerandis verſatur. Quae quidem operis huius particula omnium minime nobis arridet; nec auctor cl. etiam de eadem tam praeclare ſentit, vt eam omnibus numeris abſolutam iudicet, vt potius eam in praefatione mancam pronuntiet, eiusque varias adferat emendationes et ſupplementa.

p. 158.
p. 162.
p. 167.
p. 175.
p. 181.
p. 185.

## XII.

*Lehrſätze der medicinischen Polizeywiſſenſchaft, von Dr.* ERNST BENIAMIN GOTTLIEB HEBENSTREIT, *d. A. W. öffentlichen Lehrers zu Leipzig. Leipzig* 1791.

i. e.

Theoremata ſcientiae medico-politicae etc. in 8. pagg. 262.

Experientiſſ. Auct. huius doctrinae, quae poſt illuſtris FRANKII immortale opus animos medicorum magis, quam antea, excitauit, compendium dedit praelectionibus de medica politia habendis aptiſſimum. Vſu ſuo edoctus H. vidit, non inutilem laborem ſuſceptum iri ab illo, qui poſt METZGERI

opuſculum in ſimili opere condendo deſudare voluerit. Nec operam oleumque perdidiſſe exiſtimandus eſt. Etenim ordine longe alio, et, quod nobis videtur, magis naturali omnem huius doctrinae ambitum emetitur, librorum notitiam exhibet, de ſingulis capitibus fuſius exponentium; denique leges atque decreta publica diligenter adnotat, de hoc illoue ad politiam medicam pertinente argumento lata. In his omnibus Noſtri a METZGERI opera differt, nec, putamus, temere. Nolumus tamen diutius in generalibus ſubſiſtere, ſed enarratis ſingulis ſectionibus lectores noſtros eo potius adducemus, vt ipſi de huius libri laude ſtatuere queant.

Introductio in politiae notitione in vniuerſum et politiae medicae in ſpecie definienda; in libris laudandis, qui de hac doctrina aut ex inſtituto, aut cum medicina forenſi coniunctim expoſuere; in ordine denique delineando occupatur, ſecundum quem varia politiae medicae obiecta tractari omnium commodiſſime poſſint.

p. 17. *Sect. I.* de aëris ſalubritate et domiciliorum conditionibus agit; qua occaſione contra ſepulturam in vrbibus dicitur. Quae commoda ſecuritati publicae priuataeque a conductoribus fulminis accedunt, ea (facile praeuidemus) repetitae huius libri editioni adp. 37. iicentur. *Sect. II.* ad curam alimentorum et potulentorum ſalubrium ſpectat. Notandum hic, inter alia, ad docimaſiam vinorum adulteratorum praecipue ſiue alcali phlogiſticatum ſiue HAHNEMANNI aquam hepaticam acidulatam commendari; eradicationem plantarum venenatarum proponi, cum in nonnullis regionibus animalia nociua deleta ſint publica auctoritate. In quo quidem nobis alia mens eſt, cuius rei cauſas hic enumerare nimis longum foret. — Cum de cereuiſia agitur, recte omnia additamenta reiiciuntur, nebriationem promouentia. Illa tamen, quae ſub nomine

nomine *Bauaricae* Lipſiae venditur, a ledo paluſtri, cui incoquitur, vim inebriantem habet. *Sect. III.* p. 73. regulas praecipit ad veſtium ſalubres conditiones ſpectantes. (Quae §. 152 — 155. de hoc argumento apte commemorantur, ea politiae medicae ordinanda concedimus: reliqua vero, quae antea expoſita ſunt; vix legibus publicis caueri poſſe videntur.) *Sectio IV.* p. 79. agit de delectationibus publicis, quatenus ad medici forum pertinent. (Probatur nobis commendatio ludorum gymnaſticorum veterum cum addita ab Auct. Cl. conditione: *quatenus morali politicaeque rerum noſtrarum conſtitutioni conueniunt.* Ceterum poterant hic quoque commemorari leges de coërcendo epularum nuptialium etc. abuſu latae. *Sect. V.* quaeſtionem agitat de opificiorum ſalubritate, vbi de morbis artificum. p. 86. *Sect. VI.* de fecunditate publica dicit (ad medicum ſpectare omnino quaeſtionem de monogamia polygamiaque, docet §. 186. Neque illam de matrimoniis inter diuerſas civium conditiones et matrimonii ad morganaticam conceſſione §. 191. a medici cognitione plane alienam eſſe apparet inde, quod ſanitatis publicae multum intereſt, omnes ordines maritari, coelibesque eſſe prohiberi. Lupanaria publica recte damnat Cl. H.). p. 90. *Sect. VII.* curas magiſtratus pro grauidis et puerperis expendit. Hic inter alia ventilatur etiam celebris illa quaeſtio de praecauendo infanticidio et abortu — vt et illa alia de ſectione caeſarea poſt matris mortem, cui patrocinari videtur Auctor. p. 103. *Sect. VIII.* dicit de cura neogenitorum eorumque educatione phyſica. De orphanotropheis ita ſentit auctor, vt ſub bona adminiſtratione toleranda ſint potius quam reiicienda. p. 118. *Sect. IX.* cautiones exponit, quibus calamitatibus occurratur; qua occaſione de coërcendis maniacis agitur. p. 142. *Sect. X.* praecepta continet ſeruandis iis neceſſaria, qui in vitae periculum incidunt. p. 148. *Sect. XI.* ad ea ſpectat, quae in cura morientium p. 156.

tium et mortuorum obſeruanda ſunt. De praematurae ſepulturae metu praecauendo praeclare diſſeritur, ſcriptis etiam diligenter notatis, quae de hoc argumento fuſius expoſuere. De inſpectoribus cadauerum et aedibus mortuariis, quae nuper et commendatae a medicis, et a magiſtratibus hinc inde apertae ſunt. Veremur tamen, ne metus praematurae ſepulturae a
p. 167. nuperis vltra modum auctus ſit. *Sect. XII.* de praecavenda morborum contagione et de conſtitutionibus epidemicis agit. Caute hic, quod laudandum eſt, inſitionem variola rum commendat Auctor, animaduertitque in eos, qui nimiis eam laudibus ornant. De
p. 188. phthiſis pulmonalis contagione. *Sect. XIII.* curam aegrotorum publicam ſpectat. Quoad quaeſtionem illam, praeſtetne pauperiores noſocomiis inferre, an in ipſis eorum domiciliis curare? ab HENSLERI partibus ſtat auctor, atque noſocomii bene conſtituti pro-
p. 199. prietates enumerat. *Sect. XIV.* dicit de praecauendis pecorum morbis. Luis bouillae inſitionem publica auctoritate imperandam haud probat Cl. H. quoniam obſeruationes de eius vtilitate inſtitutae mancae adhuc ſint. Deinde de rabie canina plene dicit. *Sect.*
p. 215. *XV* prolixe ſatis de bene conſtituenda re medica publica legibusque huc ſpectantibus agit. Refutantur argumenta REIMARI pro tolerandis medicis ſpuriis. Contra chirurgiae a medicina diremtionem violentam
p. 258. dicitur. *Sect. XVI.* denique quatenus medicina popularis toleranda ſit, disquirit. Ponderantur argumenta in vtramque partem.

En vtiliſſimi libri argumentum, cuius auctaria et emendationes quin ab auctoris clariſſ. diligentia et limandi ſcripta ſua aſſiduitate acceſſurae ſint editioni, quae haud deerit, nouae nonnullae nulli dubitamus. Sed iidem nos contendimus etiam, nulla amicitiae, ſed ſolius veritatis habita ratione, hunc libellum,

vti

vti quoque nunc eſt, praelectionibus academicis accommodatiſſimum iure meritoque ſuo commendari poſſe.

## XIII.

Recherches ſur les propriétés des alliages métalliques. Par Mr. ACHARD, Directeur de la Claſſe de Phyſique dans l'Academie Royale des Sciences et Belles-Lettres de Pruſſe, etc. etc. A Berlin, 1788. 4. Pagg. XVI. et 313.

i. e.

Inquiſitiones in proprietates metallorum compoſitorum. Auctore ACHARD.

Hoc opus praeſtantiſſimum, experimentorum a cl. ACHARDO ſuper metallorum compoſitionibus non ſine magno labore multisque impenſis inſtitutorum fructus, ſex in ſectiones diuiſum eſt.

*Prima ſectio* complectitur examen proprietatum ſubſtantiarum metallicarum, quae coaleſcunt, p. 1. ſi ferrum, cuprum, ſtannum plumbum, zincum, wismuthum, regulus antimonii arſenicique, bina, coniunguntur, ſic vt proportiones quantitatum metallorum, e quibus illae ſubſtantiae coaleſcunt, novem variis modis immutentur, i. e. commixtio ſecundum has fiat rationes, 1:1, 1:2, 2:1, 1:3, 3:1, 1:4, 4:1, 1:10, 10:1, exceptis ſolummodo illis ſubſtantiis, quae arſenicum continent. Hae enim ſecundum rationem aequalitatis confectae ſunt, nam ACHARDVM experimenta docuerant, metalla non recipere niſi quantitatem arſenici determinatam, adeoque inutile eſſe, plus eius adiungere aut proportiones immutare.

p. 61. *Altera ſectio* continet examen proprietatum ſubſtantiarum metallicarum, quae coaleſcunt, ſi ferrum, cuprum, plumbum, ſtannum, zincum, regulus antimonii arſenicique, terna, coniunguntur, commixtione ſecundum has rationes facta, 1:1:1, 3:1:1 1:3:1, 1:1:3, 6:1:1, 1:6:1, 1:1:6, 10:1:1, 1:10:1, 1:1:10, exceptis ſolummodo illis ſubſtantiis, quae arſenicum continent. Cuius rei ratio iam indicata eſt, idemque de reliquis ſectionibus tenendum eſt.

p. 185. *Tertia ſectio* docet proprietates ſubſtantiarum metallicarum, quae coaleſcunt, ſi eadem metalla quaterna coniunguntur; commixtione ſecundum has rationes facta, 1:1:1:1, 10:1:1:1, 1:10:1:1, 1:1:10:1, 1:1:1:10.

p. 257. *Quarta ſectio* complectitur experimenta capta cum ſubſtantiis metallicis, quae oriuntur, ſi eadem metalla quina ratione aequalitatis copulantur.

p. 279. *Quinta ſectio* exhibet proprietates ſubſtantiarum metallicarum, quae coaleſcunt, ſi ferrum, cuprum, plumbum, ſtannum, zincum, wismuthum, regulus antimonii et arſenici, ſena ac ſeptena, coniunguntur, ſic vt ratio ſeruetur aequalitatis.

p. 293. *Sexta* eaque vltima *ſectione* continentur inquiſitiones in ſubſtantias metallicas oriundas e confuſione argenti, platinae, cupri, ferri, plumbi, ſtanni, zinci, wismuthi, reguli antimonii, reguli cobalti et arſenici. Quoniam tentamina cum argento, platina reguloque cobalti admodum ſumtuoſa ſunt, auctor ſatis habuit, haec metalla bina coniungere, commixtionemque quamuis modo duabus rationibus (2:1, 1:2) inſtituere.

Compoſitiones metallorum admodum fuſibilium factae ſunt in crucibulis furnis immiſſis, qui ignem gignerent illis liquandis idoneum, omniaque metalla crucibulo vno eodemque tempore ingeſta

ſunt

ſunt. Vt, quantum fieri poſſet, calcinatio impediretur, crucibula, priusquam maſſa liquata in formam effunderetur, ſemper accurate operta ſunt; additaque eſt pinguedo ad partem calcinatam reducendam. Solum zincum non potuit ſemper retineri, ſic vt in plerisque ſubſtantiis metallicis non ea, qua ſumtum eſt, ratione inſit.

Quod ſi metalla colliquanda omnia eſſent liquatu difficilia, vno eodemque tempore crucibulo ingeſta, et igne camini ferrarii potentis fuſa ſunt. Calcinatio iisdem artificiis impedita fuit.

Si vero metalla facilis difficilisque fuſionis colliquanda eſſent, primo metallum refractarium igne camini ferrarii fuſum, tumque metallum fuſibilius adiunctum eſt. Vbi miſtura, quae plerumque protinus coagularetur, fluiditatem ſuam recuperauerat, in formam effuſa eſt.

Ad illas ſubſtantias metallicas formandas, quae arſenicum continerent, aliam viam auctor inſiſtere debuit. Primum metalla colliquanda crucibulo ingeſſit vna cum arſenico, cui diligenter admiſcuerat ſalis tartari alterum tantum (ponderis ratione habita), vt arſenicum figeretur; tum crucibulum bene clauſum, commiſſuris argilla probe obductis, expoſuit igni ad metalla fundenda idoneo; ſic regulus in fundo crucibuli repertus eſt, qui arſenicum contineret. Hunc regulum a ſcoria, quae ipſum contegebat, ſeparauit, inque alio crucibulo ſumma celeritate, ne arſenicum auolaret, liquauit, liquatumque protinus in formam effudit. — Haec methodus metalla cum arſenico copulandi vbique locum habet, ſi mixturas metallicas plurimum zinci tenentes, aut zincum purum arſenico iunctum excipias; etenim hoc ſemimetallum cum ſale neutrali arſenicali coit, vnde ſcoria naſcitur, a qua zincum, vtpote partim nimis diuiſum, partim deſtructum, non amplius ſeparari

parari poteſt. Forſitan iſti methodo aliquis obiiciat, ſalem tartari ad arſenicum figendum adhibitum hanc ſubſtantiam retinere, adeoque obſtare, ne cum metallis coëat; ſed tenendum eſt, arſenico longe maiorem eſſe cum metallis, quam cum ſalibus alcalinis, affinitatem, ſi haec corpora via ſicca tractantur. Via humida dantur forſitan caſus, vbi contrarium euenit; ſed hi huc non ſpectant.

Vt ACHARDVS miſturas metallicas exploraret, cylindri formandi fuerunt. Variis formarum generibus tentatis, vidit, formas e terra pingui diligenter formatas omnibus aliis praeferendas eſſe; etenim vitia fuſionis ibi minus frequenter occurrunt, terra pinguis ad certum vsque gradum dilatationi aut contractioni, quam metallum refrigerando patitur, cedit, praetereaque calorem non nimis cito abſorbet, ſic vt metallum compoſitum tamdiu fluidum maneat, donec partes ipſius in ordinem ſibi proprium coëant, ſique forte metalla, vel prorſus, vel ex parte, quiete ſecedant ac grauitati ſuae ſpecificae conuenienter disponantur, haec ſeparatio commode fieri poſſit.

Ne nimis exiles cylindri fierent, metalla auctor ea quantitate ſumſit, vt miſtura ſemilibram penderet. Cylindrorum diameter fuit ſemipollicaris, altitudo ſecundum pondus metalli mixti ſpecificum 4—6 pollicum. Idque de quinque prioribus ſectionibus valet: nam quae miſturae metallicae ſexta continentur ſectione, cum ipſis metalla inſint admodum pretioſa, coactus eſt noſter minorem eorum quantitatem adhibere: formis hic vſus eſt pariter cylindricis, ſed diameter ipſis erat $2\frac{1}{2}$ linearum, altitudo trium pollicum.

Ad omnia tentamina ACHARDVS metalla adhibuit puriſſima. Quod ferrum attinet, vſus eſt ferro fuſo ob nimiam difficultatem fuſionis ferri cuſi, quae tanta eſt, vt pleraque alia metalla caloris gradu ad ipſius

ipſius fuſionem neceſſario aut calcinentur, aut in ſcorias vertantur, aut volatiliſentur; id quod experimenta non poteſt non tum laborioſa tum admodum incerta reddere. Cum ferrum fuſum Zedenikenſe auctori ſatis purum viſum eſſet, eo vſus eſt. Regulus cobalti, quem vſurpauit, e zaffera Saxonica reductus fuerat. — Regulus antimonii elicitus erat ex antimonio ſine interuentu alius metalli methodoque ad regulum antimonii ſimplicem parandum vſu recepta, h. e. detonatione antimonii crudi cum nitri tartarique iuſtis portionibus.

Vt ne operis volumen nimis excreſceret, tentaminum ſuorum euentus auctor clariſſimus per tabulas, ratione iam ex aliis ipſius ſcriptis cognita, diſpoſuit, ſic vt totum opus e ſolis tabulis conſtet.

Hae tabulae in viginti duas columnas verticales diuiſae ſunt. Prima harum columnarum numerum compoſiti metallici indicat, hique numeri ad quintam ſectionem continua ſerie ſeſe excipiunt. Octo columnis ſequentibus tabularum primas quinque ſectiones conſtituentium inſcripta ſunt nomina metallorum, e quibus miſturae conſtant, idque ſequenti ordine: cuprum, ferrum, plumbum, ſtannum, zincum, wismuthum, regulus antimonii, et arſenicum. Tabulae ſextae ſectionis auctae ſunt tribus aliis columnis verticalibus, nam ad miſturas metallicas, de quibus ibi agitur, ſumta ſunt tum metalla modo memorata, tum argentum, platina cobaltique regulus. In columnis, quibus nomina metallorum ſuperſcripta ſunt, numeri reperiuntur proportionem metallorum ſimplicium indicantes.

Decima columna docet, num metalla fuſa ratione aequabili coierint, an in forma feceſſerint, ſic vt haec ipſorum ſeiunctio ſit viſibilis. Poſſunt caſus dari, vbi habitus externus non indicat, an ſeparatio metal-

metallorum facta ſit: huiusmodi in caſibus in decima columna non notatur, poteſtque tantummodo e comparatione ceterarum proprietatum aliquid ſuper hac re concludi. Comparatione habitus externi fracturae metalli compoſiti in parte cylindri ſuperiore et inferiore, ſimulque reſiſtentia, quam lima in vtraque extremitate ſuſtineret, vſus eſt noſter, vt diſceret, num vera miſtio facta eſſet, an ſola aggregatio; nam ſi ſola accidiſſet aggregatio, metalla in forma ſecedebant, ſic vt ponderoſius fundum peteret, leuius partem cylindri ſuperiorem efformaret. Quae ſeparatio quo facilior redderetur, auctor ſemper formas verticaliter tenuit, cum miſturam liquidam ingereret. Quod ſi metalla, quae confunduntur, pondere ſpecifico inter ſe multum diſcrepant, praetereaque in forma aliquamdiu manent, priusquam ſolida fiant, facillime ſeparantur; ſin pondere ſpecifico parum differunt, citiſſimeque coagulantur, ac praeterea etiam gradu fuſibilitatis parum diſcrepant, admodum difficile eſt, externo habitu agnoſcere, metalla vere miſta an modo adgregata ſint. Hoc in caſu ſaepiſſime accidit, vt metallum, etſi a ceteris ſeparatum, in particulas minutas aut granula diuidatur per totam maſſam ſatis aequaliter ſparſa, tumque ſaepe fieri nequit; vt intelligas, ſeparationem vere accidiſſe. Haec igitur columna non indicat coniunctionem vniformem, niſi quatenus ſecundum habitum metallorum compoſitorum externum locum videtur habuiſſe.

Columna vndecima docet habitum externum fracturae metalli compoſiti, ſi idem eſſet in parte cylindri inferiore ac ſuperiore; quod locum habet, ſi combinatio vniformis eſt, certe eſſe videtur. Tum auctor fracturam in vniuerſum deſcripſit; in caſu contrario deſcripſit habitum fracturae in parte ſuperiore et inferiore cylindri.

Columna

Columna duodecima docet, quid lima in metallum compoſitum valeat. Tentamen hoc ſemper in vtraque extremitate parteque media cylindri factum eſt. Quod ſi quid diſcriminis illis in locis appareret, id notatum eſt.

Columna decima tertia indicat pondus ſpecificum metalli compoſiti, pro vnitate ſumto pondere ſpecifico aquae ad temperaturam 12 graduum REAVM. Hac in columna duo reperiuntur numeri, alter ſub altero: primus indicat pondus ſpecificum partis cylindri ſuperioris, alter inferioris; duplex haec determinatio neceſſaria fuit, vt intelligeretur, num per quietam miſturae metallicae refrigerationem ſeparatio metallorum partialis accidiſſet, quae neque habitu externo fracturae neque lima agnoſci poſſet. Nam ſi talis ſeparatio facta eſſet, metallum ponderoſiſſimum in parte cylindri inferiore eſſe debebat, niſi purum, certe maiori copia, quam in parte cylindri ſuperiore; id quod de cupro cum plumbo aut wismutho commiſto valet. Ceterum auctor in pondus ſpecificum miſturarum metallicarum non inquiſiuit, niſi vbi metalla aequabiliter combinata viderentur; in caſu enim contrario omnino inutilis erat omnis proprietatum adgregati metallici, vtpote a miſtione metallorum chemica non dependentium, indagatio. — Tenendum tamen eſt, differentiam inter pondera ſpecifica partis ſuperioris atque inferioris cylindri non ſemper indicium certum eſſe compoſitionis diuerſae neque aequabilis; etenim cum metallum in parte cylindri inferiore tardius, quam in ſuperiore, vbi ab aëre contingitur, refrigeſcat, praetereaque a pondere partis ſuperioris comprimatur, fieri poteſt, vt ibi partes ipſius alia ratione coëant, aut numerus pororum minor fiat; id quod etiam caſu poteſt accidere, qui partem cylindri aliam alia reddat poroſiorem. Quam rarum hoc ſit, etiam hinc

hinc intelligitur, quod eadem ponderis ſpecifici differentia in metallorum quoque ſimplicium cylindris ſaepe obſeruatur. — Bilanx hydroſtatica a noſtro adhibita parte grani decima ſexta afficiebatur.

Columna decima quarta indicat duritiem metalli miſti. Ad hanc accurate definiendam auctor ſuper tabula firmiter erigendas curauit duas columnas quadrangulares ligneas, ſex pedes altas, per totam ſuam longitudinem in pollices diuiſas, ſupra per aliud lignum iunctas, quod ipſas ad aequalem diſtantiam contineret. His columnis longitudinaliter inſculptae erant rimae, inter quas maſſa chalybis pondere 7 librarum et 29½ lothonum ſurſum deorſum libere moueretur. Superficies inferior huius mallei conſtabat e chalybe duro, eratque admodum plana ac polita; parti ipſius ſuperiori filum alligatum erat trochleae in ligno transuerſo columnas iungente fixae circumvolutum, ſic vt filo attracto malleus pro arbitrio elevaretur, relaxatoque illo ex altitudine, ad quam elevatus erat, in laminam chalybis indurati planam politamque tabulae inter duas columnas ſitae horizontaliter affixam irrueret. Huius machinae ope ACHARDVS duritiem metallorum compoſitorum relatiuam determinauit. Hoc conſilio e media cylindri cuiuslibet parte globum torno ſibi curauit conficiendum, cuius diameter eſſet dimidii pollicis. Praeterea ſibi parauit ſcalam, quae diametrum globorum in centum partes diuideret. Globis in lamina chalybea poſitis, malleum primo ex altitudine duorum pollicum dimiſit. Menſurata diametro impreſſionis circularis in globo factae, malleum in eundem locum iterum ex altitudine duorum pollicum demiſit, iterumque impreſſionem menſurauit. Tum deinceps, ſed ſemper in eundem globi locum, ictus altitudine pollicum 3, 4, 5, 6, 12 et 50 dedit, ſic vt ictus pollicum 6 et 12 decies, ictusque pollicum 50 tamdiu

repe-

repeteret, donec globus frangeretur, aut in laminam admodum ſubtilem tranſiret. Poſt ſingulos ictus pollicum 3, 4 et 5 impreſſiones menſurauit, itemque poſt denos ictus pollicum 6, 12 et 50. Ab ictibus vlterioribus abſtinuit, ſimul ac globus frangeretur; id quod nonnunquam poſt primum ictum accidit, quo in caſu impreſſio non potuit menſurari. — Horum experimentorum euentus in columna decima quarta enarrantur. Numeri ad ſiniſtrum indicant altitudines, e quibus malleus in globum deinceps decidit, numerique correſpondentes ad dextram diametrum impreſſionum per hos ictus factarum centeſimis partibus diametri globi expreſſam ſiſtunt. — E miſturis metallicis, de quibus in ſectione ſexta agitur, ob exiguam maſſae quantitatem globi formati ſunt minoris diametri 42 partes ſcalae aequantis. Impreſſiones tamen eadem ſcala menſuratae ſunt, adeoque non centeſimis, ſed quadrageſimis ſecundis partibus diametri globorum exprimuntur. His globis ob minorem magnitudinem initio duo deinceps ictus altitudine modo vnius pollicis inflicti ſunt.

Columna decima quinta ictus indicat, quos metallum ſuſtinere poteſt, priusquam rumpitur, aut fiſſura in ipſo agitur. Iidem globi eademque machina, quibus auctor ad duritiem metallorum compoſitorum indagandam vſus eſt, etiam hic adhibita fuerunt. Numeris exprimuntur altitudo, e qua malleus in globum deinceps decidit, ictusque, qui primam egit fiſſuram, aut globum diffregit.

Columna decima ſexta ductilitatem metalli vel gradum indicat, ad quem illud per ictus vis cognitae ſic poteſt extendi, vt non frangatur, neque rimas agat. Reperiuntur ibi diameter maximae impreſſionis, quam ictus in duabus columnis praecedentibus indicati ſic produxerunt, vt nulla oriretur fiſſura, diameterque impreſſionis tum ortae, cum globus rimam age-

ret aut frangeretur. Ad menſurationem eadem ſcala adhibita fuit, quae globi diametrum in centum partes diuidit, adeoque vnitas numerorum diametros impreſſionum indicantium eſt pars centeſima diametri globi, qualis ante experimentum fuerat. Quoties (quod ſaepe accidit) primus ictus globum frangeret, non extendi ſe modo determinabili paſſus eſt; vt tum tentaminis euentus hac in columna numeris exprimi non potuerit, adeoque miſtura metallica aut prorſus non, aut gradu non menſurabili ductilis cenſeri debeat.

Columna decima ſeptima vim indicat, qua metallum compoſitum partium ſuarum diſſolutioni reſiſtit. Ad cohaerentiam partium tam abſolutam quam reſpectiuam determinandam excogitauit auctor machinam admodum ſimplicem. Conſtat e vecte ferreo brachiis inaequalibus; vnius brachii longitudo quadrupla eſt longitudinis alterius. Mouetur hic vectis circa axem chalibeum, brachiique minoris vis ad partes metalli diuellendas adhibetur. Vſus eſt ACHARDVS ad haec tentamina cylindris capitatis, quorum longitudo (capitibus exceptis) duos pollices, diameter $\frac{86}{100}$ lineae Pariſinae aequaret. — Apparet hinc, magnum ſaepe diſcrimen inter cohaerentiam abſolutam et reſpectiuam dari. — In ſexta ſectione tantummodo cohaerentia abſoluta indicatur.

Columna decima octaua docet, num metallum compoſitum politurae egregiae capax ſit.

Columna vndeuiceſima indicat, num politura in aëre ſicco, qualis eſt conclauium, ſtabilis ſit.

In columna viceſima docetur, num permaneat in aëre humido, hoc eſt, expoſita pluuiae, rori, atque humectationi ſiccationique ſucceſſiuae.

Columna viceſima prima edocet, quis ſit vaporum acidorum in ſuperficiem politam metalli compoſiti effectus. Vſus eſt auctor ad haec experimenta acido muriatico. Cum his vaporibus per viginti quatuor

tuor horas metalla polita expoſuiſſet, ea aliquot dies in aëre conclauis libero ſeruauit, tumque mutationes, quas paſſa erant, examinauit. Vapores alius acidi dubitari nequit quin in nonnullis caſibus pro actione eius particulari in metallum maximam miſturae partem conſtituens diuerſos effectus produxiſſent; ſed omnia acida tentari non potuerunt.

Columna viceſima ſecunda immutationes ſiſtit, quas ſuperficies polita vniuscuiusque miſturae metallicae vaporibus phlogiſticis expoſita patitur. ACHARDVS hoc conſilio metalla polita in ciſta ampla collocauit, vbi hepar ſulphuris acido adfuſo componeretur. Cum per horas viginti quatuor ibi manſiſſent, per aliquot dies aëri libero expoſita, poſtque examinata ſunt.

Vt ea noſter reperiret, quae in poſtremis quinque columnis docentur, quinque laminis politis vniuscuiusque metalli compoſiti opus fuit. Deſumtae fuerunt ſine vllo diſcrimine de parte ſuperiore aut inferiore cylindrorum, ſic vt ſectio axi ipſorum perpendicularis eſſet, adeoque laminae circulares prodirent. Vnum latus laminae cuiuslibet diligenter poliebatur, alterum cera chartae adglutinabatur.

Vt proprietates metallorum compoſitorum cum proprietatibus ſimplicium comparari poſſint, ACHARDVS etiam metallorum purorum indolem examinauit, huiusque examinis euentum in tabula peculiari tabulis, e quibus ſectiones conſtant, praefixa propoſuit. Tantummodo habitum externum fracturae metallorum purorum limaeque in ea effectum, vtpote res notiſſimas, hac in tabula omiſit.

Ad maſſam platinae parandam primo platinam cum ſale neutrali arſenicali fudit, tumque arſenicum calore continuo fortique camini ferrarii abegit. Maſſa ſic parata in laminas diuiſa eſt. Huius platinae grauitatem ſpecificam definiit. Admodum erat po-

roſa; quae cauſa noſtro videtur, quamobrem pondus platinae ſpecificum longe aliud, quam alii phyſici, repererit (13, 5714). Igitur hanc non veram platinae grauitatem ſpecificam eſſe cenſet.

Inſignis differentia reperitur inter reſiſtentiam aut cohaeſionem partium metallorum purorum, qualem noſter definiit, illamque, quam alii phyſici invenerunt. Cuius diſcriminis princeps ratio noſtro videtur, quod illi metallis in fila ductis vſi ſunt. Metallum enim dum hanc figuram induit, vndique comprimitur, adeoque non poteſt non magis ſolidum fieri.

## XIV.

## Noua literaria.

Ab anno inde praeterito experimenta Cl. GALVANI, vires electricitatis in motum muſcularem concernentia, atque ſingulari commentario: *de viribus electricitatis in motu muſculari*, Bonon. 1791. deſcripta, animi attentionem virorum, et phyſica, et medica eruditione inſignium, iure meritoque meruerunt. Putabant enim, non ſolum repertum eſſe ſic vehementiſſimum fibrae muſcularis ſtimulum, quo ea, omnibus aliis irritis, excitari iterum poſſet, ſed etiam naturae myſteria, quibus agens per neruos principium hucusque obſeruatorum intelligentiae quodammodo ſubtrahebatur, nonnihil reuelata eſſe. Quo grauiora igitur haec experimenta eſſe videntur, eo magis mirandum eſt, inter phyſiologos et phyſicos Germaniae tam paucos hucusque extitiſſe, qui ea repetere, variare, et in eorum cauſſam inquirere ſtuderent. Praeter experientiſſimos ACKERMANNVM Moguntinum *), et

*) Cf. *Salzb. medic. chirurg. Zeit.* 1792 Vol. 3. p. 289 — 297.

et BEHRENDS *) nouimus neminem, qui hiſce experimentis inſtituendis tempus ſtudiumque dicaret ſuum. Quam ob rem ſperamus, fore, vt a noſtrorum Commentariorum lectoribus iis, qui talibus delectantur diſquiſitionibus, gratiam ineamus, ſi cum illis ea communicauerimus, quae inter phyſicos noſtrae aetatis celeberrimos facile princeps, ALEX. VOLTA, multis inuentis phyſicis clariſſimus, hac de re nuper ad nos perſcripſit:

„Ineunte vere huius iam prope labentis anni reuocabar ad electricitatem, occaſione phaenomenorum oppido mirabilium, quae ſuis tentaminibus Cl. GALVANIVS, Bononienſis Profeſſor, detexit deſcripſitque **), quibusque euiciſſe videtur, vigere perpetuo in animalibus cuiusque ſpeciei aliquam electricitatem ab ipſis et in ipſis organis vi vitae ſponte concitatam; ſcilicet fluidum electricum, rupto naturaliter aequilibrio, in neruis iam non quieſcere, ſed eſſe in continuo aliquo motu aut ſeſe ex hac in aliam partem, quatenus redundat vel deficit, effundendi niſu. Quare experimenta illa omnia GALVANII primum iteraui, tum deducta ex iis conſectaria ad examen reuocaui, nouis praecipue inſtitutis de induſtria tentaminibus, quibus multa detegere nobis datum eſt, quae ipſum GALVANIVM aliosque phyſicos, eandem poſt illum viam ingreſſos, fugerunt ***). " —

 „Inter

*) In Diſſert. qua cor neruis carere demonſtratur. Mog 1792. 4.

**) In opere ſupra commemorato, cuius etiam verſio germanica editore I. MAYERO, Pragae 1792. 8. prodiit.

***) Hac de re edidit iam duas diſſertationes Celeb. VOLTA in Diario Cl. BRVGNATELLI, (*Giornale fiſicomedico*) de quo propediem ad lectores referemus noſtros.

„Inter praecipuas quaeſtiones nondum conſtitutum eſt, num in experimentis GALVANII validiſſimae, quae excitantur, contractiones muſculorum et artuum motus, ob duplicem metalli attactum hinc muſculo, inde neruo animalis rite diſſecti ac praeparati, qui motus electrico fluido, ab vna ad aliam partem per arcum conductorem irrumpenti, deberi, vix eſt, qui dubitet, ideo eueniant, quod hocce fluidum ſponte, ſeu vi ipſa organorum animalium ad hanc vel illam partem tendat, quo in caſu vera ac propria animalis electricitas dici mereretur, quodque Cl. GALVANIVS tuetur; num, inquam, aliquando ſaltem hoc ita fiat, an, quod pluribus in caſibus aliter euenire iam prorſus demonſtraui, metalla in experimentis adhibita, cum partibus animalium ſucco plenis admouentur, atque apte applicantur, per ſe ac propria virtute fluidum electricum, alias quietum, turbare, concitare, pellere queant, adeo, vt organa animalia non niſi paſſiue ſeſe habeant. Equidem metalla, quin et carbones lignorum optimos non ſolum perfectiſſima eſſe electricitatis *deferentia*, verum etiam *excitantia* ope ſimplicis contactus, indubiis nuper experimentis euici. Prius, ſcilicet metallis atque carbonibus ligneis electricitatem vndecunque excitatam, h. e. ad aequilibrium, quod amiſerat, reſtituendum nitentem, facillime traducendi vim ineſſe, iam notum erat. Poſterius vero, nempe iisdem corporibus poſſe electricae materiae aequilibrium turbari, nouamque creari electricitatem, meum inuentum eſt. Debilem hanc profecto ac communibus electrometris, quamuis exquiſitis, nullo modo detegendam, ſed quae nerueis fibris, quas forte offendit, muſculisque conuellendis par ſit, absque vlla frictione aliove artificio, modo apte applicentur aquae, aut corporibus aqueo humore imbutis, cuiusmodi ſunt nervi atque muſculi animalium ſiue viuentium, ſiue recens

cens enectorum, reuera excitant metalla carbonesque vi ac virtute propria, quatenus ipsa fluidum electricum impellunt coguntque ad ingressum vel egressum e superficie, quam contingunt. At vero, si duobus in locis positae sint huiusmodi armaturae nervorum metallicae, ex vno eodemque metallo conflatae, atque inter se aptissimo quouis conductore communicent, quid tunc exspectandum? Fortasse vtraque armatura suget vel euomet tantillum fluidi electrici, sed obsistent sibi inuicem aequali nisu atqueadeo nullus ex vna ad alteram eueniet transfluxus circulatio nulla. Ergo ad diuersa metalla confugiendum, quae prout inaequali, vel etiam contraria vi in attactum corpus agunt, transfluxum tunc satis magnae copiae fluidi electrici, si arcus conductor non desit, cient et vsque promouent ab vna scilicet ad aliam partem, quas ipsae armaturae obtegunt. Quae quidem partes si, vt et reliquae intermediae, satis deferentes sint, fluidum electricum iugiter in gyrum abripietur. Iam vero si illud in hoc continuo fluxu ac in qualibet circuitus parte neruos, siue sensui, siue motui inseruientes, offendit, hos excitabit, ita, vt pro muneris, quod obeunt, diuersitate aut sensationem pariant, vti in apice linguae contingit, quae sapore vel acido vel alcalino afficitur iuxta nouissima mea experimenta, provt fluidum electricum ingreditur exitue ex ipso apice linguae, aut contractiones musculorum motusque artuum excitent, quod saepius euenit, cum nempe illud in neruos crurales, aut brachiales, aut quoslibet motibus voluntariis dicatos, qui latissime patent, incurrit. En rationem phaenomenorum, quae fidenter nimis electricitati animali adscribuntur, *quaeque ego electricitati artificiali, siue extrinsecus excitatae, tribuere malim.*"

„At nullumne prorsus erit in omnibus GALVANII experimentis, quod illa iure sibi vindicare que-

at? Hoc equidem non auſim definire. Dico tantum, illa omnia, in quibus irrito ſucceſſu metalla aequalia adhibentur, et, vt contractiones muſculorum efficiamus, ad diuerſa confugiendum eſt, nihil valere ad veram ac propriam organorum electricitatem, actiuam nempe, adſtruendam, cum illa organa paſſiue ſe habere videantur. Porro eiusmodi caſus, in quibus non niſi contactu metallorum diuerſae ſpeciei excitari poſſunt motus muſculares, ſunt longe plures; pauciſſimi contra ea dantur, in quibus etiam ope eiusdem metalli cõntingunt: cumque vix percipienda diuerſitas aliquando efficiat, vt vel metalla eiusdem nominis ac ſpeciei aliquibus edendis effectibus non imparia ſint, valde dubitandum videtur, quominus tunc etiam, cum armaturae metallicae prorſus ſimiles inuicem eſſe videntur, et nihilo tamen minus excitandis motibus muſculorum inſeruiant in partibus animalium praeparatorum, in quibus denudati nerui adhuc eximia pollent excitabilitate, inperceptibilis aliqua differentia in ſuperficie ſaltem metallorum plus minusue aſpera etc. in cauſſa ſit, cur fluidum electricum etiam hic ad transfluxum cieatur.“

„Etiam ſi tandem electricitas haec animalis activa in organis, quam GALVANIVS tuetur, iterum euaneſcat, ſtabit tamen incomparabilis ac miranda fibrarum, praecipue neruearum, excitabilitas ope ſtimuli electrici. Ex altera quoque parte remanebit nouum electricitatis artificialis principium, a me detectum, quod maximam huic ſcientiae lucem afferre poteſt, nempe vis ac virtus metallorum et carbonis concitandi atque pellendi fluidum electricum ope ſimplicis contactus cum corporibus quibuslibet humidis ac per hanc ipſorum qualitatem deferentibus; id quod certis experimentis extra corpora animalia inſtitutis confirmaui.“ —

*Memo-*

*Memoria* P. R. FRC. WILLEMETI *).

PETR. REMIG. FRANC. WILLEMT, natus Nanceii d. II. April. cIↃIↃccLxII. e Patre *Remigio*, qui Demonſtratoris chemiae regii prouinciam ibi cum laude tuetur et nobiscum etiam amicitia aliisque humanitatis officiis iunctus eſt. Patre hoc, ſtudii naturae pleniſſimo, cum vteretur, haud mirum, quod et filius mature inter alia, quibus iuuenilis animus recte locupletari et exornari ſolet, etiam inſigni erga naturam amore imbueretur. Neque vero curam paternam ſpemque de eo ab omnibus, qui noſtrum Willemetum norant, conceptam deſtituit. Etenim linguarum graecae et latinae eam ſibi comparauerat cognitionem, vt verſionem nonnullorum, quae Anthologia continentur, epigrammatum ligato ſermone anno aetatis XV. factam, et per diaria publica cum eruditis communicatam cum laude exciperent periti aequique harum rerum aeſtimatores. Praeterea literaturae cum antiquae tum recentioris, geographiae, hiſtoriaeque cum politicae, tum naturalis late patentes campos tanto cum ſucceſſu coluerat, vt ante annum aetatis decimum ſextum a ſocietate literaria et patriotica Haſſo-Homburgenſi (!) inter membra legeretur ſua.

Sed nondum expleta erat illius diſcendi cupido; patrem potius enixe rogitabat, vt ipſi ſtudiorum ſuorum curſum Lutetiae Pariſiorum abſoluere liceret. Ibi tanto cum feruore ſtudiis operam dabat, vt quolibet per aeſtatem mane hora iam quarta e lecto ſurgeret, praelectionibusque MONNIERII in botanicen, in horto regio haberi ſolitis, intereſſet. Quod quidem negotium, ipſi ſemper gratiſſimum, haud prius



*) Deſumta e ſchediasmate: *Notice ſur* PIERRE REMIG. WILLEMET, *de la ſoiceté d' biſtoire nat. Par* AUBIN LOUIS MILLIN *de la même ſocieté.*

relinquebat, quam aperta rhetorices ſchola in collegio Mazarini ipſum inde auocabat. Quae ipſi ab his ſtudiis ſupererant temporis momenta, ea in bibliotheca regia tranſigebat, vbi non ſolum ſplendidiora atque adeo magni pretii opera, hiſtoriam naturalem et antiquitates illuſtrantia, peruoluebat, ſed in manuſcriptis quoque codicibus excutiendis operam haud leuem ponebat. Varia inde inedita ORIBASII aliorumque medicorum graecorum, nonnullasque diſſertationes de metris graecis, nondum quoque typis exſcriptas, deſcribebat, emendabat, latinaque verſione et breui commentario illuſtrabat. In itinere, quod Argentoratum ſuſceperat, BRVNKII, edendis graecis latinisque ſcriptoribus inter nos clari, familiaritatem ſibi comparauit, cui cum iſta manuſcripta placere intelligeret, omnia ceſſit.

Studiorum, quae in Gallia ſub rhetorice comprehenduntur, ſtadio Pariſiis expleto anno cIↃIↃccLXXXI. in patriam vrbem reuerſus medicinae addiſcendae totum ſe tradebat. Anno eodem de *uſu fluidi elaſtrici in oeconomia naturali*, et anno ſequenti aliam diſſertationem defendebat, qua inquirebat, *an vires plantarum ex ipſarum characteribus botanicis deduci queant.* Honorem et iura doctoris medici ipſi peperit diſputatio contra diſſentientes cum laude defenſa *de uſu frigoris medico*, de qua comment. noſtror. vol. XXVI. p. 651. ad lectores relatum eſt noſtros. Anno proximo Lutetiam Pariſiorum denuo adibat, vt ibi praeceptores hiſtoriae naturalis, chemiae et clinices ſequeretur. Sed haud ita multum hoc otio frui ipſi licuit, quippe cum noſodochii militaris medicus conſtitutus Argentoratum mitteretur.

Quod quidem publicum munus ipſum haud penitus a ſtudio hiſtoriae naturalis, quo ſummopere delectabatur, auocare poterat, ut potius omnes, ab illo liberas, huic dicaret horas. Detexerat tunc, multas

multas *Medicaginis polymorphae* varietates hoc nomine neutiquam insigniendas esse, sed inter species huius generis veras et constantes referendas.

Physiologiae docendae prouincia ibidem ad eum deferebatur, quam ita administrauit, vt laudem inde inueniret. Quod otii ipsi supererat, id omne impendit itineri in montem Vogesum ad plantas, aliaque naturalis historiae obiecta ibi colligenda. Excogitauit quoque methodum naturalem, qua studium botanicum facilius reddi discentibus posse existimabat. Eodem anno epistolam in diario, cuius editionem Cl. AVBIN LODOV. MILLIN curabat: *Melanges de litterature étrangère*, publici iuris fecit de flora Iaponica Thunbergii.

Redux in patriam vrbem recipiebatur Noster in collegium medicorum: qua quidem occasione ex instituto maiorum commentabatur in sextum aphorismum sectionis I. HIPPOCRATIS.

Excursiones, quas in Lotharingiam suscepit, magna copia corporum, e triplici naturae regno petitorum, thesaurum rerum naturalium, quem studiose colligebat, locupletabant. Praelectiones botanicae, quas eo tempore habebat, magnopere ob sermonis perspicuitatem ordinisque methodum laudabantur.

Cum anno huius seculi LXXXVIII. Parisiis commoraretur, fuit inter eos, qui societatem Linnaeanam, cuius et nos mentionem supra p. 528 ff. iniecimus, fundarent eiusque conuentus praelectionibus eruditissimis ornarent.

Iam longo e tempore cum, exteras regiones adire vt ipsi contingeret, ardentissime exoptaret, arripiebat cupidissime opportunitatem, quam ipsi legati TIPPOO-SAIBI obtulerunt, eorumque in patriam comitem sese adiungebat. Non solum in promontorio bonae spei, sed etiam aliis in regionibus, vbi

naues

naues paullulum detinebantur, plantas colligebat, quarum indicem criticum Cl. MILLINO transmittebat, vt eum publici faceret iuris. Dolendum eſt, plantas ipſas, quarum deſcriptionem breuem dederat WILLEMETVS, in manus huius viri non veniſſe, ſed in itinere fortaſſe intercidiſſe.

A tam acri et flagranti naturalis hiſtoriae amore quid non exſpectare iure meritoque poteramus! Sed omnem ſpem de illo conceptam praecidit vir, cuius nomen quilibet probus indignabundus nominabit, CONWAIVS, qui Pondicheriae praeſidis prouinciam tuebatur, et aduenam Willemetum tanta cum barbarie perſequebatur, vt is in morbum incideret, qui corpus tantopere fregit, vt illud coeli temperiem, vehementi ardore moleſtam, ferre haud poſſet. Quam ob rem haud multum poſt, quam in regionem TIPOO-SAIBI imperio ſubiectam peruenerat, Seringa-Patnami, quae illius regni caput eſt, anno cIↃIↃccxc. mortuus eſt.

Praeter illa, quae commemorauimus, opuſcula plura inchoauit, quorum profligationem mors praematura impediuit. Scilicet animus ipſi erat, omnes naturalis hiſtoriae partes ad MORISONI exemplum tabulis ſynopticis comprehendere. Igitur quamlibet ſpeciem nomine vniuoco inſigniuerat, ad quod apte inueniendum immenſo labore nomina ſpecierum, quae quauis in regione vulgaria eſſe ſolent, ſibi cognita reddere ſtuduit. Praeter hoc vaſtum et multae eruditionis opus etiam *ſyſtema fungorum* adornauit, quod veluti ſpecimen erat methodi ſynopticae, cuius modo mentionem iniiciebamus. Materiem huius operis rudem adhuc ac indigeſtam componi atque in ordinem redigi propterea non poſſe, quod explicatio ſyſtematis, quod animo conceperat b. Auctor, deſit, eo magis dolemus, quo certius

certius ſcimus, WILLEMETVM in hac botanices parum culta parte multum deſudaſſe.

*Academiae.*

D. XXIV. Nouembr. huius anni celebrauit ſocietas regia ſcientiarum Gottingenſis ſolemnia de condita ante XLI. annos ſocietate. Qua quidem opportunitate praemia iis diſſertationibus, quae ex iudicum ſententia optime votis ſocietatis ſatisfecerant, publice decernebantur. Et quidem hiſtorica claſſis inter commentarios *de rebus Traiani ad Danubium geſtis* etc. *enarrandis* ipſi exhibitos duo inprimis laude et qui typis exſcribantur, dignos pronuntiauit, quorum alteri, qui epigraphen: *Quamquam* o! in fronte gerebat praemium adiudicatum eſt, alterius cum epigraphe: *Magis in ſtudiis homines timor, quam fiducia decet*, honorifica mentio iniecta. Claſſis vero oeconomica inter diſſertationes, de argumento ad diſceptandum publice propoſito ad ipſam miſſas, nullam eſſe, quae praemio digna ſit, decreuit.

Argumentum, quod menſe Nouembri futuri anni praemio dignum iudicatum eſt a phyſica claſſe, *bilis hepaticae et cyſticae naturam* concernit **).

Claſſis mathematica menſi Nouembri cIↃIↃccxciv. ſolutionem huius quaeſtionis deſtinauit: *Cum doctrina de natura aquae compoſita, quamuis magno plauſu excepta ſit, tamen iis omnibus, qui ſubtilem naturae cognitionem magis, quam phaenomenorum quorundam expoſitionem curant, primo intuitu placentem, nondum extra omnem dubitandi aleam poſita eſſe videatur; ſocietas optat, vt noua eaque perſpicua atque accuratis*

**) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXII. p. 177. vbi de hoc argumento fuſius expoſuimus e programmate publico academiae.

*curatis menſionibus innixa experimenta inſtituantur, quibus haec doctrina aut omnino firmetur aut euertatur.*

Claſſis hiſtorica praemium promiſit quinquaginta nummorum hollandicorum, quod et optimae ſolutioni priorum quaeſtionum dicatum eſt, illi in conventu, qui Nouembri menſe cIↃIↃccxcv. habebitur, ſoluendum, qui *ex tabulariis publicis priuatisque, atque ex relationibus, vel typis exſcriptis, vel manuſcriptis optime docebit, quae quantaque commoda in terras, quae imperio Regis Georgii III. in Germania ſubſunt, ex ipſarum cum Hanſa coniunctione redundauerint.*

Oeconomica argumenta, ab hac ipſa ſocietate publice propoſita, ſunt haec: et quidem Iulio anni proxime futuri *ratio aptiſſima atque impenſarum minimarum, pauperibus aegrotis in vrbibus ſuccurrendi* doceatur; Iulio cIↃIↃccxcIv. *poſſuntne fruges, quarum grana nondum ſpicis excuſſa ſunt, in Saxonia inferiore, vt horreis carere agricolae poſſint, in ſtrues congeri? et quo modo obuenientes difficultates optime tolluntur?* Denique menſe Nouembri cIↃIↃccxcv. *metuendumne eſt, ne respublica vere detrimentum faciat, ſi praediorum ruſticorum pro lubitu poſſeſſorum in minores agellos diuiſio, ita, vt onera et vectigalia inde penſitanda in aequales diſtribuantur portiones, ſine vlla circumſcriptione concedatur?* Praemium, cuilibet harum quaeſtionum optime ſolutae promiſſum, erunt XII. numi aurei Hollandici, et terminus, quem diſſertationes ad certamen admittendae excedere haud debent, pridie Calendas Iunias aut Octobres conſtitutus eſt, prout praemium aut Iulio aut Nouembri menſe diſtribuetur.

Inde a medio hoc anno Geneuae inſtituta eſt *Societas amicorum naturam ſcrutantium*, cuius ſocii praeter alios ſunt BONNET, IVRINE, GIETET, SAVSSVRE, SENNEBIER, TINGRES etc.

Magna

Magna igitur exſpectatio eſt de ſcriptis huius ſocietatis, quorum volumen propediem typis exſcribetur.

Academiae imperialis Naturae Curioſorum res, perill. eius quondam Directoris Cothenii, viri ſummi, munificentia, inſigniter eſſe auctas, *e notitia legati, quo* CHRISTIANVS ANDREAS COTHENIVS, *rel. Academiae Imp. Nat. Cur. liberaliter proſpexit*, ab Academiae t. t. Praeſide, b. Delio, viro perill. d. 20. Non. 1790. in lucem emiſſa, et in *Nouor. Actor. vol. 8. p. 183. et ſeqq.* typis repetita, ſatis ſuperque notum eſt. Neminem quoque, qui illas plagulas legerit, latet, id a viro, hoc nomine de Academia immortaliter merito, ea mente eſſe factum, vt illa, more aliarum Academiarum, quaeſtiones vtiles publice proponere, iisque, qui illis optime ſoluendis conſilio mentique iudicum ſatisfeciſſe videbuntur, ex vſuris pecuniae, quam Academiae legauit, dignum laboris praemium, monetam auream valoris viginti circiter ducatorum, poſſet decernere. Hac eius prouidentia academia ampliſſimam ſibi opportunitatem exoptatamque poteſtatem de litteris, de ciuibus, et vniuerſa patria, immo de toto genere humano bene merendi, datam eſſe laetatur. Voluit autem beneficus Teſtator, vt quaeſtiones illae, alternis annis proponendae, medicae practicae eſſent, et de praemio concertaturis occaſionem praeberent, doctrinam medicam nouis inuentis augendi, noua medicamenta proferendi, vel rebus abſtruſis dubiisque nouam adfundendi lucem. Huic eius voluntati obtemperaturus b. meus Anteceſſor, Delius, vir perill. poſt eius obitum in eodem, quod ſupra laudaui, ſchediasmate primam propoſuit quaeſtionem, de morbis primarum viarum, earundemque vera notione et cura, d. 10. Oct. 1789; atque, quum vix vnus, nec ſufficienter, ad illam reſpondiſſet, illam ipſam ſequenti anno repetiit, publicata d. 20. Nou. *vlterio-*

*ri*

*ri notitia thematis ad impetrandum praemium ex legato* b. COTHENII. Hoc facto, quinque b. Praesidi redditae sunt dissertationes, quibus ad quaestionem, in medium prolatam, varie respondebatur. Tum e numero ill. Academiae Adiunctorum eligebantur arbitri, qui decernerent, cuinam ex illis praemium constitutum esset concedendum. Hoc deinde, postquam Delius noster subitanea et improuisa morte esset exstinctus, illustriumque Academiae Adiunctorum beneuolentia in eius locum me suffeciſſet, statuto die, id est, d. 5. Ian. h. a., suffragantibus omnibus arbitris, cessit D. GE. CHR. TH. WEDEKINDO, viro ill., Celsiſſ. Princ. El. Mogunt. Consil. aul. et in Acad. Mog. Medicinae Professori, auctori dissertationis, solide et eleganter conscriptae, quae iam euulgata, in omnium manibus versatur. Binae vero monetae argenteae, eodem modo, sicut aureae, signatae, decretae atque redditae sunt binarum aliarum dissertationum, inter reliquas praecipuarum, auctoribus; altera quidem D. GERARDO ANTONIO GRAMBERG, Ser. Ducis Oldenb. Consil. Cancell. et Medico aulico ac militari, Oldenburgi, altera vero D. CORN. IO. VOSSIO, Med. Pract. Hagae Comitum, vtrique viro celeberrimo et de re medica bene merito. De hisce omnibus autem in *nouis literariis Erlangensibus* (No. IV. huius anni), vt et in aliis eruditorum diariis, plura relata sunt, et in proximo *Nouorum actorum* tomo referentur.

Nouum nunc certaminis argumentum eruditis est proponendum; et ipse hic dies, quo haec scribimus, idem, quo testamento signato b. Cothenius Academiae tantum propensae suae erga illam voluntatis dedit pignus, hac de re nos admonet. Notissimum vero est medicis, quam grauis morbus sint scrophulae; quam obscura adhuc, etiam post nouissimos celeberrimorum virorum labores, eius indoles, et quam difficilis sit et cognitu, et curatu. Visum itaque est,

praeuia

praeuia deliberatione cum coniunctiſſimis Collegis, eruditos Medicos, quibus frequens hunc morbum obſeruandi fuit opportunitas, inuitare, vt accuratius, quam hucusque factum eſt, „1. naturam acrimoniae „ſcrophuloſae nouis obſeruationibus explicent; 2. „ſigna diagnoſtica certiſſima, quibus virus ſcrophu„loſum, in corpore latens, et in varios gradus mali„gnitatis abiens, licet tumoribus nondum manifeſta„tum, cognoſatur, indicent; 3. accuratis obſerua„tionibus edoceant, quibus ſcrophularum ſpeciebus, „et complicationibus cum aliis morbis, ſingula re„media antiſcrophuloſa, hucusque cognita, maxime „ſint accommodata; cum primis autem terrae pon„deroſae muriatae efficaciam in ſcrophulis et adfe„ctibus ſcrophuloſis accurate definiant. Optamus, „vt, ſi fieri poſſit, hac opportunitate medicamen„tum aliquod, adhuc ignotum, ad corrigendam acri„moniam ſcrophuloſam efficax, Medicis inno„teſcat.“

Ita quidem comparatum eſt hoc argumentum, vt, qui illud pertractare aggreditur, ad ea quae ab aliis auctoribus, qui id attigerunt vel pertractarunt, dicta ſunt, debeat reſpicere. Nihilo tamen ſecius optat Academia, vt, qui in eo elaborando verſaturi ſint, propriis ſuis potiſſimum inhaereant obſeruationibus, atque ab auctoribus cumulate citandis ſe abſtineant, vt eo melius concinna et dilucida, quam inprimis optat et requirit, breuitate, ea quae obſervauerint et inuenerint ipſi, tradere poſſint.

Omnes ac ſingulos, quibus libebit de praemio concertare, humaniſſime rogamus, vt diſſertationes ſuas, ſermone ſiue latino, ſiue germanico, ſiue gallico conſcriptas, ante d. 1. Septembris anni 1793. vel ad me, Academiae Praeſidem, vel ad proximum ſibi eius Adiunctum, mercede transmiſſionis ſoluta, velint mittere. Et quum Academiae interſit, vt

nullus dissertationis auctor in antecessum vllo signo ipsi innotescat, petimus atque contendimus, vt eorum nemo vllo se prodat modo, sed potius dissertationi adiiciat chartam obsignatam, in qua, in peculiari schedula, nomen vna cum titulis suis ac muneribus, quibus fungitur, et loco denique, vbi habitat, distinctis literis notata sint; chartae vero extus inscribat symbolum quoddam, quod in fronte vel ad calcem dissertationis totidem verbis repetat.

Iudices designati dissertationes, iusto tempore exhibitas, attente perlegent, et aequa lance ponderabunt: d. 5. Ianuarii anni 1794. autem, qui memorialis est obitus b. Fundatoris, nummus aureus eius effigie signatus, valoris sexaginta imperialium, ei, cuius dissertationi palmam adiudicabunt arbitri, resignata schedula, decernetur. Ipsa vero victrix dissertatio non solum absque mora prelo tradetur, sed etiam in proximo Nouorum Actorum volumine denuo prodibit.

Quod reliquum est, vt et hi conatus in Academiae et b. Fundatoris honorem, doctrinae medicae incrementum ac salutem cedant publicam, etiam atque etiam optamus. Scr. Erlangae d. 23. Aug. 1792.

Academia scientiarum regia LVGDVNENSIS viros eruditos inuitauit, vt velint certamen inire de optime soluenda quaestione, pro anno cIↃIↃccxciii. publice proposita: *quae sunt viae ac rationes tutissimae eaeque breuissimae molas aliasque machinas ad fluuios exstructas, et ab his in motum actas, contra interruptionem motus, a vehementi frigore pendentem, ope mechanices muniendi?* Commoda mechanismi geometrice demonstrentur. Praemium a CHRISTINO legatum et victori ab academia promissum erit numus aureus, qui CCC libras gallicas aequat. Dissertatio-

tationes, ad certamen de hoc praemio adſpirantes, ante Calendas Apriles inſtantes ſocietati exhibeantur. Ab eadem academia diſtributio praemii extraordinarii, e duobus numis aureis conſtantis, quorum quilibet CCC. libras aequat gallicas, in ipſum, qui proxime ſequitur, annum dilata eſt. Argumentum, de quo diſceptandum eſt, ad fabricas pannorum laneorum (*manufactures de lainage*) pertinet, anno iam CIↃIↃCCXCI. propoſitum. Quicunque de hoc praemio certamen inire cupit, is ad haec animum aduertat ſuum. Diſpiciendum *primo* eſt, an illae fabricae prae aliis agriculturam, hominum ſubſiſtentiam et mercaturam promoueant; *ſecundo* inquirendum, an illae prae aliis labore omnes hominum aetates, ſexusque exercere poſſint, minusque, quam reliquae, variationibus ſubiectae ſint, a temporum variatione pendentibus; *tertio* docendum, qua via breuiſſima et facillima in Gallia numerus harum fabricarum augeri, earum obiecta variari et perfectiora reddi queant; *quarto* oſtendendum, num tales fabricae in ſpecie vtiliter operas Lugdunenſes, alio tempore in telis ſericeis conficiendis deſudantes, tunc occupare, cum eorum labores ordinarii atque vitae ſubſidia ceſſauerint, et qua ratione machinae ipſorum textoriae aliaque huc pertinentia inſtrumenta (*métiers et dépendances*) huic nouo laboris generi adaptari poſſint. — Cum duo priora capita iam a pluribus diuerſarum nationum ſcriptoribus pertractata fuerint, academia optat, vt illarum diſquiſitionum conſectaria ad experientiae normam examinentur, atque tertium cum quarto capite per partes diligenter exponatur. — Illuſtris abbas RAYNALIVS donauit academiae ſummam 1200 librarum gallicarum, quae optimae expoſitioni argumenti huius: *quae veritates et animi ſenſa, philoſophiae et literarum ope, pro ea, quae nunc viget, morum noſtrorum conditione diligentiſſime inuicari debent ad pro-*

*mouendam ſummam ſeculi noſtri felicitatem?* deſtinata eſt. Huius, vti etiam ſequentis, praemii diſtributio ab academia in annum cIↃIↃccxciii. prorogata eſt. Denique repetit academia in annum cIcIↃccxciv. illud argumentum phyſicum, cuius expoſitio optima iam ante biennium praemio ornari debebat, modo inter diſſertationes ad academiam miſſas vna vel altera praemio digna pronuntiari iure potuiſſet. Scilicet optauerat academia, vt doceatur, *num adſcenſio ſucci in arboribus, eiusque periodica renouatio inter phaenomena extra omnem dubitationem poſita numeranda ſit; quaenam cauſae huius adſcenſionis tempore veris et pro coeli temperie aut Iulio aut Auguſto menſibus dentur; in quanam re determinatio horum cauſarum culturae arborum vtilis eſſe poſſit.* Praemium erunt duo numi aurei, quorum quilibet CCC. librarum gallicarum pretium habet. Diſſertationes de his argumentis ante ipſas Calendas Apriles eiusdem anni, quo praemia diſtribuentur, ad Cl. CLARETVM-LA-TOURRETTE, qui academiae a literis eſt, ſub conditionibus ſolitis mitti debent.

IOANNES MVNNIKHOFF, quondam chirurgus herniarius Amſtelodamenſis, membrum ſocietatis ſcient. Harlemenſis, arte ſua celeberrimus, qui xxiii. Iun. cIↃIↃccLxxxvii. Amſtelodami obiit, legauit ſatis amplam pecuniae ſummam, e cuius reditibus quotannis numus aureus, CCC. florenos Hollandicos aequans, diſtribui poſſit inter eos, qui optime de argumento ad hernias initio et, ſi hoc chirurgiae caput diſſerendi materiam haud amplius ſuppeditarit, ad anatomen, aliaque chirurgiae capita ſpectante, expoſuerit. Executores huius legati conſtituti ſunt e voluntate defuncti Profeſſores anatomes, chirurgiae et botanices in atheneo Amſtelodamenſi, medici inſpectores collegii medicorum, decanique collegii chirurgorum eiusdem vrbis. In annum

cIↃIↃ-

cIↃIↃccxciv. publice propoſitum eſt argumentum hoc: *quid ſunt herniae? quae diuerſitas inter ſimplices complicatasque locum habere poteſt? quaenam obſeruationes, ſiue in cadaueribus ſiue inter operationes herniarum factae, eam herniarum diſtinctionem iuuant et ſuſtentant, quae fundamento ſcientiae, chirurgo herniario neceſſariae, inſervire debet?* Diſſertationes, de hoc praemio certantes, lingua latina, gallica, bataua et etiam germanica, modo huius literae charactere latino expreſſae ſint, conſcriptae eſſe poſſunt, et ſub conditionibus ſolemnibus ante Calend. Martias anni indicati mitti debent ad Cl. A. BONN, profeſſorem anatomes et chirurgiae in illuſtri atheneo Amſtelod. et ad Exper. P. E. WILLETVM, inſpectorem colleg. medici eiusdem vrbis.

*Praemia et Honores.*

Loco experient. IOH. HENR. FISCHERI, qui hucusque medicinam Gottingae profitebatur, atque domui, parturientibus apertae praeerat, nunc vero medicus proprius Principis Naſſouio-Weilburgenſis factus eſt, ſucceſſit Exp. FR. BENI. OSIANDER, qui ſimul profeſſor medicinae ordinarius et collegii clinici director creatus eſt.

GMELINVS, Regi Angliae a conſiliis aulae, a ſocietatibus cum imper. oeconomica Petropolitana, tum a medicorum Helueticorum, literarum commercium inuicem alentium, inter ſocios ipſorum relatus eſt.

Regia Norwegica ſocietas ſcientiarum d. XI. Octobr. anni praeteriti Illuſtr. HEYNIVM Gottingenſem inter ſocios exteros; IO. IAC. WILLIVM, verbi diuini miniſtrum Graftenenſem, qui ad dioeceſin Ransleben pertinet, HERMANNVM, ſubtribunum (Obriſtlieutenant) et ACKERMANNVM, qui Dronthemii pharmacopola eſt, inter ſocios domeſticos legit ſuos.

ERICO VIBORGIO, variis ſcriptis et phyſicis et oeconomicis claro, contigit honos, vt a regia academia ſcientiarum Haunienſi inter membra ordinaria nuper legeretur.

Exper. HENR. CALLISEN, Regi Daniae a conſ. iuſtitiae, in academiam chirurgicam Haunienſem receptus eſt ita, vt ibi praelectiones habeat, atque mortuo HENNINGSIO in huius prouinciam profeſſoris primarii ſuccedat.

D. XI. Octobr. anni ſuperioris munere ſuo ob ſenectutem et valetudinis debilitatem abdicauit Reuerendiſſ. HAGERIG, Dronthemienſis capituli praepoſitus, qui hucusque vicem praeſidis et directoris ſocietatis regiae, ibi florentis, geſſerat, inque eius locum ſucceſſit Epiſcopus, IO. CHR. SCHÖNHEIDER, theologiae doctor.

D. XVI. Octobr. huius anni exper. AVGVSTIN. BERTELE, medicinae ac chirurgiae doctor, et chirurgus vndecimae legionis pedeſtris, quae Bambergae in praeſidio eſt, profeſſor chemiae Ingolſtadienſis ita factus creatusque eſt, vt, quamdiu ROVSSEAV, in cuius locum ſucceſſit, inter viuos erit, ab huius muneris adminiſtratione abſtineat.

Experientiſſimus MELITZSCHIVS e decreto Imperatoris Pragae profeſſor artis obſtetriciae practicae factus et iuſſus ſimul eſt, inſtitutionis cauſa aedes publicas, parturientibus ibi apertas, adire. Idem ille priuatim obſtetricibus artis praecepta tradidit, et, parturientes ſuis ſumtibus in hunc finem ſuſtentauit. Quod inſtitutum imperatori placuit ita, vt Paſtores ſingulis hebdomadibus ſtipem pro eius ſuſtentatione colligere iuſſi ſint.

Regia academia ſcientiarum Holmica d. XVIII. Ianuar. huius anni legit hos viros inter ſocios domeſticos: VLR. GVST. FRANCVM, a ſecretis ſummae reipublicae, ſupremum poſtarum directorem, et ordinis

dinis reg. de ſtella polari praefectum: IAC. de ENGESTRÖM, a conſiliis cancellariae, et equitem de ſtella polari; Exper. DAN. THEEL, ſupremum chirurgicae ſocietatis directorem; et Exp. IO. PETR. WESTRING, qui medicinam Norrköpingae facit, inter exteros autem Comitem CAR. LVD. de MOROZZO, reg. Turinenſis ſcientiarum academiae praeſidem, et FELIC. FONTANAM, directorem collectionis corporum naturalium Archiducalis, quae Florentiae eſt.

Ab academia ſcientiarum vtilium Moguntina, quae Erfurdi eſt, inter ſocios recepti ſunt in ſolemni, qui d. VII. Aug. cIↃIↃCCXCII. habitus eſt, conſeſſu CAR. AVG. BÖTTIGER, Seren. Principi Vinarienſi a conſil. conſiſtorii ſupremi, et gymnaſii Vinarienſis director; et Exper. IO. ANDR. GVIL. BÜCHNER, e Norwegiae urbe, Bergen; TOBIAS LOWITZ, pharmacopola Petropolitanus, et acad. imper. Petropol. membrum ordinarium; IO. GOTTL. GEORGI, eiusdem academiae aliarumque ſocietatum eruditarum ſocius, M. van MARVM, pluribus ſocietatibus eruditis adſcriptus, et denique IOH. MATTH. HASSENKAMP, a conſiliis conſiſtorii et prof. mathem. et orient. linguarum in academia Rintelenſi.

## *Mortes.*

Experient. KANNEGIESSERVS, profeſſor medicinae et Regi Daniae a conſ. ſtatuum, academiae Kilonienſis ſenior, hoc ipſo anno fatis ceſſit.

Exp. IMM. HEINR. GARMANN, qui Chemnitzii in Saxonia medicam exercuit artem, d. XXIII. Nov. h. a. aetatis anno LXIX. defunctus eſt.

Exper. IO. GE. LVTHER, qui phyſici medici vrbis et praefecturae circularis Freibergenſis, praefecturae Frauenſtein, iudicii cauſis metallicis cognoſcendis et collegii de officinis metallicis ſuperioris

Freibergenſis, et officinae ſeparandis metallis Grünthalenſis munere fungebatur, d. XIV. Iul. huius anni, aetatis anno LXXIII. obiit. Praeter diſſertatiunculam, *vtrum os fiat ex membrana et cartilagine, an in vtrisque?* Lipſ. 1743. 4. nil ſcripſit.

Exper. KILIAN. STOBAEVS, artis obſtetriciae profeſſor Londinenſis in Scania, d XI. Mart. huius anni aetatis anno LXXIV. mortuus eſt.

Exper. PAVL. HENR. GERH. MÖHRING, Principi Anhaltino-Seruoſtano a conſiliis aulae, et valetudinis cura, medicus phyſicus vrbis et totius ditionis Ieueranae et Petropolitanae ſcientiarum academiae aliarumque ſocietatum eruditarum ſocius, anno aetatis LXXXIII. d. XXVIII. Octobr. h. a. obiit. Inde ab anno XXXIII. huius ſeculi medicinam in illa fecit vrbe, et variis diſſertationibus, medicam artem et hiſtoriam naturalem illuſtrantibus, inclaruit.

Exper. IOH. CHR. BRVNS, Reg. Angl. medicus aulicus et obſtetricius, nec non demonſtrator anatomiae Hanouerae d. XXI. Iun. h. a. hydrope aetatis anno LVIII. Bibliothecam, e rariſſimis et magni pretii operibus compoſitam, maxime in itineribus, quae olim inſtituerat, collectam, bibliothecae coenobii Loccumenſis ita legauit, vt medicis eius vſus ſemper pateat.

Exper. IO. PHIL. HAGEN, Regi Boruſſiae a conſiliis aulae et artis obſtetriciae profeſſor etc. nuper (d. XII. Dec.) Berolini apoplexia vitam finiit.

## XVI.

### Catalogus librorum, qui in Germania CIↃIↃCCLXXXXI. prodierunt.

